3 1761 03573 2023

Bequest of

Rev. H. C. Scadding, D.D.

to the Library

of the

University of Toronto

1901

BEQUEST OF
REV. CANON SCADDING. D. D.
TORONTO. 1901.

LL
P9593K

PRISCIANI
CAESARIENSIS GRAMMATICI
OPERA

AD VETVSTISSIMORVM CODICVM,
NVNC PRIMVM COLLATORVM, FIDEM
RECENSVIT, EMACVLAVIT,
LECTIONVM VARIETATEM NOTAVIT
ET INDICES LOCVPLETISSIMOS
ADIECIT

AVGVSTVS KREHL
PROFESSOR IN REG. ACAD. EQV. SAX. PHILOS. DOCTOR.

52701
3/1/02

VOLVMEN PRIMVM
CONT. DE ARTE GRAMMATICA LIBROS XVI.

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA.
CIↃIↃCCCXIX.

PRISCIANI

CAESARIENSIS GRAMMATICI

OPERA

AD VETVSTISSIMORVM CODICVM,
NVNC PRIMVM COLLATORVM, FIDEM
RECENSVIT, EMACVLAVIT,
LECTIONVM VARIETATEM NOTAVIT
ET INDICES LOCVPLETISSIMOS
ADIECIT

AVGVSTVS KREHL
PROFESSOR IN REG. ACAD. HOV. SAX. PHILOS. DOCTOR.

VOLVMEN PRIMVM
CONT. DE ARTE GRAMMATICA LIBROS XVI

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA.
CIƆIƆCCCXIX.

CHRISTOPH. FRIDERICO

AMMONIO

THEOLOGO

SACRVM.

CHRISTOPH. FRIDERICO
AMMONIO
THEOLOGO
SACRVM.

VIRO

SVMME VENERABILI, MAGNIFICO,

CHRISTOPHORO FRIDERICO AMMONIO,

S. S. SCRIPTT. DOCTORI,

POTENTISSIMI SAXONIAE REGIS CONCIONATORI AVLICO SVPREMO, SVMMI SEN. ECCLES. CONSILIARIO, EQVITVM ORD. REG. SAX. FIDELITER MERITORVM PRAEFECTO,

S. D. P.

AVGVSTVS KREHLIVS.

Quamvis temere ego multis fecisse videar, quod *Tibi, Vir Summe Venerabilis*, opus exile et grammaticis minutiis refertum inscribere ausus sim: nullo tamen modo verendum est mihi, ne *Tu* ea re ipse, de nominis *Tui* illustris dignitate detraxisse me, statuas. *Tu* enim, qui in omni humanitatis et eruditionis genere perfectus es ac perpolitus, cum nihil quidquam eorum, quae ad doctrinam pertinent, a *Te* alienum putes, tantum abest, ut grammaticorum studia contemnas, ut potius ne nunc quidem, subtilissimam tot rerum scientiam nactus, procul ea habeas. Quamquam enim studium istorum, qui verborum aucupes vel nugarum institores, contumeliose quidem, non tamen immerito dicuntur, inane ac vanum esse recte censes, eos tamen etiam, qui, nullis certis literarum fundamentis innixi, altiora petunt, mox vero, ut ille, qui, oculis in coelo defixis, in fossam luto

completam procidisse traditur, cum in stadium deducti sint, turpiter labuntur, risumque spectantibus movent, grammatica scilicet ut quisquilias spernentes, a vero longissime errare, persuasum habes. Nec ego, vel si *Tu* grammaticis studiis minus tribuendum putares, quam tribuis, a consilio, ex nominis *Tui* splendore ornamentum labori meo qualicunque comparandi, deterreri me passus essem. *Tuum* enim est, ut vere dicam, illud, quicquid sit, quod studio meo assecutus *Tibi* videar. Nam *Tua, Vir Summe Venerabilis*, auctoritate, quae cum apud omnes, qui literarum non plane rudes sunt, multum valet, tum apud me, quem immortali quodam beneficio obstrinxisti, plurimum valere debet, factum est, ut emaculandi Prisciani laborem in me susciperem. Nec *Tu* pro summa, quae in *Te* est, benevolentia et comitate, digitum, ut ajunt, ad fontes intendisse, satis habuisti: sed errantem consiliis etiam prudentissimis rexisti, praesidiisque necessariis destitutum largissimis copiis instruxisti. Pietas ergo gratusque animus suaserunt, imo coëgerunt, ut *Tibi* hoc opus sacrum esse juberem; atque *Tua* humanitas, quae ab omnibus, quibus in *Tui* notitiam pervenire contigit, amplissimis concelebratur laudibus, spem mihi ostendit certissimam, fore, ut *Tu* hoc qualecunque pietatis munusculum benevolo animo accipias, nec, si levius *Tua* opinione inveneris, arrogantiae vel insolentiae reum me habeas. At enim vero, cum ingenii *Tui* et consummatissimae in omni literarum genere eruditionis admiratio meae me tenuitatis graviter admoneat, fieri non potest, quin timidiuscule et cum pudore paene subrustico Prisciánum, quem emaculandum mihi tradidisti, nunc, prout equidem potui, emaculatum in manibus *Tuis* deponam. *Te* tamen non latet, me invicta fati necessitate a reconditioribus theologiae studiis, quibus juvenis ego unice delectabar, abstractum, et ad scholastici hominis condi-

tionem detrusum esse. Quid est igitur, quod dubitem, *Te* aequum fore laboris mei judicem; meam potius, si non doctrinam, quam angustis terminis inclusam esse ipse sentio, at voluntatem certe probatum *Tibi* iri confido. Neque inter caeteros Viros doctos, spero, deerunt, qui, etiam si minus, quam velim, laborem meum probent, consilium Prisciani in lucem denuo protrahendi et a naevis, quos situs vetustatis hic illic adspersit, purgandi, comprobandum potius, quam iniquioribus sententiis exagitandum censeant. Cum enim, ex quo in orbe nostro restaurata erant optimarum artium, in primis literarum, studia, innumera exsisteret multitudo eorum, qui scriptores, quos dicunt classicos, emendarent, illustrarent, ornarent: per totam fere Germaniam, (Helvetiam excipio) praeter Heliam Putschium ad hanc usque aetatem repertus est nemo, qui Priscianum, non dico magnis doctrinae copiis exornaret, sed tantum ab injuriis librariorum, ut par erat, vindicaret. Quod ita factum esse eo magis mirandum est, cum omnis illa aetas, quae media rectius, puto, dicitur, quam barbara, principatum inter Grammaticos Latinos, jure an injuria nescio, ad hunc ipsum Priscianum detulisset, ejusque nominis tanta esset auctoritas, ut grammaticam unus omnium maxime docere posse visus, in omnium ore versaretur, quin adeo in scholis phobetri loco haberetur. Immerito igitur a recentioris aetatis hominibus spretus ac neglectus, hanc etiam spectri naturam induisse bonum caput videbatur, ut nusquam fere locorum, nisi in bibliothecarum publicarum penetralibus, appareret, nec magis magistris, obscuram ejus umbram ad terrorem incutiendum ex inferis excitantibus, quam discipulis, vel nomine audito Prisciani horrentibus, facie notus esset. Nil igitur mirum, paucissimos etiamnunc esse, qui Priscianum legerint, vel potius, etiamsi velint, legere possint, propterea quod magna est exemplorum

ejus et inopia et caritas. Quae cum ita sint, non inutilem laborem suscepisse mihi videor, quod *Tuae*, *Vir Summe Venerabilis*, auctoritati obsecutus, Priscianum denuo imprimendum curaverim; nec quemquam fore puto, cui scriptorem, tam diu nulla sua culpa neglectum, novis curis adornari displiceat. Ego vero et amplius quid efficere volui. Nam cum *Tu* pro ea, qua plurimum inter eruditos vales, scientiae copia, libros Prisciani, quales adhuc quidem circumferebantur, valde esse depravatos, probe intelligeres, Codicibus *Tu* me, quam fieri posset, plurimis ad integritatem textus restituendam uti jussisti. Nec me poenituit hac quoque in re consilio *Tuo* paruisse. Etiamsi enim minus recte et feliciter copiis meis usus esse deprehenderer, tamen, nisi Codices tam multos tamque bonos in consilium adhibere potuissem, aut plane inutilem in emaculando Prisciano collocassem operam, aut omne illud consilium abjiciendum mihi fuisset. Jam vero hanc mihi des, oro, veniam, *Vir Summe Venerabilis*, ut omnem hujus editionis rationem demonstrem, et quid efficere voluerim, quibusve praesidiis usus sim, accuratius *Tibi* exponam.

Ac primum quidem prorsus alienum fuit a consilio meo, res a Prisciano tractatas uberius exponere et copiosius explicare. Quarum moles tanta est, ut stolidissimus essem, si meis viribus moveri eam posse opinarer. Abstinui ergo ab illustratione, et unice in textu emendando occupatus fui. Atque sic etiam nonnihil laboris exantlandum fuit. Omnia enim ac singula diligentissime erant examinanda et pensitanda, cum editores priores ad unum omnes, fontes, ex quibus hausisse putandi sunt, non indicavissent. Textus igitur primum critice a me constitutus est, ita ut nunc quidem constet, quae Codicum sit lectio, quidve in antiquioribus libris impressis ab editoribus in textum illa-

tum esse videatur. Equidem ad emaculandos hos sedecim libros de arte grammatica Codicibus usus sum numero decem, quorum septem, quamvis multis in locis inter se dissentiant, hoc tamen habent commune, ut a *Theodoro* quodam, Prisciani discipulo, manu illius propria exaratos esse, inscriptionibus, mox huic mox illi libro subnexis, prae se ferant. Negari quidem non potest, in his ipsis inscriptionibus nonnullam deprehendi lectionis varietatem; nihilo tamen minus omnes unum idemque sonant. Itaque exempli loco, ut de ratione earum constet, unam proferre lubet, e Codice Heidelbergensi depromptam, quae sub fine libri octavi legitur his fere verbis: ARTIS PRISCIANI VIRI DISERTISSIMI GRĀMATICI CESARIENSIS DOCTORIS URBIS ROMAE CONSTANTINOPOLITANAE PRAECEPTORIS MEI LIB VIII. DE VERBO EXPLICIT FELICITER. INCIP EIUSDE LIB VIIII. DE GENERALI VERBO DECLINAT. ET (*ego?*) THEODOR' DYONISII MEMORIALIS EPISTOLARŪ ET ADIUTOR VIRI MAGNI QUAESTOR' SP (*sacri palatii*) SCRIPSI ARTEM PRISCIANI DOCTORIS MEI MANU MEA IN URBE ROMA CONSTANTINOPOLIT DIE III ID' IANUARIAS MAVORTIO VIRO CONSULE INDICTIONE QUINTA.

Haec, ut dixi, totidem fere verbis, paucis mutatis vel depravatis, in caeteris etiam Codicibus leguntur. Mirum tamen, hunc eundem Codicem Heidelbergensem in aversa primi folii, literis vacui, pagina aliam, eamque diversam ab illa ostentare inscriptionem, quae ita habet: SCRIPSI EGO THEODORUS DYONISII VD MEMORIALIS SACRI SCRINII EPISTOLARUM ET ADIUTOR VM QUESTORIS IN URBE ROMA

CONSTANTINOPOLITANA KL OCTOB INDICTIONE V. OLIBRIO V. C. CONS. Quae, quamvis ad Codicum aetatem definiendam nihil valere ultro apparet, Prisciani tamen aetati recte constituendae inservire possunt; nec, quinto et sexto saeculo reparatae Salutis eum vixisse, dubitare nos sinunt. Nam *Mavortium* anno post Ch. n. DXXVII. consulatum gessisse, sive potius, Consulis vocabulo ornatum fuisse, docet Ric. Bentlejus in Praefat. ad Hor. p. IX. ed. Lips.

Ne tamen pluribus patientiam *Tuam, Vir Summe Venerabilis,* exercere velle videar, paucis nunc Codices ipsos recensebo.

I. Codex Halberstadiensis, quem ego Lutherium appellavi. Hujus Codicis copia ut mihi fieret, eximia *Niemeyeri,* Viri summe reverendi, multisque nominibus celebrandi, providit gratia, quippe qui, precibus meis benigne auditis, gravitate sua facile effecit, ut thesauri bibliothecae Halberstadiensis, caeteris aditu difficiliores, a custodibus mihi recluderentur. Est hic Codex membranaceus, forma quadrata maxima, literis multo luculentissimis, characterem Romanum referentibus, scriptus. Literae initiales insignis sunt magnitudinis, magnaque cum diligentia, tum arte pictae, et colore subrufo distinctae. Habet notas interlineares frequentes; plurimis vero in locis mox rasura mox litura corruptus dicam an emendatus, dubito. Graeca diligenter expressa refert. Omnino speciem prae se fert Codicis longe antiquissimi, ita ut ad nonum vel decimum saeculum referendus esse videatur. Quinque folia ab alia manu perscripta sunt; aliquot excisa; finis etiam libri sexti et decimi nunc quidem desideratur. Nominavi eum *Lutherium* propterea, quod notae marginales *Lutheri* manu additae esse feruntur: quo factum est, ut ab iis, qui reliquias magni illius viri cupide sectarentur,

misere sit vexatus et mutilatus, textu tamen integro relicto.

II. Codex Heidelbergensis membranaceus forma quadr. majori, pallescente quidem passim atramento, luculenter tamen scriptus est. Hunc Codicem, parum absum, quin praestantissimum omnium, quos manibus versavi, dicam, quamvis Lutherio recentiorem esse nemo facile negaverit. Latina non solum sed Graeca etiam diligentissime scripta exhibet, nullisque rasuris corruptus est. Liturae, passim obviae, ab ipso librario repetendae sunt. Cum in caeteris tum in orthographia, si pauca excipias, egregie sibi constat. Literae initiales subrufo colore distinctae sunt. In imo primae paginae margine ab recentiori manu haec notata reperias: *Ex libris Imperialis Monasterii S. Maximini.* In aversa parte folii primi ante prooemium haec scripta leguntur:

Quis Priscianus	*Persona*
Quid Grammatica	*Rem*
Cur Ad emendanda vicia ut herodianus et apollonius fecere apud grecos	*Causam*
Ubi In urbe roma constantinopolitana	*Locus*
Quando Tempore justiniani imperatoris et venerabilis benedicti abbis	*Tempus*
Quomodo Prosaico stilo	
Unde De voce de litera de sillaba de dictione de oratione de octo partibus.	*Materia.*

Quo firmius autem de praestantia hujus Codicis mihi persuasum est, (non tamen a vitiis immunem dico) eo magis doleo, ejus mihi facultatem tum demum esse factam, cum reliquos omnes jam contulissem, lectionisque varietatem notassem. Nec tamen id obstare potuit, quo minus hoc loco publice celebrarem summam *Friderici Creuzeri*, Viri apud exteros quoque meritis laudibus condecorati, humanitatem, qui, cum parari in Sa-

xonia Prisciani editionem audivisset, confestim nullaque mora interposita ad *Godofredum Hermannum* cum transmisit; hujusque viri perillustris gratia et mihi libri illius praestantissimi copia data est. Cum vero, ut dixi, absoluto labore, in manus meas pervenisset, fieri nullo modo potuit, ut omnes ac singulas lectionum varietates ex eo enotarem; potiores tantum lectiones diligenter excerpsi. Nec deinde, postquam schedulae meae Lipsiam missae erant, intactum eum reliqui; intellexi vero, hunc quoque Codicem in gravioris momenti rebus cum MS. Lutherio reliquisque, quibus auctoritatem praecipuam tribuendam esse puto, consentire; ita ut operae pretium non essem facturus, si laborem taedii plenissimum repetere, omnique, qua par esset, diligentia illum Codicem excutere voluissem.

III. Codex Lipsiensis 1. numero 28 insignitus, membranaceus est, in fol. min. luculentis literis exaratus, quae Langobardicum potius, quam Romanum characterem exprimant. Habet notas interlineares rarissimas, plurimas autem lituras, quae ab eo ipso, qui Codicem descripsit, repetendae sunt, cum paulo frequentius se errasse ipse sentiret. Latinorum enim non magis quam Graecorum peritus esse videtur; nisi fortasse laboris taedio victus saepius, quam ipse vellet, oculis decipeietur. In hoc Codice singuli libri non sunt neque numeris neque inscriptionibus distincti. Ergo antiquus liber esse videtur, magnique pretii. In folii penultimi parte aversa haec ad imum marginem a recentiori manu notata reperiuntur: *Liber Sanoti Jacobi in pigania.* Quod Godofr. Hermannum commovit, ut in Elem. doctr. metr. *librum D. Jacobi* hunc Codicem appellaret. Sub fine libri noni aliquot folia excisa sunt, ita ut decimi etiam libri initium desit.

IV. Codex Lipsiensis 2. numero 979 inscriptus, membranaceus, est in folio min. Satis est eleganter per-

scriptus. Habet notas marginales nec tamen frequentes. Graecorum imperitus fuit scriba. Optimae tamen notae est hic liber, et ad saeculum decimum tertium referendus esse videtur. Initium temporum injuria periit. Sub fine libri decimi sexti haec leguntur:

Largior experior veneror moror osculor hortor
Criminor amplector tibi sint communia lector.

V. Codex Lipsiensis 3. chartaceus in folio maj. Anno CIↃCCCCV. scriptum esse docet inscriptio ad finem libri decimi sexti. In hoc Codice bona mixta sunt malis, ita tamen, ut ab his illa superentur. Hi Codices Lipsienses omnes asservantur in bibliotheca Universitatis Paulinae; eorumque copiam mihi fecit insignis Beckii, Viri illustris, benevolentia.

VI. VII. Codices Zwiccavienses, membranacei, in fol. min. quos ambos antiquos bonaeque notae libros esse dixit Godofr. Hermannus in opere supra laudato. Unus eorum, is scilicet, qui numero 9 distinctus est, inscriptionem illam, de qua in superioribus exposui, non habet.

VIII. Codex Erlangensis 1. membranaceus, in folio min. numerum 182. in fronte gerit. Nitidissime est scriptus, literisque initialibus splendidissimo colore distinctis prae caeteris eminet. Refertus est notis interlinearibus et marginalibus. Graeca parum scite descripta refert. Antiquum hunc librum esse nemo facile negaverit.

IX. Codex Erlangensis 2. membranaceus, in fol. min. numerum in adverso gerit 505. Minutissimis quidem literis perscriptus est, bonae tamen frugis plenus est liber. Graeca non raro omittit. Equidem plurimi faciendum hunc Codicem puto, cum saepe unus omnium meliora daret; nec quisquam erit, qui pervetustum esse neget,

X. Dresdensis membránaceus in fol. min. nitidissimis literis exaratus auctorem habuit literarum plane rudem. Multa ille etiam scholia textui admiscuit, et Graeca ita expressit, ut ne Oedipus quidem sensum ex iis posset elicere ullum. Minime tamen spernendus hic liber est; nam exhibet haud paucis in locis optimas lectiones; quod in causa fuit, ut eum non raro praestantissimis Codicibus adnumeraverim. Grati ergo animi officium sanctissimum exigit a me, ut Beigelii, Viri ingentibus scientiae copiis instructi, humanitatem prorsus singularem, eximiamque cum in omnes tum in me etiam benevolentiam quam maximis possim laudibus celebrem, quippe qui non solum hujus Codicis excutiendi copiam mihi fecit, sed caeteros etiam omnes, quibus equidem uti possem, bibliothecae regiae thesauros haud cunctanter reclusit.

Hi sunt Codices, *Vir Summe Venerabilis,* quos ego ad emaculandos Prisciani libros de arte Grammatica sedecim in consilium adhibui. Utinam ita his praesidiis usus esse deprehendar, ut *Tibi*, et caeteris Viris doctis, penes quos est subtile harum rerum judicium, labor meus non plane improbetur. Quod ut eveniat, magnus insedit animum timor. Nam quod plerique Nostrates Codices excutientium humeris imponunt onus, ut scilicet eos, qui hunc laborem suscipiant, omnes ac singulos apices vel apiculos, si qui diversi sint, enotare jubeant, id, ingenue fateor, sustinere ego nec volui nec potui. Decennio amplius opus fuisset, si eam, quam illi imperant, diligentiam adhibere voluissem. Faciant hoc ii, qui actum de literis esse clamant, si quis quisquilias pro eo, quod sunt, habendas censeat. Nec animus fuit vitam in Prisciano emaculando collocare! Equidem ita versatus sum in examinandis Codicibus, ut optimos diligenter conferrem, reliquos vero in subsidiis haberem. Jam hic labor taedii fuit adeo plenus, ut non

semel totum consilium abjicere vellem. Restiti tamen, atque animum tantum non oppressum hac cogitatione erexi, quod Wolfius, quem inter principes Criticorum jure numerant, nec eum spernendum esse dixerit, qui triginta vitia sustulisset, centum reliquisset. Quod si vere dixit Vir summus, nec mihi superba acerrimorum judicum fastidia metuenda sunt; cum, salva verecundia, plura vitiorum millia me sustulisse gloriari possim. Nunc vero et de Editionibus, quibus usus sum, exponere per *Te, Vir Summe Venerabilis*, mihi liceat.

Prima, quam, loci notatione carentem, Venetam 1. appellavi, anno Domini M. CCCCLXX. typis exscripta est. Est in fol. maj. luculentissimis literis expressa. Graeca non exhibet, sed vacua iis loca reliquit. Continet, *Libros XVI de Arte Grammatica; librum Prisciani minoris sive de constructionibus, librum de duodecim carminibus, librum de accentibus, lib. de ponderibus et mensuris.* Sub fine hujus libelli anni notatio reperitur. His additi sunt, *liber de praexercitamentis Rhetoricis ex Hermogene translatus; Ratio de versibus comicis* et *Interpretatio ex Dionysio de orbis situ.* Haec editio cum optimas lectiones exhiberet, praestantior mihi visa est reliquis omnibus. Venetam ut dicerem, commotus sum eo, quod *Altera Venetiis* per *Bonetum Locatellum* CIↃCCCCXCVI. impressa, illius vestigia religiosissime sequitur. Praestat tamen Graeca exhibens. Diversum ab his textum praebent Editiones Aldina, Juntina, Basileensis prior, Coloniensis, Putschiana. Ipsae vero inter se ita consentiunt, ut altera ex altera descripta esse videatur. Putschius enim, quamvis multis egregie de Prisciano meritus esse videatur, in Latinis tamen paucissima mutasse vel emendasse deprehenditur; in Graecis vero locis, sive ingenio suo, sive Codicibus usus, multa vitia sustulit, pauca reliquit.

Jam vero hoc restat, ut *Tibi, Vir Summe Venerabilis,* rationem demonstrem, quam in constituendo textu ineundam esse putaverim. Cum ego nullum meorum Codicum immunem a vitiis esse intellexissem, consilium, quod ceperam, praestantissimi Codicum ad verbum describendi, abjeci. Unum illud relictum est, ut e lectionum variantium farragine optimas selectas in locum vulgatarum substituerem. Quod feci. In seligendis autem lectionibus arbitrio meo et judicio quin uterer, fieri non potuit; nec tamen numeravi sed ponderavi auctoritates. Ita factum est, ut non raro unius Codicis lectionem reliquorum omnium auctoritatibus praeferrem, si quidem vel usu Prisciani, vel luculentissimis aliorum scriptorum testimoniis, vel omnino eximia veri specie commendari viderem. Paulo difficilius fuit, locos ex scriptoribus allegatos tractare, quippe qui haud raro tam negligenter a Prisciano redditi esse videantur, ut aut nullum, aut alienum a scriptoris consilio sensum fundant. Primam ergo mihi hanc scripsi legem, ut editorum librorum nullam haberem rationem, nec, quid auctores scribi voluerint, curarem; alteram vero, ut in his a Codicum vestigiis nunquam discederem. Bis tantum ingeniosissimas Godofredi Hermanni conjecturas in textum recepi. Ex eo vero, quod a Codicibus discedere nefas habui, hoc ortum est incommodi, ut aliquotiens eadem loca varie scripta exhibuerim, scilicet si Codicum consensus hanc varietatem admittere me coëgerat. In Prisciano tamen hoc ferri posse puto. Quis enim negaverit, Priscianum memoria deceptum in his locis referendis ipsum variare potuisse? Quod ad orthographiam attinet, in iis, quae Prisciani sunt, ipsius leges et regulas, quantum ex opere ejus cognoscere eas licuit, secutus sum; ea autem, quae ex scriptoribus allegata sunt, secundum Codicum auctoritatem exprimenda curavi. Qua re factum est, ut in nonnullis a vulgata

scriptura recederem. Si qua vero in his non satis constitisse mihi, vel perperam novasse deprehendar, veniam erroris peto, quam ab aequis judicibus me impetraturum esse certissime spero, cum hi omnium optime sciant, quam facilis error in re sit tam obscura et impedita. Loci ipsi ubi reperiantur, in notis textui subjectis per numeros versuum et librorum inscriptiones indicavi. Quo labore nihil fere fuit molestius. Nec raro, ubi indicibus satis instructis destituebar, consilii expers, ad Indicem alteri hujus editionis Volumini adjiciendum ablegavi lectorem benevolum, spem animo alens certam, fore, ut opportuniore tempore animoque minus occupato sponte occurrerent loci, quos, vel maximo adhibito studio, tunc quidem reperire non possem. Locos vero, qui jam pluries notati essent, consulto praetermisi. In numeris exprimendis maxima quidem adhibita est diligentia; tamen in locis Statii notandis saepius, quam par erat, erravi. Hos errores in Corrigendis diligentissime indicavi; quae ne quis eorum, qui hac editione uti voluerint, intacta relinquat, ardentissime opto. In Addendis emendare et retractare studui ea, quae perlegenti mihi paginas ab honestissimo librario missas perperam dicta vel minus commode mutata viderentur. In his commemoratum invenies, *Vir Summe Venerabilis*, Codicem alterum Dresdensem. Nam cum hic liber media demum anni superioris aestate ex bibliotheca *Hommelii* in Museum regium Dresd. pervenerit, uti ego illo non potui ad ornandam editionem meam, quippe dimidia fere parte impressam. Addendis vero nonnulla ex eo excerpta inserui. Est hic liber membranaceus, forma oct. min. luculenter scriptus, notis multis inter lineas et ad marginem instructus, recentioris tamen aetatis, saeculi scilicet decimi quarti vel quinti. Ita certe visum est Eberto, Bibliothecae regiae custodi, Viro eruditissimo et palaeogra-

phiae peritissimo. Continet Libros XIV. priores de arte Grammatica. Silentio vero praeterire non possum, quod Prisciano meo tam felici esse contigit, ut *Schaeferi*, in quo non unum Stephanum inesse admiramur, curae ac diligentiae, meritis laudibus celebratae, commendaretur. Cujus Viri summi virtute, cum in omnibus tum in hac re plane singulari, provisum est, ut pauca, in tanto scilicet operis ambitu, relinquerentur corrigenda. Nam quod aliquotiens textus et notae invicem sibi repugnent, ejus rei solus ego culpam sustineo. Habeo tamen, quibus me excusem. Cum enim ex Editione Coloniensi, innumeris vitiis et scripturae compendiis corrupta, textus esset describendus, fieri nullo modo potuit, quin in tanta corrigendorum multitudine plura, quam vellem, oculorum aciem effugerent. Quotienscunque vero talis repugnantia et discrepantia reperiatur, totiens textus ex notis emendandus est.

Haec fere erant, quae *Tibi, Vir Summe Venerabilis,* exponenda esse putabam. Quod superest, opto, ut nec *Te* consilii, nec me poeniteat obsequii. Vale.

Dab. Dresd. die XVI. Januarii CIↃIↃCCCXIX.

ADDENDA.

Pag. 25. in T. l. 1, coll. p. 265. l. 2. Binis his locis *Δημοϝάϝων Λεϝοχάϝων* scribendum esse dicit Vir eruditissimus, Fr. Thierschius, in opere praeclaro: Grieeh. Grammat. Leipz. 1818. p. 202. Codices variant nec sibi constant. Lips. 1. priori loco *Δημοφϝων Λαϝοχοϝων*; posteriori vero utramque vocem per α protulit. MS. Heidelb. in eo sibi constat, quod utrobique *Δημοφοϝων Λαϝοχαϝων* scriptum exhibet. MS. Dresd. 2. hic *αημφαϝων ααφωχαϝων*, illic *αεμοφοϝων* pro *αεμοφωων Λαφορϝων* pro *λαφορεων*. Ed. Iunt. *δημοφαϝων λαϝυχαϝων*, deinde *Δημοφόϝων Λαοχοϝων*.

P. 34. lin. 1. in T. Me invito *ἐδόντα pro ἰδόντα* scriptum esse, docet nota critica textui subjecta. Codices enim inverso ordine has voces exhibent et *oduntа pro eduntа* literis Latinis scriptas proferunt.

ib. l. 15. in T. Vox *etiam* furca expellenda est.

P. 56. in T. l. 6. Sapphûs versus ita legendus est: *ἀλλὰ τυῖδ' ἔλθ' αἴ ποκα κατ' ἐρῶτα.* Ita enim MSS. Heidelb. *αλλα τυιδεα τ ποιεα τερωτα.* Lips. 1. *ααα τυιδεα ταιποισια τερωτα.* Lips. 2. *αλα τυιαεα. ιτοτσα τερωτα.* Dresd. 2. *αλα θυυαηα τα υηθυ χαθηρωθα.*

P. 40. l. 10. in T. Temere ego digammi signa senis vocibus Graecis appinxi. Secundum MSS. Heidelb. Lips. 1. ϝημις ϝεξ ϝεπτα ϝε ϝοι ϝαλς scribendum erat. Negari tamen non potest, plures Codices digamma hoc quoque loco pro aspiratione ponere.

P. 99. l. 1. Hic locus falsa interpunctione turbatus est; nam post *fisco* ponenda est virgula, et delenda major interpunctio; pro *An* scribendum *an*.

Pag. 183. in T. l. 12. Luc. III. scr. pro Luc. V.

— — in N. l. 7. Luc. III. vss. 43. 44. scr. pro Luc. V. v. Ind.

P. 229. lin. ult. in T. MS. Dresd. 2. pro *ait* exhibet *autem*, idemque Graecam vocem omisit. In fragmento Codicis vetusti, quod Seebodius Clarissimus mecum communicavit, vox Graeca εξηνταλιτον in marginem rejecta est, et super *anclabatur* scriptum legitur *perficiebatur* vel *habebatur*.

P. 230. ad Notam *strabam facit*, adde: Fragmentum Codicis pervetusti, quod a Seebodio accepi, vocem Graecam, μητηρ οφθλμων, in margine scriptam habet.

P. 306. l. 11. in T. Pro *Hic tu* MS. Heidelb. *Haec tu*.

P. 318. ad Notam *Plautus in Amphitruone*, adde haec: Hoc fragmentum, quod supra Lib. V. Cap. VII. §. 41. p. 191. excitatum legitur, in omnibus editionibus ita, ut hoc loco edidi, legitur. Equidem antea, Codicum consensu victus, scripseram *effodi* pro *effodito*; nunc vero Codices variare intellexi. MS. Dresd. 2. receptam praestat lectionem. MSS. Luth. Zwicc. Lips. 1. 2. *effodito plus* exhibent. MS. Heidelb. *effodi duplos plus*. MS. Lips. 3. *effodi duplos — per dies*.

P. 338. in N. l. 10. Adde: MS. Heidelb. *vitabit*.

P. 339. Adde ad Notam, *vel a Graeco* στλεγγίδος, haec: MS. Heidelb. στρεγιλος. MS. Lips. 1. εστρατιος. Dresd. 2. στλευλος. Ed. Iunt. στλεγίδος. Ven. 2. στεγγίδος. Asc. στρόγγυλος. Lectio, quam ego Putschii auctoritate recepi, nihili est. Ed. Asc. veram exhibet, quae recipienda erat.

P. 368. l. penult. pro *in pectore* scribe *pectore*, omissa praepositione.

P. 372. l. 7. In loco Visellii expungendum erat *in te*; abest enim a MSS. Heidelb. Dresd. 2.

P. 396. l. 15. In loco Virgiliano MS. Heidelb. exhibet *haut*. MS. Lips. 1. *aut nunquam*. Legendum esse puto *At nunquam*.

P. 403. ad locum ex Bacchidibus haec notanda sunt. Pro *mei* in textu ponendum est *me*. Hoc me scribi voluisse, docet nota textui subjecta. Ita Codd. Heidelb. Dresd. 2. et reliqui. Infra vero Lib. XI. Cap. V. §. 20. p. 528. e Cod. Zwicc. 2. recepi *mei* contra auctoritatem MSS. Heidelb. Lips. 1. 2. Luth. Dresd. 1. 2. Si cui haec

varietas displiceat, is utrobique ponat *mē*. Haec enim lectio plurimorum Codicum auctoritate et consensu commendatur.

Pag. 403. ad Notam *Varro in mensuralibus*, adde haec: MS. Heidelb. *mensuris*. MS. Dresd. 2. *mensoribus*.

P. 411. l. 11. Pro *nec* secundum Codd. Heidelb. Dresd. 2. Lips. 1. 2. Luth. edidi *ne*. Nam quod nunc quidem in textu legitur *nec*, id typothetae culpa relictum est.

P. 433. in T. l. ult. Pro *nunquam* scribi volui *unquam*. Adde ad Notam: MS. Heidelb. receptam lectionem praestat. MS. Lips. 1. *utriusque harum mulierum quam*. MS. Dresd. 2. *harum mulierum qui*. Lips. 2. *harum mulier unquam*. Lips. 3. *harum mulierum quam*.

P. 442. In locò Terentii ex Eunucho pro *reputo* scribere debebam *puto*, cum MSS. Heidelb. Dresd. 2. etiam hanc lectionem exhibeant.

P. 514. ad Notam *Novius*. *Ita* rel. haec adde: MS. Heidelb. post *istaec* ponit *est*.

ib. *Luc. in I. vs.* 179. MS. Heidelb. pro *urbi* exhibet *urbis*.

P. 528. l. 11. *Neque mei*. Hanc lectionem confirmat Cod. Dresd. 2. cum reliqui fere omnes praestent *neque me*.

P. 536. *Horatius in Epodo*. Pro *vertit* MS. Heidelb. *vertat*.

P. 539. In fine libri undecimi MS. Heidelb. haec addit.

„Finit de Participio.

Primitiva ī pronomina. octo. dīrivativa. septē; Ego. tu. sui. sibi se a se ille. ipse. iste. hic is. Meus. tuus. suus. noster. vester. mās nrātis. vester vestratis; *ON ΜΕΔΑΠΟΣ. ΟΤΜΕΔΑΠΟΣ.* Quis. *ΟΤΣΙΑΣ ΚΑΕΡΩΤΗΜΑΤΙΚΩΝ.* Qui. *ΑΟΡΙΣΤΟΝ*; Qualis. *ΠΟΙΟΤΗΤΟΣ.* Talis. *ΑΝΤΑΤΙΟ ΑΟΤΟΚΟΝ.* Quantus. *ΠΟΣΟΤΗΤΟΣ.* Tantus. (*lacuna*) Quot *ΑΡΙΕΜΟΤ* tot (*lacuna*) Quotus. *ΟΣΣΑΠΟΣ* quotus venit. *ΑΝΑΠΟΣΤΟΣ.* totus. *ΤΑΤΤΑΤΙΝΕΣ ΑΤΤΩΝΤΜΙΑΣ Ε ΝΟΜΙΣΑΝ. ΕΙ. ΝΑΙ. ΕΙΣΙ ΝΑΕΟΝΟΜΑΤΑ.* Cujus. cuja. cujum. *ΠΟΙΟΚΤΗΤΟΣ ΚΑΠΠΟΚΤΗΤΟΝ.* Virgt. cujum pecus. Terent In eunucho. Quid virgo cuja est. Plautus. hic cujas hujus cujatis declinavit in bacchidibus. Scio

ſpiritum ei majorem eſſe multo quam folleſ taurini habeant. praenestinū opinor ee ita erat glorioſ' Equidem conjunctio est. et non compoſita habeo qd é ego quidē quamvis ita. ée. quidā putaver' ſed male. Nam equidem facio equidem facis. equidem facit dicim' Ego aut facis et ego facit nemo dicit. Sed ad primam perſonam tantum refert'. ego facio. et equidem ſimplex ee etiā ſallustiuſ oſtendit. In catilinario. Equidem ego ſic exiſtimo patreſ conſcripti. qd ſi eet compoſitum equidem habeo qd est ego quidem postquā equidē diximet ego non adderet."

P. 545. lin. 4. id est ὁ δοῦλος ἐμός. Haec lectio, quamvis Cod. MS. Lips. 2. auctoritate commendatur, falsa est, notante Immanuele Bekkero ad Apollon. p. 417. Codd. Heidelb. Dresd. 2. Zwicc. 2. Edd. Ven. 2. Asc. ὁ δοῦλός μου exhibent, quod recipiendum erat. MS. Lips. 1. omisit *id est — μου.*

P. 556. ad Notam *Plautus in Poenulo,* adde: Alii Codd. *quid sit,* alii *qui sit.* Recipiendum erat *qui sit.* Cf. quae ad Lib. XVII. Cap. III. §. 25. diximus.

P. 561. l. 12. In loco Enniano MS. Heidelb. pro *cum concordibus,* quam lectionem MSS. Dresd. 2. Lips. 1. 2. aliique tuentur, refert *cum cordibus.* Pro *aequiparare* ſcribendum fortasse quis dicat, *aequiperare,* quod non unus Codex habet. Tamen recepta scriptura praestat.

P. 566. Ad Notam *M. Coelius,* haec addenda sunt. Cf. quae ad Lib. VI. Cap. 7. §. 56. p. 245. dicta sunt. Codices omnes, praeter Lips. 2. qui *Marcus quoque Caecilius* habet, Marci Coelii nomen tuentur. Quod vero sequitur *Quintus in II.,* id falsum esse puto. Primum enim loco laudato (Lib. VI, 7. §. 56.) Codices omnes *G. Licinnio* haec verba adscribunt. Deinde hoc quoque loco MS. Heidelb. idem nomen profert, caeterosque, qui receptam lectionem commendant, erroris arguit.

ib. *Coelius in secundo.* Ex numero eorum Codd. qui Coelio verba sequentia tribuunt, eximendus est Cod. Lips. 2., cum is *idem quintus* habeat.

ib. *in Anticatone priore.* Adde haec: Supra Lib. VI. Cap. 7. §. 56. p. 243. pro *habet* edidi *habere,* nunc

vero *habet*. Hujus inconstantiae veniam ab iis facile me impetraturum esse spero, qui intelligant, quantum laboris exantlandum sit in emaculando scriptore, qui nondum critice tractatus est. Nec tamen prorsus temere lectionem vulgatam *habere* reliqui, cum Heidelbergensis certe liber hic quidem *habet*, illic vero *habere* exhibeat. Nunc tamen video, Codd. Lips. 1, 2. Dresd. 2. utrobique *habet* praestare. Igitur pro *habere* vel caeteris omnibus invitis *habet* reponendum esse censeo.

P. 592. *Terentius in Eunucho.* Pro *haud nostris* edendum erat *aut nostris*. *Aut* enim pro *haud* exhibet MS. Heidelb. Idque lectioni Codd. MSS. Lips. 1. 2. Dresd. 2. *haut* exhibentium praestare puto. Cf. Lib. XVII. Cap. 1. §. 11. sub finem.

CORRIGENDA.

P. 5. in T. l. 6. *nihil — inventionibus.* Parentheseos signis haec includenda erant.
— — l. 19. *librorum:* scribendum pro *librorum,*
P. 6. in N. l. 4. 5. *reliqui tamen — inserviat.* Haec delenda sunt.
P. 10. in N. l. 10. *emitti* scrib. pro *omitti.*
P. 16. in T. l. 3. *δύο* scrib. pro *δύω.*
P. 22. in T. l. 17. *λιγαῖα* scrib. pro *λιγαία.*
P. 23. in N. l. 9. *quoque.* scrib. pro *quoque* omisso puncto.
P. 24. in N. l. 4. *addita* scrib. pro *addicta.*
P. 30. in N. l. 10. *d* scrib. pro *de.*
P. 31. in N. l. 2. a fine *habeant* scrib. pro *habent.*
P. 32. in N. l. 4. *propositae* scrib. pro *praepositae.*
P. 34. in T. l. 13. *etiam* delendum est.
P. 35. in T. l. 16. } *καλλιχόρον* scrib. pro *καλλιχώρον.*
ib. in N. l. 9. }
ib. in N. l. 14. *aliique* scrib. pro *aliisque.*
P. 37. in N. l. 8. *omittunt* scrib. pro *omittit.*
P. 38. in N. l. 13. *non* expunge post *potuit.*
P. 40. in T. l. 10. *ϝήμις* scrib. pro *ϝημιν.*
P. 47. in T. l. 2. a f. } *ἴστρος* scrib. pro *ἴστρος.*
ib. in N. l. 8. a f. }
P. 50. in N. l. 1. vs. 290. scrib. pro vs. 711.
ib. — l. 4. vs. 297. scrib. pro vs. 260.
P. 51. in N. l. 4. Ante *maculas* adde *vulgo.*
P. 54. in N. l. 4. *deleta* scrib. pro *deletum.*
P. 56. in T. l. 6. a fine } *in has, vocales* scr. pro *in has. Vocales.*
ib. in N. l. 7. a f. }
P. 78. in N. l. 25. *Maro* scrib. pro *Marco.*
P. 81. in N. l. 14. *Lips.* 3. scrib. pro *Lips.* 1.

P. 88. in N. l. 6. a fin. vs. 265. scrib. pro vs. 260.
ib. ib. *Idem in eodem.* Adde *vs.* 203.
P. 91. in N. l. 14. *antecedens* scrib. pro *sequens.*
P. 99. in T. l. 1. Hunc locum corrige ita: *fuscina a fisco, an fuscina* rel.
P. 104. in T. l. ult. *curae*, scrib. pro *curae?*
P. 105. in N. l. 4. vss. 428. 29. scr. pro vss. 433. 34.
P. 112. in T. l. 5. } *Didascalicon* scrib. pro *Didascalion.*
ib. in N. l. 7. }
P. 114. in T. l. 3. a fin. *sequitur; superlativus* scrib. pro *sequitur. Superlat.*
P. 129. in N. l. 19. Cap. 43. scrib. pro Cap. 45.
P. 136. in N. l. 4. a fine *ponunt* scrib. pro *ponentes.*
P. 140. in N. l. 2. a fin. *non potui* scr. pro *non potui non.*
P. 161. in T. l. 3. a fin. *bubuleus* scr. pro *bubulcua.*
ib. in N. l. 6. *gnatis* scr. pro *gnatit.*
P. 171. in N. l. 12. vs. 407. scr. pro vs. 415.
P. 185. in N. l. 12. vss. 638. 39. scrib. pro vss. 642. 43.
P. 193. in T. l. 6. a fin. *celox; species est navis.* scr. pro *celox.*
P. 195. in T. l. 5. *Adipis* scrib. pro *Adips.*
P. 195. in N. l. 12. a fine *facit* scrib. pro *faciunt.*
P. 196. in T. l. 15. *Hiperionis* scr. pro *Hyperionis.*
P. 198. in T. l. 7. *numerorum* scr. pro *numeorum.*
P. 199. in T. l. 7. Post *vero* pone comma.
P. 203. in T. l. 6. a fin. Post *magnanimitas* tolle comma et pone post *dicam.*
P. 216. in N. l. 5. *lectio* furca expellendum est.
P. 224. in N. l. 4. a fin. vs. 287. scrib. pro vs. 605.
P. 225. in N. l. 12. *κρομμυοπώλης* scr. pro *κρομμυοπώδης.*
P. 229. in N. l. 8. *quaque* scrib. pro *quoque.*
P. 232. in T. l. 8. *Corpore* scrib. pro *Cordore.*
P. 238. in T. l. 19. *Dexo* scrib. pro *Dexto.*
P. 254. in N. l. 1. vss. 585. 86. scr. pro 587. 88.
P. 258. in N. l. 1. Post *Codicum* insere *lectio.*
P. 262. in N. l. 6. a fin. *poterat* scrib. pro *poteret.*
P. 265. in N. l. 8. *Λαφοπάφων* scrib. pro *Λαφονάφων.*
P. 269. in N. l. 5. a fin. *versavi* scr. pro *versari.*
P. 274. in T. l. 2. *declinaverunt* scr. pro *declinavere.*
ib. ib. l. 19. Post *veteriorem* delendum est comma.
ib. ib. l. 12. Post *decore* dele comma.
P. 284. in T. l. 3. a fin. Post *frux* pon. est comma pro?
P. 301. in N. l. ult. 415. 16. scrib. pro 359. 60.

P. 303. in N. l. 9. Post *Codd.* insere *auctoritate.*
P. 308. in N. l. ult. 608 — 10. scrib. pro 549. 50.
P. 323. in N. l. pen. 285. scribendum pro 294.
P. 338. in N. l. pen. 845. 46. scrib. pro 834. 35.
P. 342. in N. l. pen. 356. 57. scrib. pro 352. 53.
ib. ib. *Stat.* IV. vs. 475. scr. pro *Stat.* III. *v. Ind.*
P. 384. in T. l. 3. a fine *deficio* scr. pro *defio.*
P. 407. in T. l. 5. a fine *revocato sanguine* scr. pro *revocato a sanguine.*
P. 411. in T. l. 11. *persentisceres* scrib. pro *praesentisceres.*
ib. ib. *ne* scrib. pro *nec.*
ib. in T. l. ult. *me* pone post *vestri.*
P. 415. in T. l. 7. a fine delend. *dixerit.*
P. 432. in N. l. 3. 596. scrib. pro 496.
P. 453. in T. l. 9. *lavis* scrib. pro *lavit.*
ib. in N. l. 2. *tertiae — conjugationis* scrib. pro *tertiae — declinationis.*
P. 454. in T. l. 5. *Alcyonae* scrib. pro *Alcyones.*
P. 456. in T. l. 3. *Quam non e* scrib. pro *Et quam non.*
P. 475. in N. l. ult. 413. scrib. pro 314.
P. 478. in N. l. 3. vs. 539. scrib. pro vs. 549.
P. 494. in N. l. 5. 6. Corrige ita: Stat. VIII. vs. 256. IX. vs. 299. IV. vs. 428. Stat. II. vs. 36.
P. 502. in N. l. 2. *Buc.* I, 74. scrib. pro *Buc.* IX, 50.

PRISCIANI GRAMMATICI

INSTITVTIONVM GRAMMATICARVM

VOLVMEN MAIVS

CONTINENS

LIBROS SEDECIM PRIORES.

PROOEMIVM.

Cum omnis eloquentiae doctrinam et omne studio- 1
rum genus, sapientiae luce praefulgens, a Graecorum fontibus derivatum, Latinos proprio sermone invenio celebrasse, et in omnibus illorum vestigia liberalibus consecutos artibus video: nec solum quae emendate ab illis sunt scripta, sed etiam quosdam errores eorum, amore doctorum deceptos imitari, in quibus maxime vetustissima grammatica ars arguitur peccasse: cujus

---

Inscriptionem epistolarem, *Juliano, Consuli ac Patricio, Priscianus S. D.* quam libri editi in fronte gerunt, cum ne unus quidem Codicum meorum exhibeat, delendam esse censui. Nec eam desideratam iri puto. Nam sub finem prooemii auctor Julianum compellat, omnesque honorum ejus titulos apponit, ita ut inscriptione non opus sit.

§. 1. *Nec solum.* Vulgo, *nec in his solum.* MS. Zwicc. 2. *nec solum in his.* Omittunt *in his* Codd. MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. Erl. 1. Lips. 1. 2. Hos secutus delevi. Nihil enim habes in apodosi, quo referas haec verba. Opponuntur *errores quosdam* et *quae emendate sunt scripta.* Ponendum certe erat *in eis*, quam lectionem unus meorum Codd. Erl. 2. exhibet. Vides igitur et scripturam et sedem hujus lectionis incertam esse, quod e glossemate ortam eam esse docet.

amore doctorum. Omisi *Graecorum*, quod in libris editis τῷ *doctorum* praeponitur. Primum enim propter antecedens *eorum* ferri nequit, deinde, quod plurimum valet, abest a MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Ed. Ald.

vetustissima grammatica ars. Ita duorum Codicum Luth. scilicet et Heidelb. auctoritate edidi. Vulgo, ut et Putschius scripsit, *vetustissima aetas grammatica in arte.* Mira est in his verbis

auctores, quanto juniores, tanto perspicaciores, et ingeniis floruisse, et diligentia valuisse omnium judicio
2 confirmantur eruditissimorum. Quid enim Herodiani artibus certius? Quid Apollonii scrupulosis quaestionibus enucleatius possit inveniri? Cum igitur eos omnia fere vitia, quaecunque antiquorum commentariis sunt relicta artis grammaticae, expurgasse comperio, certisque rationis legibus emendasse; nostrorum autem neminem post illos imitatorem eorum extitisse, quippe in negligentiam cadentibus studiis literarum, propter inopiam scriptorum: quamvis audacter, sed non impudenter, ut puto, conatus sum pro viribus, rem arduam quidem, sed officio professionis non indebitam, supra nominatorum praecepta virorum, quae congrua sunt visa, in latinum transferre sermonem: collectis etiam omnibus fere, quaecunque necessaria nostrorum quoque inveniuntur artium commentariis grammaticorum, quod gratum fore credidi temperamentum, si ex utriusque linguae moderatoribus elegantiora in unum coeant cor-
3 pus, meo faciente labore. Quia nec vituperandum me esse credo, si eos imitor, qui principatum inter scri-

---

referendis Codicum varietas. Alii *aetas*, alii *in*, meliores utrumque omittunt. Erl. 1. *aetas arte* uncis inclusit, et omisit *in*. Edd. Ven. 1. 2. nodum gladio solverunt, exhibentes: *vetustissimi grammatica in arte arguuntur* rel. Equidem receptam lectionem simplicissimam, eandemque reliquarum matrem esse, persuasum habeo. *Ars* enim cum metonymice pro artis scriptoribus durius posita esse videretur, glossator, ut dictionem vel minus commodam corrigeret vel difficilem explicaret, commoveri facile potuit. Mox post *juniores* delevi *sunt* Codicum duorum auctoritate.

Confirmantur. Vulgo, *confirmatur*. Equidem MSS. Zwicc. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. Erl. 2. secutus, lectionem diligentiae Grammatici apprime convenientem restitui.

§. 2. *antiquorum*. Quod in editionibus Ald. Bas. Colon. additum legitur *Graecorum*, id jam Putschius ut ineptum glossema expunxit, et mei quidem Codices omnes omittunt.

ptores Graios artis grammaticae possident, cum veteres nostri in erroribus etiam, ut dictum est, Graecos aequiparantes, maximam tamen sunt laudem consecuti. Exemplum etiam proponere placuit, ne pigeat alios etiam a me vel ignorantia forte praetermissa, vel vitiose dicta, nihil enim ex omni parte perfectum in humanis esse credo posse inventionibus, sua quoque industria ad communem literatoriae professionis utilitatem congruâ rationis proportione vel addere vel mutare tractantes. Namque festinantius quam volui hos edere me libros compulerunt, qui alienis laboribus insidiantes, furtimque et quasi per latrocinia scripta aliis surripientes, unius nominis ad titulum pertinentis infanda mutatione, totius operis in se gloriam transferre conantur. Sed 4 quoniam in tanta operis materia impossibile est aliquid perfectum breviter exponi, spatii quoque veniam peto, quamvis ad Herodiani scriptorum pelagus, et ad ejus patris Apollonii spatiosa volumina, meorum compendiosa sunt existimanda scripta librorum, hujus tamen Te operis hortatorem sortitus, judicem quoque facio, Juliane, Consul ac Patricie, cui summos dignitatis gradus summa acquisivit in omni studio ingenii claritudo, non tantum accipiens ab excelsis gradibus honorum pretii, quantum illis decoris addens tui, cujus mentem tam Homeri credo quam Virgilii animam constare, quo-

---

§. 3. *esse credo posse inventionibus.* Transposui verba vulgo sic structa: *inventionibus esse posse credo*, Codicum auctoritate Zwicc. 1. Lips. 1. 2. Erl. 1. Dresd. Luth. eo fidentius, quod artificiosiorem verborum structuram a Nostro amari sexcenti loci docent. Vide e. g. §. 2. hujus prooemii: *quaecunque necessaria nostrorum quoque inveniuntur artium commentariis grammaticorum.* Semel monuisse sufficiat.

aliis surripientes. Putschius cum caeteris *ab aliis.* Omittunt praepositionem MSS. Luth. Heidelb. Dresd. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 3. Mox *in se gloriam* pro *gloriam in se* posui auctoritate MSS. Luth. Dresd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 3. Heidelb.

rum uterque arcem possederat musicae, te tertium ex utroque compositum esse confirmans, quippe non minus Graecorum quam Latinorum in omni doctrinae genere praefulgentem. Tibi ergo hoc opus devoveo, omnis eloquentiae praesul, ut quantamcunque mihi deus annuerit suscepti gloriam laboris, Te comite, quasi sole quodam, dilucidius crescat. Titulos etiam universi operis per singulos supposui libros, quo facilius, quicquid ex iis quaeratur, discretis possit locis inveniri.

Primus liber continet de voce et ejus speciebus. De litera; quid sit litera; de ejus generibus et speciebus; de singularum potestate, quae in quas transeunt per declinationes vel compositiones partium orationis.

Secundus de syllaba; quid sit syllaba; quot literis constare potest, et quo ordine, et quo sono. De accidentibus singulis syllabis. De dictione; quid sit dictio; quae ejus differentia ad syllabam. De

---

§. 4. *possederat.* Haec est lectio MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Vulgo, *possedit.* Sed cum *possidere* occupare etiam significet, plusquamperfectum recte poni videtur.

ego confirmans. Potiores Codices omnes omittunt *ego*; reliqui tamen hanc vocem, cum ambiguitati tollendae inserviat. Mox pro *igitur* scripsi *ergo*, non solum quod hoc Codicum consensu commendatur, sed etiam quod arctius sequentia cum antecedentibus nectit.

supposui. Ita Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Erl. 1. 2. Vulgo *posui.*

§. 5. *quae in quas.* Vulgo *quae et in quas.* Plures quidem libri manu scripti tuentur *et*, nonnulli tamen recte, puto, omittunt. In his sunt Erl. 1. 2. Luth. Zwicc. Loqui sic solet Priscianus. MS. Heidelb. *quae vel in quas.*

vel compositiones. MSS. Lips. 1. 2. Heidelb. Erl. 1. 2. Luth. Zwicc. 1. *vel.* Vulgo, *et.* Sequentia *partium orationis* omittunt MSS. Luth. Erl. 1. nec tamen, propter frequentiam tuentium, in quibus et Cod. Heidelb. est, sollicitare ausus sum.

oratione: quid sit oratio; quot ejus partes; de earum proprietate. De nomine; quid sit nomen; de accidentibus ejus; quot sunt species propriorum nominum; quot appellativorum; quot adjectivorum. De patronymicis; quot eorum formae; quomodo derivantur, ex quibus primitivis. De diversis possessivorum terminationibus, et eorum regulis.

Tertius de comparativis et superlativis, et eorum diversis extremitatibus; ex quibus positivis, et qua ratione formantur. De diminutivis; quot eorum species, ex quibus declinationibus nominum, quomodo formantur.

Quartus de denominativis et verbalibus, et participialibus, et adverbialibus; quot eorum species, ex quibus primitivis, quomodo nascuntur. 6

Quintus de generibus dignoscendis per singulas terminationes. De numeris. De figuris, et earum compage. De casu.

---

quot ejus partes. Vulgo, *quot sunt ejus partes.* At vero cum *sunt* a MSS. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 2. 3. absit, ego etiam omisi. Noster omittere solet. cf. §. 6. *quot eorum species*, ubi nullus meorum Codicum *sunt* refert, praeter MS. Lips. 1. in quo supra scriptum est. Addunt libri editi post *proprietate*, *et de ordinatione*, quod MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. Erl. 2. Edd. Ven. 1. 2. ignorant. MS. Lips. 3. *vel ordinatione*. Erl. 1. post sequens *de nomine* addit *et ordinatione*. Vel sedes varia ostendit glossema. In MS. Lips. 1. post *proprietate* haec leguntur: *h. e. pronomen, nomen, cognomen et agnomen.*

de accidentibus ejus. Ita MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 2. 3. Erl. 2. Vulgo *ei*, quod e correctione ortum videtur.

ex quibus primitivis. Auctoritate MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. Dresd. pro vulgato *et* substitui *ex*. Nam *et* e correctione ortum esse docet MS. Lips. 1. in quo super *ex* ab eodem librario scriptum est *et ex*, quam lectionem Codex etiam Erl. 1. exhibet. cf. §. 6. *quot eorum species, ex quibus primitivis.*

§. 6. *et earum compage.* MS. Zwicc. 2. *et earum compositione.*

Sextus de nominativo casu per singulas extremitates omnium nominum, tam in vocales quam in consonantes desinentium, per ordinem. De genitivorum tam ultimis quam penultimis syllabis.

Septimus de caeteris obliquis casibus, tam singularibus quam pluralibus.

Octavus de verbo, et ejus accidentibus.

Nonus de regulis generalibus omnium conjugationum.

Decimus de praeterito perfecto.

Vndecimus de participio.

Duodecimus et tertiusdecimus de pronomine.

Quartusdecimus de praepositione.

Quintusdecimus de adverbio, et interjectione.

Sextusdecimus de conjunctione.

Septimusdecimus et octavusdecimus de constructione sive ordinatione partium orationis inter se.

---

de regulis omnium conjugationum. His libri quidem impressi adjiciunt: *et praeterito perfecto primae et secundae conjugationis;* scripti vero plerique omittunt, ut Dresd. Heidelb. Lips. 2. 3. Zwicc. 1. Luth. nisi quod hic ab alia manu haec supra scripta exhibet. MS. Zwicc. 2. *de regulis generalibus primae conjugationis et secundae.* Lips. 1. omittit *et secundae.* Ex hac lectionis ratione apparet, e glossemate vel interpolatione nata esse haec verba. Expellenda ergo censui.

Decimus de praeterito perfecto. Edd. Ald. Ven. Bas. Colon. Putsch. adjiciunt: *tertiae conjugationis et quartae.* Absunt haec a MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Lips. 2. MS. Erl. 1. *tertiae et quartae conjugationis.* Erl. 2. *tertiae conjugationis* omisso *quartae.* Vides, haec etiam glossatori deberi.

de participio. MS. Luth. addit: *cum suis accidentibus.*

sive ordinatione. Nonnulli Codicum meorum *ordine.* Retinui lectionem vulgatam auctoritate MSS. Heidelb. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. Quod Codices aliquot exhibent *de* ante *ordinatione*, repudiavi Codicum praestantissimorum jussu.

partium orationis inter se. His subjiciunt Edd. Ven. 1. 2. Ald. Bas. Colon. Putsch. *in contextu orationis ejusdem.* Quae, cum absint a MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. ego etiam recte, puto, omisi.

LIBER PRIMVS.

Philosophi definiunt, vocem esse aërem tenuissimum ictum, vel suum sensibile aurium, id est, quod proprie auribus accidit. Et est prior definitio a substantia sumpta; altera vero a notione, quam Graeci ἐννοιαν dicunt, hoc est, ab accidentibus. Accidit enim voci auditus, quantum in ipsa est. Vocis autem differentiae sunt quatuor: articulata, inarticulata, literata, illiterata. Articulata est, quae coarctata, hoc est, copulata cum aliquo sensu mentis ejus, qui loquitur, profertur. Inarticulata est contraria, quae a nullo proficiscitur affectu mentis. Literata est, quae scribi potest; illiterata, quae scribi non potest. Inveniuntur igitur quaedam voces articulatae, quae possunt scribi, et intelligi, ut *Arma virumque cano.* Quaedam, quae non possunt scribi, intelliguntur tamen, ut sibili hominum et gemitus: hae enim voces, quamvis sensum aliquem significent proferentis eas, scribi tamen non possunt. Aliae autem sunt, quae, quamvis scribantur, tamen inarticulatae dicuntur, cum nihil significent, ut coax, cra. Aliae

Cap. I. §. 1. *definiunt.* Ita MSS. Heidelb. Luth. aliique. Plures *diffiniunt*, qui et *diffinitio* pro *definitio* exhibent.

a nullo affectu proficiscitur mentis. Hunc verborum ordinem tuentur MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 3. Zwicc. Dresd. Vulgo, *a nullo proficiscitur affectu mentis.*

quae possunt scribi. Auctoritate MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. omisi *et* ante *quae* et *possunt* posui ante *scribi.* Pro *intelligi* MS. Heidelb. aliique *intellegi.*

intelliguntur tamen. His addit MS. Lips. 1. haec: *ab ipsis qui proferunt eas.* Eadem fere nota interlineari MS. Erl. 1. *ab his qui proferunt eas.*

§. 2. *Aliae autem.* Pro vulgato *vero* recepi e MSS. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 3. *autem.*

nihil significent. Duo meorum Codd. *significant.*

coax, cra. Edd. Ven. Ald. Bas. Colon. Putsch. haec subjiciunt: *Hae*

vero sunt inarticulatae et illiteratae, quae nec scribi possunt nec intelligi, ut crepitus, et mugitus, et similia. Scire autem debemus, quod has quatuor species vocum perficiunt quatuor superiores differentiae generaliter voci accidentes, binae per singulas invicem coeuntes. Vox autem dicta est vel a vocando, ut dux a ducendo, vel ἀπὸ τοῦ βοᾶν, ut quibusdam placet.

II 3 Litera est minima pars vocis compositae, hoc est, quae constat ex compositione literarum: minima autem, quantum ad totam comprehensionem vocis literatae; ad hanc enim etiam productae vocales brevissimae partes inveniuntur: vel quod omnium est brevissimum eorum, quae dividi possunt, id quod dividi non potest. Possumus et sic definire: litera est vox, quae scribi

---

enim voces, quamquam intelligimus, de qua sint volucre profectae, tamen inarticulatae dicuntur, quia vox, ut superius dixi, inarticulata est, quae a nullo affectu mentis proficiscitur. Insulsum glossema! Nos quidem expulimus. Primum quod absurda esse patet; deinde quod absunt haec omnia a MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. denique quod in aliis aliter leguntur. MS. Erl. 1. Edd. Ven. *eas enim voces — de quo — ut diximus — effectu* rel. Lips. 1. omittit *mentis*. Lips. 3. *animali* pro *volucre*. Recte quidem hoc; nam vel trimus puer scit, vocem coax non a volucre omitti. Sed quis tales nugas emendet?

aliae vero. Inserui *vero* e MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd.

ut crepitus. Vulgo *strepitus*. Illud auctoritate MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 2. recepi. Adde, quod *crepitus* sequenti *mugitus* multo magis respondet, quam *strepitus*. Haec enim vox est generalis, illa specialis, distinctosque certarum rerum sonos denotat. Erl. 1. exhibet *strepitus* supraque scriptum est *vel crepitus quod est cantus ciconiae*.

et similia. Vulgo *et his similia* contra usum Prisciani. Recte igitur Codices mei ad unum omnes omittunt *his*.

ἀπὸ τοῦ βοῶ. Vulgo, *ἀπὸ τοῦ βοάω βοῶ*. Equidem auctoritatem MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Zwicc. 2. secutus omisi *βοάω*.

§. 3. *hoc est, quae constat ex compositione*. Quod libri editi ante *quae* ponunt *vocis*, id, cum absit a MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. omittendum esse duxi. MS. Dresd. *vox*. Ante *compositione* adjeci *ex* suadentibus Codicibus et usu Nostri.

quantum ad totam. Libri impressi: *quantum pertinet ad totam*. Recte Codices mei omittunt *pertinet*, nam scribere ita solet Priscianus, quod, si opus esset, innumera locorum multitudine confirmare possem.

potest individua. Dicitur autem litera vel quasi legitera, quod legendi iter praebeat: vel a lituris, ut quibusdam placet, quod plerumque antiqui in ceratis tabulis scribere solebant. Literas autem etiam elementorum 4
vocabulo nuncupaverunt, ad similitudinem mundi elementorum. Sicut enim illa coeuntia omne perficiunt corpus, sic etiam hae conjunctae literalem vocem, quasi corpus aliquod, componunt, vel magis vere corpus. Nam si aër corpus est, et vox, quae ex aere ictu constat, corpus esse ostenditur; quippe cum et tangit aurem, et tripartito dividitur, quod est suum corporis, hoc est in altitudinem, latitudinem, longitudinem, 3
unde ex omni parte potest audiri. Praeterea tamen singulae syllabae altitudinem quidem habent in tenore, crassitudinem vero vel latitudinem in spiritu, longitudinem in tempore. Litera igitur est nota elementi, et velut imago quaedam vocis literatae, quae cognoscitur ex qualitate et quantitate figurae linearum. Hoc ergo interest inter elementa et literas, quod elementa proprie dicuntur ipsae pronuntiationes: notae autem earum literae. Abusive tamen et elementa pro literis, et literae pro elementis vocantur. Cum enim dicimus non 5
posse constare in eadem syllaba r ante p, non de literis dicimus, sed de pronuntiatione earum: nam, quantum ad scripturam, possunt conjungi, non tamen enuntiari, nisi postposita r. Sunt igitur figurae literarum quibus

---

quasi legitera, quod. Post *legitera* inserunt libri vulgati *eo*, quod in MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Zwicc. aliisque non reperitur.

scribere solebant. Addunt Edd. Ven. Ald. Bas. Colon. Putsch. *et postea delere.* Ignorant haec MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Erl. 1. Unus Erl. 2. exhibet. Equidem non solum propter consensum Codicum expungendum hoc glossema esse duxi, sed etiam, quod sententiae auctoris aperte repugnat. Ille enim *literam* a *linere* propterea derivari vult, quod in *ceratis tabulis* sive *tabulis cera litis* scribere antiqui soliti sint. Litera igitur ex mente Prisciani aut ipsam tabulam cera litam aut notas tabulae ceratae inscriptas vel illitas significat. Ergo non a *lere* vel *delere* derivanda haec vox est.

§. 4. *vel latitudinem.* Pro vulg. *et* recepi e MSS. Luth. Heidelb. aliisque *vel.*

§. 5. *postposita r.* Addunt libri impressi omnes, scriptorum plurimi, *ut princeps.* Omittunt haec Codices praestantissimi Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Hos secutus ego etiam textu movi. MS. Lips. 1. *ut in princeps.* Zwicc. 1. *postposita r sit.*

nos utimur xxiii. Ipsae vero pronuntiationes earum multo ampliores. Quippe cum singulae vocales denos inveniantur sonos habentes, vel plures, ut puta a litera brevis quatuor habet soni differentias, cum habet aspirationem et acuitur vel gravatur: et rursus cum sine aspiratione acuitur vel gravatur, ut habeo habemus, abeo abimus. Longa vero eadem sex modis sonat: cum habet aspirationem et acuitur vel gravatur vel circumflectitur, ut hamis hamorum hamus. Et rursus cum sine aspiratione et acuitur vel gravatur vel circumflectitur, ut arae ararum ara. Similiter aliae vo-
6 cales possunt proferri. Praeterea tamen i, et u, vocales, quando mediae sunt, alternos inter se sonos videntur confundere, teste Donato, ut vir, optumus, quis. Et i, quidem, quando post u consonantem loco digamma functam Aeolici ponitur brevis, sequente d, vel m, vel r, vel t, vel x, sonum y Graecae videtur habere, ut video, vim, virtus, vitium, vix. V autem quamvis contractum, eundem tamen, hoc est y, habet sonum, inter q et e, vel i, vel ae diphthongum positum, ut que, quis, quae. Nec non inter g et easdem
7 vocales, cum in una syllaba sic invenitur, ut pingue, sanguis, linguae. In consonantibus etiam sunt differentiae plures, transeuntium in alias, et non transeuntium: quippe diversae sunt potestatis.

III Accidit igitur literae nomen, figura, potestas. No-
7 men, velut a, b. Et sunt indeclinabilia tam apud Graecos elementorum nomina, quam apud Latinos: sive

---

sonos habentes. Ita Codd. plerique. Vulgo *habentes sonos.* Aliquot meorum Codd. *habere*, e correctione, puto.

§. 6. *ut vir, optumus, quis.* Vulgo, *t ut vir, u ut optumus.* Nos auctoritatem MSS. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. Dresd. secuti expunximus *i ut — u; ut* et adjecimus *quis.*

hoc est y, habet sonum. Ita Codd. Vulgo, *sonum hoc est y habet.*

digamma functam. Post *digamma* delevi Codicum jussu signum digamma Aeolici.

in alias. Addunt libri impressi *consonantes*, quam vocem, a MSS. Heidelb. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. damnatam, omisi.

§. 7. *Accidit.* Plures Codd. *accidunt.* MS. Lips. 3. *accidunt igitur literae tria.* MS. Erl. 2. *literis* pro *literae.*

velut a, b. Edd. Ven. 1. 2. Bas. Ald. Colon. Putsch. *veluti a b c.* Receptam lectionem tuentur MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Heidelb.

quod a barbaris inventa dicuntur: sive quod simplicia haec et stabilia esse debent, quasi fundamentum omnis doctrinae immobile: sive quod nec aliter apud Latinos poterant esse, cum a suis vocibus vocales nominentur; semivocales vero in se desinant; mutae a se incipientes vocali terminentur: quas si flectas, significatio quoque nominum una evanescit. Vocales igitur (ut dictum est) per se prolatae nomen suum ostendunt. Semivocales vero ab e incipientes, et in se terminantes, absque x, quae ab i incipit per anastrophen Graeci nominis xi, quia necesse fuit, cum sit semivocalis, a vocali incipere, et in se terminare: quae, novissime a Latinis assumpta, post omnes ponitur literas, quibus latinae dictiones egent: quod autem ab i incipit ejus nomen, ostendit etiam Servius in commento quod scribit in Donatum his verbis: *Semivocales sunt septem, quae ita proferuntur, ut inchoent ab e litera, et desinant in naturalem sonum, ut ef, el, em, en, er, es, ix. Sed ix ab i inchoat.* Id etiam Eutropius confirmat dicens: *Una duplex x, quae ideo ab i incipit, quia apud Graecos in eandem desinit.* Mutae autem a se incipientes, et in vocalem e desinentes, exceptis q et k, quarum altera in u, altera in a finitur, sua conficiunt nomina. H 8

---

apud Latinos poterant esse. Edd. Ven. 1. 2. Ald. Bas. Colon. Putsch. *poterat.* Libri vero scripti omnes pluralem pro singulari exhibent. MS. Zwicc. 2. addit *nisi indeclinabilia*, ex quo claro apparet, recte pluralem habere.

in se desinant. Plures Codd. *desinunt.*

mutae a se. Vulgo, *mutae autem a se.* Omisi *autem* auctoritate Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Pro *terminentur* nonnulli Codd. *terminantur.*

quae ab i incipit. Vulgo, *quae sola.* Abest haec vox a MSS. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2.

quae novissime. Expuli Codicum jussu *x*, quae litera post *quae* vulgo additur.

in commento quod scribit. MSS. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Lips. aliique *scribit* pro vulgato *scripsit.* Ergo recepi lectionem difficiliorem.

Semivocales sunt septem. Hunc verborum ordinem tuentur MSS. plerique. Vulgo, *Septem sunt semivocales.*

ef, el, em, en, er, es, ix. Ita Codd. pro f, l, m, n, r, s, x. Mox *ix* auctoritate praestantissimorum Codd. edidi pro x.

§. 8. *exceptis q et k.* Vulgo, *k et q.* Ergo in proxime sequentibus *altera in u, altera in a*, inverso vocalium ordine, auctoritate MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. edidi.

enim aspirationis magis est nota. Figurae accidunt quas videmus in singulis literis. Potestas autem ipsa pronunciatio, propter quam et figurae et nomina facta sunt. Quidam addunt etiam ordinem, sed pars est potestatis literarum. Ex his vocales dicuntur, quae per se voces perficiunt, vel sine quibus vox literalis proferri non potest, unde et nomen hoc praecipue sibi defendunt. Caeterae enim, quae cum his proferuntur, consonantes appellantur. Sunt igitur vocales numero quinque, a e i o u. Utimur autem etiam y vocali Grae-
9 corum causa nominum. Consonantium autem aliae sunt semivocales, aliae mutae. Semivocales sunt, ut plerisque Latinorum placuit, septem, f l m n r s x. Sed f multis modis ostenditur muta magis, de qua post docebimus. Z quoque utimur in Graecis dictionibus. Hae ergo, hoc est, semivocales, quantum vincuntur a vocalibus, tantum superant mutas. Ideo apud Graecos quidem omnes dictiones vel in vocales vel in semivocales, quae secundam habent euphoniam, desinunt, quam nos sonoritatem possumus dicere: apud Latinos autem ex maxima parte, non tamen omnes. Inveniuntur enim quaedam etiam in mutas desinentes. Semivocales autem sunt appellatae, quae plenam vocem non habent, ut semideos et semiviros appellamus, non qui dimidiam partem habent deorum vel virorum, sed qui pleni dii
10 vel viri non sunt. Reliquae sunt mutae, ut quibusdam videtur, numero novem, b c d g h k p q t. Et sunt, qui non bene hoc nomen putant eas accepisse, cum hae quoque pars sint vocis: qui nesciunt, quod ad comparationem bene sonantium ita sint nominatae, velut in-

---

magis est nota. Quod libri editi subjiciunt: *quam sit litera*, frustra requisivi in MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. *magis* saepenumero absolute ponitur a Nostro, apud quem significat profecto, potius vel tale quid.

Potestas autem. Pro vero MSSti mei *autem* restitui jusserunt. Mox *addunt etiam* pro *etiam addunt.*

Utimur autem etiam y vocali. Vulgo, *utimur etiam y. autem* praestant Codd. mei omnes, et sensus hanc particulam requirit. *vocali* addidi e duobus Codd. quamvis non desideres, si absit.

§. 10. *hae quoque pars sint.* Vulgo, *partes.* Sunt quidem nonnulli Codd. qui hanc lectionem tueantur, sed e correctione, puto, ut videre est e MS. Zwicc. 2. Receptam praestant MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. Lips. 2. 3.

ita sint scripsi pro *sunt*, quod grammaticae leges et praestantissimi

formis dicitur mulier, non quae caret forma, sed quae male est formata: et frigidum dicimus eum, qui non penitus expers est caloris, sed qui minimo hoc utitur. Sic igitur etiam mutas, non quae omnino voce carent, sed quae exiguam partem vocis habent. Vocales etiam apud Latinos omnes sunt ancipites vel liquidae, hoc est quae facile, modo produci, modo corripi possunt: sicut etiam apud antiquissimos erant Graecorum ante inventionem η et ω, quibus inventis ε et ο, quae ante ancipites erant, remanserunt perpetuo breves, cum earum productarum loca possessa sunt a supradictis vocalibus semper longis. Sunt etiam in consonantibus longae, ut 11
puta duplices x et z. Sicut enim longae vocales, sic hae quoque longam faciunt syllabam. Sunt similiter ancipites vel liquidae, ut l et r, quae modo longam, modo brevem post mutas positae in eadem syllaba faciunt syllabam. His quidam addunt non irrationabiliter m et n: quia ipsae quoque communes faciunt syllabas post mutas positae, quod diversorum confirmatur auctoritate tam Graecorum, quam Latinorum. Ovidius in decimo Metamorphoseon: *Piscosamque Gnidon, gravi-*

Codd. damnant, Lutherius scilicet, Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2.

qui non penitus. Haec est lectio Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. In libris editis perperam legitur: *non qui.* Nam aut delendum est pronomen demonstrativum *eum*, aut, ut Codices jubent, scribendum. Bene habent antecedentia: *informis dicitur mulier, non quae*, et sequentia: *sic igitur etiam mutas, non quae.* In his e Codd. Heidelb. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 2. 3. inserui *etiam.*

perpetuo breves. Edd. Ald. Bas. Colon Putsch. *perpetuae.* Adverbium praestant MSS. Heidelb. Zwicc. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Luth. Lips 3. Ed. Ven. 2. *perpetue.*

possessa sunt. Vulgo, *sint.* Constans in editis libris est apud Nostrum indicativi et subjunctivi confusio. Difficile sane interdum hac de re est judicium. Hoc tamen tam certum est, quam quod certissimum, Priscianum conjunctioni *cum* indicativum millies adjunxisse. Hoc quidem loco MSS. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 2. 3. unanimi consensu exhibent *sunt.*

§. 11. *Sunt similiter.* Addunt libri editi *in consonantibus.* Omittunt haec MSS. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. utroque intelligitur, a correctore vel interpolatore addita esse

in eadem syllaba. Post *eadem* addunt tres meorum Codd. *quidem:* potiores omittunt omnes.

Ovidius in X. Metam. vs. 531.

damque Amathunta metallis. Euripides in Phoenissis: Ἰσότητ' ἔταξε κατ' ἀριθμὸν διώρισε. Idem in eisdem: Ἀπωλόμεσθα, δύω κακὼ σπεύδεις, τέκνον. Invenitur tamen m etiam ante n positum, nec producens ante se vocalem more mutarum. Callimachus: Τὼς μὲν ὁ Μνησάρχειος
V ἔφη ξένος ὧδε συναινῶ. Apud antiquissimos Graecorum
12 non plus sedecim erant literae, quibus ab illis acceptis Latini antiquitatem servaverunt perpetuam. Nam si verissime velimus inspicere eas, hoc est sedecim, non plus duas additas in Latino inveniemus sermone, F Aeolicum digamma, quod apud antiquissimos Latinorum eandem vim, quam apud Aeoles habuit; eum autem proprie sonum, quem nunc habet F, significabat p cum aspiratione: sicut etiam apud veteres Graecos pro φ p et h. Unde nunc quoque in Graecis nominibus antiquam scripturam servamus pro φ p et h ponentes, ut Orpheus, Phaethon. Postea vero in Latinis verbis placuit pro p et h, f, scribi, ut fama, filius, facio: loco autem digamma V pro consonante, quod cognatione

---

Euripides in Phoenissis. vs. 552. *ἰσότητ'* scripsi pro *ἰσότης*, illud enim exhibent MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Praeivit Putschius. In constituendo enim textu Prisciani non quaeri debet, quid scriptor allegatus vel scripserit vel scribere debuerit, sed quid Priscianus posuerit. Hoc autem e Codicibus discendum est. Eoque minus temere hanc scripsisse legem mihi videor, ut contextum auctorum allegatorum nihil curem, cum certum sit, Priscianum saexcenties aut memoria lapsum, aut vitiosis membranis usum esse. Quare mox *κατ' ἀριθμόν* edidi pro *κἀριθμόν*. Illam enim lectionem tuentur MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwicc.

Idem in eisdem. vs. 591. Adjeci e Codd. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 2. *idem*, quod in vulgatis libris desideratur. *ἀπωλόμεσθα* e MSS. Heidelb. Erl. 1. 2. Luth. aliisque, praeeunte Putschio, recepi pro *ἀπωλόμεθα*. Post *τέκνον* expuli auctoritate MSS. Codd. *apud Graecos.*

tamen m etiam. Inserui e MSS. *etiam.* Mox *positum* pro *posita* edere me jusserunt Codd. MSSi.

Callimachus. v. Ind. *ὧδε συναινῶ.* Ita e MSS. Heidelb. Luth. Zwicc. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Putschium secutus, dedi pro *ὤλεσεν αἰνῶν*, quod Edd. Ald. Bas. Colon. exhibent.

§. 12. *non plus sedecim.* Auctoritate Codd. omisi *quam.* Hanc eandem particulam eorundem librorum suasu mox post *non plus duas* textu movi.

eum autem proprie sonum. Ante *eum* omisi φ Codicum jussu. Deinde *proprie* restitui e MSS. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. Heidelb. pro vulgato *prope*, quod scripturae compendio natum est.

soni videbatur affinis esse digamma ea litera. Quare 13
cum f loco mutae ponatur, id est p et h sive φ, miror
hanc inter semivocales posuisse artium scriptores. Ni-
hil enim aliud habet haec litera semivocalis, nisi nomi-
nis prolationem, quae a vocali incipit. Sed hoc pote-
statem mutare literae non debuit. Si enim esset semi-
vocalis, necessario terminalis nominum inveniretur,
quod minime reperies: nec ante l vel r in eadem sylla-
ba poni posset, qui locus mutarum est duntaxat, nec
communem ante easdem posita faceret syllabam. Po-
stremo Graeci, quibus in omni doctrina autoribus uti-
mur, φ, cujus locum apud nos f obtinet, quod ostendi-
tur maxime in his dictionibus, quas a Graecis sumpsi-
mus, hoc est fama, fuga, fur, mutam esse confirmant.
Sciendum tamen, quod hic quoque error a quibusdam 14
antiquis Graecorum grammaticis invasit Latinos, qui φ
et ϑ et χ semivocales putabant, nulla alia causa, nisi
quod spiritus in eis abundet, inducti. Quod si esset
verum, debuit c quoque vel t, addita aspiratione, se-
mivocalis esse, quod omni caret ratione; spiritus enim
potestatem literae non mutat, unde nec vocales, addita
aspiratione, aliae fiunt, et aliae, ea dempta. Hoc tamen
scire debemus, quod non fixis labris est pronuntianda f,
quomodo p et h: atque hoc solum interest. X etiam du-
plicem loco c et s vel g et s, postea a Graecis inventam
assumpsimus. K enim et q, quamvis figura et nomine

---

affinis esse digamma. MS. Luth. *adfinis.* Ed. Ven. 1. *digammo.*

§. 13. *Sed hoc potestatem. Hoc* pro vulgato *haec* recepi e MSS. Zwicc. 1. Luth. Heidelb. Dresd. Erl. 2.

maxime in his. Ita Codd. Vulgo, *in his maxime.*

§. 14. *φ et ϑ et χ* Codd. pro vulg. *φ ϑ χ.*

quod non fixis labris. Vulgo, *quod non tam fixis. tam* omittunt MSS. Lips. 1. Heidelb. Zwicc. 1. Luth. Edd. Ven. 1. 2. Nec satis congrue *tam fixis* dici posse videtur. Vis enim vocis *fixus* non admittere videtur comparationem, cum *fixa labra* arctissime sint clausa. Denique ratio reddi potest, cur adjectum fuerit, quia scilicet sequens *quomodo* non absolute positum esse videretur. Luth. Cod. *tam* supra scriptum refert.

hoc solum interest. Addunt libri vulgati *inter f et ph.* Interpolatori haec debentur. MSS. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. haec omittunt vel supra scripta exhibent.

assumpsimus. Quae in libris impressis addita leguntur, *ut dux ducis, rex regis,* absunt a MSSis Codd. *a sequente, haec.* Pro hac auctoritate MSS. Luth. Heidelb. Dresd. reposui *haec.*

videantur aliquam habere differentiam, cum c tamen eandem, tam in sono vocum quam in metro, continent potestatem. Et k quidem penitus supervacua est: nulla enim ratio videtur, cur, a sequente, haec scribi debeat. Carthago enim et caput, sive per c, sive per k scribantur, nullam faciunt, nec in sono, nec in potestate ejus-
15 dem consonantis differentiam. Q vero propter nihil aliud scribenda videtur esse, nisi ut ostendat, sequens u ante alteram vocalem in eadem syllaba positam perdere vim literae in metro. Quod si ideo alia litera est existimanda quam c, debet g quoque, cum similiter praeponitur u amittenti vim literae, alia putari, et alia, cum id non facit. Dicimus enim anguis sicuti quis, et augur sicuti cur. Unde si velimus cum veritate contemplari, ut diximus, non plus decem et octo literas in Latino sermone habemus, hoc est, sedecim antiquas Graecorum, et f et x postea additas, et eas quoque ab eisdem sumptas. Nam y et z Graecorum causa, ut supra
16 dictum est, ascivimus nominum. H autem aspirationis est nota, et nihil aliud habet literae, nisi figuram, et quod in versu scribitur inter alias literas. Quod si sufficeret, ut elementum putaretur, nihilominus quorundam etiam numerorum figurae, quia in versu inter alias literas scribuntur, quamvis eis dissimiles sint, elementa sunt habenda. Sed minime hoc est adhibendum, nec aliud aliquid ex accidentibus proprietatem ostendit uniuscujusque elementi, quomodo potestas, qua caret aspiratio. Neque enim vocalis, neque consonans esse potest. Vocalis non est h, quia a se vocem non facit: nec semivocalis, cum nulla syllaba Latina vel Graeca per integras dictiones in eam desinit: nec muta, cum in eadem syllaba cum duabus mutis bis ponitur, ut Phthius, Erichthonius. Nulla enim syllaba plus dua-

---

§. 15. *positam.* Ita Codd. Vulgo, *positum.* Mox Codd. jussu exturbavi *q* ante *quam* et *eas* ante *cum veritate.* Assentiuntur Edd. Ven. Ald. nisi quod Ven. 2. *etiam* exhibet pro *eas.*

non plus decem octo. Post *plus* Codd. auctoritate delevi *quam.* Duo meorum Codd. pro *literas* praestant *literis*, e correctione, puto.

Graecorum causa ascivimus nominum. Postremam vocem, quae in libris vulgatis post *Graecorum* posita reperitur, Codicum et Edd. Ven. 1. 2. auctoritate ad finem rejeci.

bus mutis potest habere juxta se positis, nec plus tribus consonantibus continuare. Autoritas quoque tam Varronis quam Macri, teste Censorino, nec k nec q neque h in numero adhibet literarum. Videntur tamen i 17
et u, cum in consonantes transeunt, quantum ad potestatem, quod maximum est in elementis, aliae literae esse praeter supradictas. Multum enim interest, utrum vocales sint an consonantes. Sicut enim, quamvis in varia figura, et vario nomine sint k et q et c, tamen, quia unam vim habent, tam in metro quam in sono, pro una litera accipi debent: sic i et u, quamvis unum nomen, et unam habent figuram, tam vocales quam consonantes, tamen, quia diversum sonum, et diversam vim habent in metris, et in pronunciatione syllabarum, non sunt in eisdem, meo judicio, elementis accipiendae: quamvis et Censorino, doctissimo artis grammaticae, idem placuit. Multa enim est differentia inter consonantes, ut diximus, et vocales. Tantum enim fere interest inter vocales et consonantes, quantum inter animas et corpora. Animae enim per se moventur, ut phi- 18
losophis videtur, et corpora movent: corpora vero nec per se sine anima moveri possunt, nec animas movent, sed ab illis moventur. Vocales similiter et per se moventur ad perficiendam syllabam, et consonantes movent secum; consonantes vero sine vocalibus immobiles sunt. Et I quidem, modo pro simplici, modo pro duplici accipitur consonante: pro simplici, quando ab ea incipit syllaba in principio dictionis posita, subsequente vocali in eadem syllaba, ut Iuno, Iupiter: pro duplici autem, quando in medio dictionis ab ea incipit syllaba post vocalem ante se positam, subsequente quoque vocali in eadem syllaba, ut maius, peius, eius, in quo loco antiqui solebant geminare eandem i literam, et

---

§. 16. *II autem.* Pro vulg. *vero* e Codd. et ed. Ven. 1. recepi *autem.*

aliud aliquid. Ita Codd. Vulgo, *aliquid aliud.* Mox ante *proprietatem* auctoritate MSS. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. expunxi *ita. in eam desinit.* Pro *in eam* plures *in eandem.* Pro *desinat* indicativum *desinit* restitui e MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2.

§. 18. *quando ab ea incipit syllaba.* Vulgo, *ab eo.* Idem in libris vulgatis legitur post *dictionis.* Binis his locis e MSS. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. Zwicc. 1. 2. Luth. recepi *ab ea.*

maiius, peiius, eiius scribere, quod non aliter pronunciari posset quam si cum superiore syllaba prior i, cum sequente altera proferretur, vt peiius, eiius, maiius.
19 Nam quamvis sit consonans, in eadem syllaba geminata jungi non potest. Ergo non aliter quam tellus, mannus proferri debuit. Unde Pompeiii quoque, genitivum, per tria iii scribebant: quorum duo superiora loco consonantium accipiebant, ut si dicas Pompeiii. Nam tribus iii junctis qualis possit syllaba pronunciari? Nam postremum i pro vocali est accipiendum: quod Caesari doctissimo artis grammaticae placitum a Victore quoque in arte grammatica de syllabis comprobatur. Pro simplici quoque in media dictione invenitur, sed in compositis, ut iniuria, adiungo, eiectus, reiice. Virgilius in Bucolico proceleusmaticum posuit pro dactylo: *Tityre pascentes a flumine reiice capellas.*
20 Nunquam autem ante eam, loco positam consonantis, aspiratio potest inveniri, sicut nec ante u consonantem. Unde hiulcus trisyllabum est: nulla enim consonans ante se aspirationem recipit. V vero loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Aeoles digamma. Unde a plerisque ei no-

---

eiius, maiius. Addunt his libri vulgati: *et duo ii pro duabus consonantibus accipiebant.* Haec Codd. MSSi aut omittunt, ut Heidelb., aut in margine tantum notata referunt, ut MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. Equidem e textu expuli, cum et antecedentibus et proxime sequentibus repugnent.

§. 19. *Nam quamvis sit consonans.* Post *quamvis* omisi vocalem *i* auctoritate MSS. Heidelb. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Leve quidem hoc esse videtur, at haec omissio docet, ea, quae proxime ejeci, glossatori deberi. *jungi non potest.* Pro *posset* recepi e MSS. Lips. 2. 3. *potest.*

per tria iii scribebant. Omisi post iii, quod vulgo additur, *antiqui,* cum nec Codd. MSSi nec Edd. Ven. 1. 2. exhibeant.

qualis possit. Pro *posset* e MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. recepi *possit.*

placitum. Addunt libri *fuisse.* Variant Codd. Plerique, inter quos Heidelb. Luth. Zwicc. Erl. 1., omittunt. Erl. 2. *esse.* Lips. 1. inter lineas *est* exhibet.

proceleusmaticum pro dactylo posuit. Haec, quae post Virgilii verba in libris vulgatis posita leguntur, praeposui iis, auctoritate MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 3. Pro *Bucolicis* e MSS. Heidelb. Zwicc. 2. Dresd. recepi *Bucolico.* Locus legitur in Ecl. III. vs. 96.

§. 20. *nunquam ante eam.* Vulgo, *ante i literam.* Receptam le-

men hoc datur, quod apud Aeoles habuit olim digamma, id est vau, ab ipsius voce profectum, teste Varrone et Didymo, qui id ei nomen esse ostendunt. Pro quo Caesar hanc figuram ꝗ scribi voluit: quod quamvis illi recte visum est, tamen consuetudo antiqua superavit. Adeo autem hoc verum est, quod pro digamma Aeolico F ponitur u: quod sicut illi solebant accipere digamma modo pro consonante simplici, teste Astyage, qui diversis hoc ostendit usibus, ut in hoc versu, *Οἰόμενος ϝΕλέναν ἑλικώπιδα*, sic nos quoque pro consonante plerumque simplici habemus u loco digamma positum: ut, *At Venus haud animo nequicquam exterrita mater.* Est tamen quando iidem Aeoles inveniuntur pro duplici quoque consonante digamma posuisse, ut *Νέστορα δὲ ϝοῦ παιδός*. Nos quoque videmur hoc sequi in praeterito perfecto et plusquamperfecto tertiae et quartae conjugationis, in quibus i ante u consonantem posita producitur, eademque subtracta corripitur, ut, cupivi cupii, cupiveram cupieram, audivi audii, audiveram audieram. Inveniuntur etiam pro vocali correpta hoc digamma illi usi, ut Alcman: *καὶ χεῖμα πῦρ τε δάϝιον*. 21

---

ctionem tuentur MSS. Heidelb. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. MS. Lips. 3. *ante eam i literam.*

apud Aeoles digamma. Codicum meorum auctoritate expunxi signum digamma Aeolici. Item post *olim.*

scribi voluit. Vulgo, *scribere.* Passivum exhibent MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Lips. 1. Erl. 2.

digamma F ponitur u. Ita Codd. Vulgo, *F digamma u ponitur.*

hoc ostendit usibus. Perperam in editionibus, Putschiana etiam, legitur *versibus.* *usibus* tuentur MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Zwicc. 1. 2.

Οἰόμενος. Ed. Ven. 2. *ὀχόμενος.* Pro *ϝελένην* restitui e MSS. Heidelb. Luth. aliisque *ϝΕλέναν.* Ed. Colon. *ἠλικώπιδα.* Mox post *u loco* delevi signum digamma. Sequens versus Virgilii est Aen. VIII. vs. 370.

§. 21. *Est tamen quando iidem Aeoles inveniuntur pro duplici quoque.* Haec est lectio sex Codicum, quos contuli, et Edd. Ven. 1. 2. Temere Putschius edd. Ald. secutus edidit: *et (est?) tamen, quando Aeoles idem F inveniuntur pro duplici consonante.* In Codicibus plerisque *idem* reperiri, negari non potest: ut scripturae compendio hujus rei causam tribuendam esse puto. In MS. Heidelb. ita legitur: *idem Aeoles.*

Νέστορα δὲ ϝοῦ παιδός. MS. Heidelb. *Νέστορι δὲ ϝωι πραος.* MS. Lips. 1. *Νεστορα αν ϝωι παραος.* Erl. 1. *Νεστορα δε ϝαι παιδος.* Lips. 2. *Νεστορι εο ϝω ιπαραος.*

Est enim dimetrum iambicum, et sic est proferendum, ϝ ut faciat brevem syllabam. Nostri quoque hoc ipsum fecisse inveniuntur, et pro consonante ū vocalem brevem accepisse, ut Horatius silŭae trisyllabum protulit in Epodo hoc versu: *Nivesque deducunt Iovem, nunc mare nunc silŭae.* Est enim dimetrum iambicum conjunctum penthemimeri heroicae, quod aliter stare non po-
22 test, nisi silŭae trisyllabum accipiatur. Similiter Catullus Veronensis: *Quod zonam solŭit diu ligatam,* inter hendecasyllabos Phalecios posuit. Ergo nisi *solŭit* trisyllabum accipias, versus stare non potest: hoc tamen ipsum in derivativis vel compositis frequenter solet fieri, ut volvo volutus, solvo solutus, avis auceps, auspicium, augurium, augustus, lavo lautus, faveo fautor. Digamma ϝ Aeoles est quando pro nihilo in metris accipiebant, ut *Ἄμμες δ' ϝειρήναν τὸ δέ τ' ἄρ' θέτο Μῶσα λιγαία.* Est enim hexametrum heroicum. Apud Latinos quoque hoc idem invenitur pro nihilo in metris, et maxime apud vetustissimos comicorum, ut Terentius in Andria: *Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.* Est enim iambicum trimetrum: quod nisi, sine invi, pro tribracho accipiatur, stare versus non potest. Sciendum tamen, quod hoc ipsum Aeoles quidem ubique loco aspirationis ponebant, effugientes spiritus asperitatem; nos autem in multis quidem, non tamen in omnibus, illos sequimur, ut cum dicimus, vespera, vis, vestis. Hiatus quoque causa solebant illi interponere digamma ϝ, quod ostendunt etiam poetae Aeolidae usi. Alcman: *Καὶ χειμα πῦρ τε δάϝιον* et epigrammata, quae egomet legi in tripode vetustissimo Apollinis, qui stat

---

§. 22. *Horatius in Epod.* XIII. vs. 7. *Catullus Veronensis:* II, 13.

Digamma ϝ Aeoles est quando. Ita Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. Vulgo: *ϝ digamma apud Aeoles est quando.* Vides importunum correctorem non tenuisse usum Prisciani.

Ἄμμες δ ϝειρήναν τὸ δέ τ' ἄρ' θέτο Μῶσα λιγαία. Vulgo, *ἄμμες δ' ϝειρησάντο θεοί τοι δ' ὤμοσαν ϝαΐν.* Vitiosissime. Nos auctoritatem Codd. Heidelb. Luth. Lips. Zwicc. Erl. secuti veram, puto, restituimus lectionem. Heidelbergensis liber ita: *αμες δ φει ρ. η. ναν το δε ταρ στο μωσα λιττατα. hoc idem* additur vulgo, *u.* Abest a Codd.

Terentius in Andria. Act. I. Sc. 1. vs. 39. *Δημοφῶν.* Vulgo, *Δημοφάων.* Ego Codices secutus sum.

in Xerolopho Byzantii sic scripta: *Δημοφόϝων*, *Λαϝοκόϝων*. Et nos quoque hiatus causa interponimus V loco 25
digamma ϝ, ut Davus, Argivus, pavo, ovum, ovis, bovis. Hoc tamen etiam per alias quasdam consonantes hiatus vel euphoniae causa solet fieri, ut prodest, comburo, sicubi, nuncubi, quod Graeci quoque solent facere: *μηκέτι, οὐκέτι*. Sed tamen hoc attendendum est, quod praevaluit in hac litera, id est, in u loco digamma posita, potestas simplicis consonantis apud omnium poetarum doctissimos. In b etiam solet apud Aeoles transire ϝ digamma, quotiens ab ρ incipit dictio, quae solet aspirari, ut *ῥήτωρ βρήτωρ* dicunt, quod digamma nisi vocali praeponi et in principio syllabae non potest. Ideo autem locum quoque transmutavit, quia b vel digamma post ρ in eadem syllaba pronunciari non potest. Apud nos quoque est invenire, quod pro ū consonante b ponitur, ut coelebs, coelestium vitam ducens, per b scribitur, quod ū consonans ante consonantem poni non potest. Sed etiam Bruges et Belenam antiquissimi dicebant teste Quintiliano, qui hoc ostendit in primo Institutionum oratoriarum. Nec mirum, cum b quoque in ū euphoniae causa converti invenimus, ut aufero pro abfero. Aspiratio ante vocales omnes poni potest, post V
consonantes autem quatuor tantummodo more antiquo 24
Graecorum, c t p r, ut habeo, Herennius, heros, hiems, homo, humus, Hylas, Chremes, Thraso, Philippus, Pyrrhus. Ideo autem extrinsecus ascribitur vocalibus, ut minimum sonet, consonantibus autem intrinsecus, ut plurimum. Omnis enim litera sive vox plus sonat ipsa sese, cum postponitur, quam cum anteponitur, quod vocalibus accidens esse videtur: nec, si tollatur ea, perit etiam vis significationis, ut si dicam, Erennius,

---

§. 25. *u loco digamma posita.* Vulgo, *posito.* Illud Codd. exhibent. *quotiens.* Haec est Codicum scriptura, pro *quoties*, quam admittendam censui.

sed etiam Bruges. Antea legebatur *sicut etiam Bruges.* Non solum, quod grave est, totius loci sententia et mens auctoris damnat hanc lectionem, sed etiam Codd. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2. 3. Zwicc. 2. Erl. 1. falsam esse clamant.

§. 24. *aspiratio.* Codd. Heidelb. Luth. Dresd. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. auctoritate omisi *quoque intellectus permanet.* Quod vulgo additur *integer*, Codicum meorum jussu libenter sustuli, cum *permanet* idem valeat, quod *integer manet.*

absque aspiratione, quamvis vitium videar facere, intellectus tamen permanet. Consonantibus autem sic cohaeret, ut ejusdem penitus substantiae sit, ut, si auferatur, significationis vim minuat prorsus: ut si dicam Cremes pro Chremes. Unde hac considerata ratione, Graecorum doctissimi singulas fecerunt eas quoque literas, quippe pro th ϑ, pro ph φ, pro ch χ scribentes. Nos autem antiquam scripturam servavimus. In Latinis tamen dictionibus nos quoque pro ph coepimus f scribere, ut filius, fama, fuga, nisi quod, ut supra docuimus, est aliqua in pronunciatione ejus literae differentia cum sono ph. Rh autem ideo non est translatum ab illis in aliam figuram, quod nec sic cohaeret huic quomodo mutis, nec, si tollatur, minuit significationem. Quamvis enim subtracta aspiratione dicam, retor, Pyrus, intellectus integer manet, non aliter quam si antecedens vocalibus auferatur. Unde ostenditur ex hoc quoque aliqua esse cognatio r literae cum vocalibus. Ex quo quidam dubitaverunt, utrum praeponi debeat huic aspiratio, an subjungi. Unde Aeoles, ut diximus, loco aspirationis digamma ponentes in dictionibus ab ϱ incipientibus, solent loco digamma B scribere, judicantes debere praeponi digamma quasi vocali; sed rursus, quasi consonanti, digamma in eadem syllaba praepone-

---

scripturam servavimus. Pro vulg. *servamus* e MSS. Heidelb. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. recepi perfectum.

§. 25. *differentia cum sono ph.* Post *differentia* expúli literam *f.* Item deinde quae in libris vulgatis addicta reperiuntur: *ut ostendit ipsius palati pulsus linguae labrorum*, cum e §. 26. huc translata esse videantur absintque a Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 2. Heidelb. in Erl. 1. vero tantum in margine adscripta legantur, exturbanda esse duxi. Mox pro vulgato *dicamus* e MSSis Codd. edidi *dicam.* Denique in proxime sequentibus *integer manet* pro vulgato *permanet* scribi iusserunt MSS. Heidelb. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Edd. Ven. 1. 2.

aliqua esse cognatio. Lips. 1. *aliquam esse cognationem.*

huic addit Lips. 3. r.

subjungi. Lips. 2. *supponi.*

Aeoles, ut diximus, loco. Ita ex MSS. Lips. 1. Erl. 2. edidimus. In omnibus libris impressis et plerisque MSS. legitur, *Aeoles loco, ut diximus.*

digamma quasi vocali. Tres meorum Codd. Zwicc. 2. Lips. 2. 3. addunt post *digamma R.* Eandem literam repetit Lips. 3. post *consonanti.*

re recusantes, commutabant id in B, βρήτωρ, βρόδος, dicentes. Sed apud Graecos haec litera, id est ρ, multis modis fungitur loco vocalis, ut in declinatione nominum in ρα et in α puram desinentium, quae similiter a servant per obliquos casus, ut ὥρα ὥρας, σοφία σοφίας. Apud Latinos autem non adeo. Quaeritur, cur in vah, ah, post vocales ponitur aspiratio, et dicimus, quod apocopa facta est extremae vocalis, cui praeponebatur aspiratio. Nam perfecta vaha, aha sunt. Ideo autem 25
abscisione facta extremae vocalis, tamen aspiratio mansit ex superiore pendens vocali, quia suum est interjectionis voce abscondita proferri. Itaque pars absconditae extremitatis videtur congrue interjectionis naturali prolatione remansisse. Nec mirum, cum in Syrorum Aegyptiorumque dictionibus soleant etiam in fine aspirari vocales. Interjectionum autem pleraeque communes sunt naturaliter omnium gentium voces. Inter c 26
sine aspiratione, et cum aspiratione, est g; inter t quoque et th est d, et inter p et ph sive f est b. Sunt igitur hae tres, hoc est b g d, mediae, quae nec penitus carent aspiratione, nec eam plenam possident. Hoc autem ostendit etiam ipsius palati pulsus, et linguae vel labrorum, consimilis quidem in ternis, in p et ph, vel f et b, et rursus in c et ch et g; similiter in t et th et d. Sed in levibus exterior fit pulsus, in asperis interior, in

---

multis modis. Dresd. MS. omittit *modis* et addit ante *multis* praepositionem *in*.

in a puram. Lips. 1. *in a literam puram.*

cur in vah, ah. Sic omnes fere Codices. Vulgo, *vah et ah.*

congrue interjectionis naturali prolatione. Vulgo, *congrue in interjectionis — prolatione.* Omittunt praepositionem *in* Codd. Dresd. Zwicc. 2. Lips. 2. Erl. 1. Lips. 3. Recte. Nam ablativus *pronuntiatione* est instrumentalis, et *congrue* significat, regulae convenienter.

§. 26. *et cum aspiratione, est g.* Addunt duo meorum Codd. alter, Lips. 2., post *aspiratione*, alter, Lips. 3., post *g*, vocem *media*; ex interpretatione, ut equidem censeo.

plenam. MSS. Lips. 2. Dresd. *plene.*

in p et ph — et rursus in c et ch et g; similiter in t et th et d. Vulgo ternis his locis pro *in* legitur *inter*. Sed praestantissimi Codicum meorum, Luth. scilicet, Heidelb. Zwicc. Erl. 2. Lips. 1. et Edd. Ven. 1. 2. unanimi consensu legunt *in*. Lectio *inter* orta forte ea est ex repetita voce *internis*. Edd. Ven. 1. et 2. post *similiter* legunt *inter*.

levibus. Putsch. Ven. 2. Colon. *lenibus.* Ut nos edidimus, Codd.

mèdiis inter utrumque supradictorum locum; quod facile dignoscitur, si attendamus in supradictis motibus ora mirabili naturae lege modulantia voces. Tanta autem est cognatio earum, quod invicem inveniuntur pro se positae in quibusdam dictionibus, ut ambo pro ἄμφω, buxus pro πύξος, et publicus pro πούπλικος, triumphus pro θρίαμβος, gubernator κυβερνήτης, gobio κωβιὸς, Caeso ἀπὸ τοῦ χάλε, puniceus φοινίκεος, deus θεὸς, purpu-
27 reum πορφύρεον. Hoc quoque observandum, quod ad comparationem aliarum consonantium quae solent mutari vel abjici per casus, immutabiles sunt apud nostres, l n r: per omnes enim casus eaedem permanent, ut sal salis, flumen fluminis, Caesar Caesaris. T quoque et c, quamvis in tribus solis inveniantur nominibus, quae possunt declinari, hoc idem servant, ut caput capitis, et ab eo composita, sinciput sincipitis, occiput
28 occipitis, alec alecis, lac lactis, in quo etiam t additur. Quare a quibusdam non irrationabiliter nominativus, hoc lacte, prolatus invenitur. Reliquae vero consonantes abjiciuntur, vel mutantur: d, aliquid alicujus; m, templum templi, Pelium Pelii; s, magnus magni; x, rex regis, nix nivis. In verborum quoque praeteritis perfectis solent omnes modo mutari, modo manere,

---

plerique, MSS. Heidelb. Lips. 1. Dresd. Lips. 2. 3. Erl. 1. 2. Luth. Sic et Edd. antiquissimae Ven. 1. Bas. 1. Ald. Cf. infra §. 47. MS. Lips. 2. *in levibus literis quae carent aspiratione.* Addi denique potest ad confirmandam hanc lectionem locus Cic. de Nat. Deor. Lib. II. cap. 58. *leve et asperum*, ubi Heindorfius perperam mihi fecisse videtur, quod *lene* Ciceroni obtrusit. Cf. Lucr. IV, 546. *Asperitas autem vocis fit ab asperitate principiorum, et item laevor laevore creatur.*

cognatio earum. MS. Lips. 2. addit *rerum.* Edd. Ven. 1. 2. *ad se.* Mox Erl. 1. omittit *invicem.* Dresd. *in quibusdam dictionibus.*

gobio. Sic Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Dresd. Vulgo *gobius.* Equidem vereor, ne hoc correctori debeatur, qui *gobius* scripsit, ut responderet graeco κωβιός. MS. Heidelb. κωβεος.

§. 27. *per omnes enim casus*, MS. Dresd. *per omnes enim obliquos.* Mox idem MS. pro *permanent* habet *per se remanent.*

Quare a quibusdam, Sic Codd. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. MS. Dresd. *ob quibusdam.* Vulg. *Quare quibusdam.* Ita et Edd. Ven. 1. 2.

abjiciuntur vel mutantur. Sic Codicum optimi. Vulgo, *mutantur vel abjiciuntur.*

exceptis l p s x. Haec enim nunquam mutantur, ut habeo habui, jubeo jussi, compesco compescui, dico dixi, ascendo ascendi, laedo laesi, lego legi, pingo pinxi, demo dempsi, premo pressi, moneo monui, sino sivi, nequeo nequivi, torqueo torsi, dissero disserui, uro usi, verto verti, flecto flexi. Illae autem quatuor, ut supra diximus, nunquam mutantur in praeterito perfecto. l, caelo caelavi, dolco dolui, volo volui, mollio mollivi; p, turpo turpavi, stupeo stupui, scalpo scalpsi, lippio lippivi; s, quasso quassavi, censeo censui, arcesso arcessivi; x, nexo nexui, texo texui. Vocales quoque in 28
eisdem perfectis, quae in principalibus syllabis inveniuntur verborum, modo ex correptis producuntur, modo mutantur in alias vocales, modo manent eaedem. Producuntur plerumque omnes, ut faveo fāvi, caveo cāvi, sedeo sēdi, lego lēgi, video vīdi, moveo mōvi, foveo fōvi, fugio fūgi. Mutantur a et e: a quidem in e modo productam, modo correptam; productam, ut ăgo ēgi, căpio cēpi, făcio fēci, frango frēgi; correptam, tango tĕtigi; cado cĕcidi, parco pĕperci. E vero transit in i, ut eo ivi, vel ii. Solinus in Collectaneis vel Polyhistore: *Tatius in area, ubi nunc aedis est Iunonis Monetae, qui anno quinto quam ingressus urbem fuerat, a Laurentibus interemptus est, septima et vigesima Olym-*

---

exceptis l p s x. Vulg. *exceptis quatuor l p s x.* Sed cum saepius numerum in Codd. vel in margine vel supra textum ab alia manu additum invenias, non dubitavi Codd. Dresd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2, Erl. 2. Heidelb. auctoritate delere *quatuor*, cum nec Edd. Ven. 1. 2. noverint.

texo texui. Hoc παράδειγμα non legitur in libris impressis, nec in Edd. Ven. 1. 2. Sed invenitur in MSS. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Aut nihil valet Codicum auctoritas, aut, quod unanimi consensu referunt, nisi in re aperte falsa, in textum est recipiendum.

§. 28. *in eisdem perfectis.* Sic Codd. MSSi Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Heidelb. MS. Dresd. e correctione aperta lectionem vulgatam *praeteritis perfectis* habet.

E vero transit in i. Vulgo *productam* adjectum legitur. Pessime. Codd. omnes omittunt, sicut et Edd. Ven. 1. 2. nec sensus quidem totius loci huic additamento favet.

Solinus. Vulgo *Polyhistore.* MS. Lips. 1. *in polyhistore.* MS. Lips. 2. *polyhistorine in arte.*

aedis. Vulgo *aedes.* Ego Codicem optimos Heidelb. Luth. aliosque secutus *aedis* scripsi. Pro *qui* MS. Lips. 2. habet *quia. exivit.* MS. Lips. 3. *exiit.*

29 *pudè hominem exivit.* Queo quivi vel quii. Haec eadem vocalis penultima in verbis secundae conjugationis saepe mutatur in u, ut doceo docui, moneo monui, dolco dolui. Quod similiter est quando in tertia vel quarta conjugatione patitur i, ut rapio rapui, aperio aperui. u et o manent in principalibus syllabis positae immutabiles, temporum quoque in quibusdam, ut ruo rui, domo domui, doceo docui. Hoc quoque observandum est, quod nunquam in supradicto tempore potest geminari, neque in principio, neque in fine syllaba, nisi quae a muta incipit, ut tondeo totondi, pendeo vel pendo pependi, disco didici, posco poposci, tundo tutudi, pedo pepedi, tango tetigi, caedo cecidi, cado cecidi, pello pepuli, fallo fefelli, prodo prodidi, vendo vendidi: ex quo etiam apparet, f vim magis mu-
VI tae obtinere, a qua incipiens geminata est syllaba. S
30 ante mutam posita inveniuntur duo, quae geminant syllabam, sto steti, spondeo spopondi. Antiquissimi etiam scindo scicidi dicebant, quod juniores scidi dixerunt, ut in praeterito perfecto verbi ostendemus: nec sine ratione ante mutas invenitur, cum s amittit vim suam plerumque sic posita ante mutam, unde nec in se-

---

§. 29. *Queo, quivi vel quii.* MS. Zwicc. 1. haec praemittit: *in compositio e in i sicut ostendit.*

duo quae. Sic Codd. mei omnes et Edd. Ven. 1. 2. Vulgo, *duo verba quae.* Post *syllabam* mox in plerisque libris additum legitur *in praeterito*, quod, cum scripti libri omittant, delendum esse putavi. Est fortasse, cui haec ratio displiceat; sed qui semel tantum Codd. inspexerit, non improbabit, quae explicationis causa a librariis vel doctis vel indoctis addita sunt, expungi. Ubique enim loca, et maxime in scriptis Grammaticorum, si quae cogitatione supplenda essent, adscribenda vel notis interlinearibus exprimenda esse duxerunt.

§. 30. *nec sine ratione ante mutas invenitur.* Ita scripsi optimos Codices Lips. 2. Luth. Zwicc. Lips. 3. Erl. 2. tantum quod hic in margine ab alia manu additum habet *geminatum* et huic voci suprascriptum *praet.* secutus. Magna scilicet in his verbis non solum librorum impressorum sed et scriptorum reperitur lectionis varietas. Vulgo ita legitur: *nec sine ratione s ante mutam posita invenitur geminatum verbum.* Haec non satis recte se habent. In antecedentibus dixerat auctor, in praeterito perfecto nunquam geminari posse syllabam, nisi quae a muta inciperet. Deinde duo excepta esse adjecit, *sto steti, spondeo spopondi*, quibus subjungit *scindo scicidi*, quod juniores *scidi* dixerunt. Iam redditula est totius rei ratio, cur s ante mutam posita inveniatur. Dicit ergo, *non sine ratione ante mutam invenitur*,

cunda syllaba repetitur. M quoque geminatur, mordeo, momordi; quae loco mutae in multis fungitur: nam et ante n posita communem facit syllabam, ut Rhamnes, Rhamnetis, sicut Chremes Chremetis. Iambica enim sunt, quae sic declinantur, quod Callimachi quoque auctoritate confirmatur in *Αἰτίοις*, sicut supra dictum est, hoc versu: *τὼς μὲν ὁ Μνησάρχειος ἔφη ξένος, ὧδε συναινῶ.* Et nunquam tamen eadem m ante se natura longam, vocalem patitur in eadem syllaba esse, ut illam, artem, puppim, fluctum, rem, spem, diem, cum aliae omnes semivocales hoc habent, ut Maecenas, Paean, sol, pax, par. Praeterea sola haec semivocalis post s ponitur, quod mutarum est, ut Smyrna, smaragdus, et ante liquidam, ut Samnis, et quod ante s posita in finali syllaba nominis, more mutae interposita i, facit genitivum, hiems hiemis, vel ut inops inopis, coelebs coelibis. Apparet igitur, quod elementorum alia sunt ejusdem generis, ut vocales et consonantes: alia ejusdem speciei, ut in vocalibus breves et longae, et in consonantibus simplices et duplices; quae habent aspirationem, et quae non habent, et earum mediae. Aliae vero sibi sunt affines per commutationem, id est, quod invicem pro se

---

cum s amittit vim suam plerumque sic posita, unde nec in secunda syllaba reperitur. MS. Dresd. *nec sine ratione ante mutas invenitur geminatum cum s* et rel. Sic et Erl. 2. Lips. 1. Ven. 1. 2. Lips. 3. *Nec s sine ratione ante mutã invenitur cum s amittat. mutas* pro *mutam* plerique Codices, inter quos Heidelb. Luth. quos secutus sum. Pro *repetitur* omnes fere Codd. mei scribunt *reperitur*. Erl. 2. *repericur*. Nonnulli, ut Lips. 2., suprascriptum exhibent *repetitur*. Nec tamen discedere a MS. Heidelb. *repetitur* exhibente ausus sum.

Αἰτίοις. Vulgo *Aetiis*. MS. Heidelb. *actiois*, quem secutus sum, nisi quod graecis literis protuli. Codd. Luth. Erl. 2. *Aetiois*. MS. Lips. 2. *Aeticois*. MS. Lips. 1. *meliois*. Dresd. *Atiis*. MS. Erl. 1. *Aethuois*. Lips. 3. *crunosis*.

sicut dictum est. Libri impressi, *sicut jam supra dictum est*. Alii Codd. omittunt *jam*; alii *supra*; alii pro *jam* habent *et*. Ego MS. Heidelb. secutus *supra* reliqui, *jam* expunxi.

illam, artem, puppim, fluctum. Sic plerique Codicum meorum. Vulgo pro *fluctum* legitur *illum*. Dresd. Erl. 1. *illum, illam*. Pro *illam* invenitur in MS. Lips. 3. *syllabam*; et omittuntur *rem, spem, diem*. Sed hic Codex semper fere, ubi plura exempla ab auctore in medium afferuntur, nonnulla omittit.

§. 31. *et quae non habent*. Erl. 2. *quae non*, omisso *habent*. Lips. 3. *et quas carent*.

positae inveniuntur, ut breves et longae, et quae habent aspirationem, et quae carent ea. Aliae autem per conjugationem vel cognationem, ut b p f, nec non g et c cum aspiratione sive sine ea. x quoque duplex, similiter d et t cum aspiratione sive sine ea: et cum his z duplex. Unde saepe d scribentes Latini hanc exprimunt sono, ut meridies, hodie. Antiquissimi quoque Medentius dicebant pro Mezentius. Quin etiam s simplex habet aliquam cum supradictis cognationem, unde saepe pro z eam solemus geminatam ponere, ut patrisso pro *πατρίζω*, pitisso pro *πιτίζω*, massa pro *μάζα*. et Dores *τὺ* pro *σύ*. unde nos quoque tu pro *σὺ*, et te pro *σέ*. Attici autem *θάλαττα* pro *θάλασσα*, et *Θρῆττα* pro *Θρῆσσα*, et *ἧττον* pro *ἧσσον*, et *ξύμμαχος* pro *σύμμαχος*. Romani et-
32 iam Aiax pro *Αἴας*. In vocalibus quoque sunt affines e, correpta sive producta, cum ei diphthongo, qua veteres Latini utebantur ubique loco ī longae. Nunc autem contra pro ea ī longam ponimus, vel ē productam, ut *Νεῖλος* Nīlus, *Καλλιόπεια* Calliopēa, *χορεία* chorea. e penultima modo correpta modo producta; o brevis sive longa cum u, ut bos pro *βοῦς*, ebur, robur, pro ebor, robor, et platanus pro *πλάτανος*; a quoque cum c et i; arceo coerceo, facio inficio, nec non aliae cum aliis: et quia frequenter hae in omnibus pene literis mutationes

---

vel cognationem. Vulgo addunt: *cognatae literae et per se invicem positae.* Sic et MSS. Dresd. Erl. 1. tantum quod *pro se* habent. Sed omittunt hae verba reliqui omnes, cum quibus faciunt Edd. Ven. 1. 2. Equidem exturbavi haec verba, Codd. auctoritate et sensu jubente.

ut meridies. Nonnulli Codd. *medidies.* Ita et pleraeque editiones. Sed optimi Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. ita, ut edidimus. MS. Lips. 2. *meridies, merizies: hodie, hozie.* Mihi quidem nullo modo ferenda esse videtur lectio *medidies.* Loquitur enim Noster non de cognatione *τοῦ r et de*, sed potius d et t cum z cognatas esse contendit. Caeternm *meridies* a Graeco *μεμίζεσθαι* derivasse hoc quidem loco videtur. Infra quidem *a media die* decompositum esse vult. Igitur sibi repugnat. In ed. Ven. 2 cui expositio Ioannis de Airgre inserta est, haec fere ad illustrandum hunc locum dicta leguntur: Similiter *d* et *t* cum aspiratione et sine aspiratione sunt affines; et cum his, i. e. d et t est affinis z. unde, quia habet affinitatem cum *d*, Latini hanc i. e. z exprimunt duo (sono) dicentes: *merizies, hozie.*

§. 32. *O brevis sive longa cum u.* Repetendum ex antecedentibus *affinis est*, quae verba libri impressi et hoc loco inserunt. Equidem expuli propter Codd. auctoritatem, et Prisciani usum. Ple-

non solum per casus, vel tempora, sed etiam per figurarum compositiones, vel derivationes et translationes a Graeco in Latinum fieri solent, necessarium est ponere earum exempla. A correpta convertitur in productam, faveo favi; in e correptam, parco peperci, armatus inermis; productam, facio feci, capio cepi. Producta quoque a in e productam invenitur, halitus, anhelitus; in i correptam, amicus inimicus: in o etiam, μάρμαρος marmor; in u, salsus insulsus, ara arula. E correpta transit in productam, lego legi; in a, seror satus, reor ratus; in i, moneo monitus, lego diligo; in o, tego toga. Antiqui quoque amplocti pro amplecti dicebant. Et animadvorti pro animadverti. In u, tĕgo tūgurium. Et apud antiquissimos, quotienscunque u sequitur in his, quae a tertia conjugatione nascuntur, loco e, u scriptum invenimus, ut faciundum, legundum, dicundum, vertundum, pro faciendum, legendum, dicendum, vertendum. I transit in a, ut genus, gene- 33
ris, generatim, paulus, pauli, paulatim; in e, fortis forte, sapiens sapientis sapienter; in o, patris patronus, et patro verbum, olli pro illi, saxi saxosus; in u, carnis carnifex, antiqui pro carnifex, ut lubens pro libens, et pessumus pro pessimus. Sciendum tamen est, quod pleraque nomina, quae cum verbis sive participiis compo-

---

ripta MSS. omittunt. Alii, ut Zwicc. 2. Erl. 2., ponunt *habet cognationem*; alii, ut Lips. 1. 3., *habet affinitatem*. Erl. 1. *affinis est* ab alia manu supra scriptum refert. Eadem ratio est in proxime sequentibus *A quoque cum u*.

productam, facio feci. Ante *productam* in libris legitur *in e*. Recte quidem ex sensu, sed repugnantibus Codd.

in i, moneo. Vulgo: *in i correptam*. Codd. omnes et Ven. 1. omittunt.

u id sequitur in his. Sic scripsi pro: *sequuntur in his verbis. Sequuntur* legitur quidem in pluribus MSS. Sed Codd. Dresd. Erl. 2., quemadmodum edidimus, textum exhibent. *Verbis* omittit etiam Ven. 1. 2.

invenimus. Ven. 1. 2. *inveniemus.*

§. 33. *fortis forte.* Libri impressi: *fortis forte fortiter.* In omittendo *fortiter* consentiunt Codd. mei omnes cum Edd. Ven. 1. 2. Nec fieri quidem illud posse, in oculos incurrit. Item mox propter MSS. consensum omisi *saxum* ante *saxi*. Sic et Ven. 1. 2.

in o, patris patronus. Inserunt Luth. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. *pater.* Sed plures ita, ut supra scriptum, habent, ex quo patet, e glossemate natum esse.

nuntur, vel nominativi mutant extremam syllabam in i correptam, ut arma armipotens, homo homicida, cornu corniger, stella stelliger, arcus arcitenens, fatum fatidicus, aurum aurifex, causa causidicus, luctus luctificus, cornu cornicen, tuba tubicen, fides plurale, cujus singulare fidis est, unde et diminutivum fidicula, fidicen, tibia tibĭcen pro tibiicen: tibia enim a in i debuit mutare, ut supra dictum est, unde pro duabus ii brevibus una longa facta est, quod in alia hujuscemodi compositione non invenies; vulnus vulnĭficus, magnus magnĭficus, amplus amplĭficus, fructus fructĭfer, opus opĭfex; vel genitivi, ut vir viri, virĭpotens; par paris, parrĭcida, quod vel a pari componitur, vel, ut alii, a patre. Ergo si est a pari, r euphoniae causa additur; sin

---

fides plurale, cujus singulare fidis est, unde et diminutivum fidicula, fidicen. Ita Zwicc. 1. Haec in editionibus omnibus sic leguntur: *fidis fidicen. fides plurale* et rel. At vero verba ita posita repugnant sententiae ab auctore praepositae. Dici enim non potest vocem *fidicen* a *fidis* esse derivatam. Nam fidicen est is, qui *fidibus* canit. Derivanda ergo haec vox est a plurali *fides*, non a *fidis*. MS. Lips. 1. *fidis* (hoc in margine additum est) *fidicen. fides plurale, cujus singulare fidis est, unde et diminutivum fidicula. fidicen.* Bis igitur exhibet *fidicen*, quod ferri nullo modo potest. Sic et Heidelb. et Lips. 2. praeterquam quod *fidis* ab eadem manu textui insertum est. Dresd. et Erl. 1. consentiunt cum vulgata. In MS. Erl. 2. *fidis fidicen* ad imum marginem folii rejecta sunt, ex quo apparet, antea haec verba non esse lecta in textu ipso.

fructifer. Sic MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. 3. Erl. 1. 2. Ven. 1. 2. pro *fructificus.*

ut alii. Vulgo dicunt. Codices omittunt. Unus Lips. 1. superscriptum habet.

syncopam. Ita Codd. et Ven. 1. 2. Vulgo *syncopen.*

factum parricida. Addunt libri impressi: *frater fratris fratricida; soror sororis sororicida.* Haec verba in optimis Codd. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Heidelb. Erl. 2. post *sacrificus* addita reperiuntur. Sic et in Ed. Ven. 1. 2. His auctoritatibus motus transposui, quamquam, meo judicio, spuria.

§. 34. *mente captus.* Vulgo adjectum invenitur hoc: *municeps munera capiens.* Omittunt Edd. Ven. 1. 2. et Codd. mei omnes praeter MS. Dresd. in quo *manceps manu captus* legitur. Pauci, velut Lips. 1. Erl. 1. Heidelb., edd. Ven. 1. 2. in proxime antecedentibus *mens mentis* ante *mente captus* exhibent, quod correctori deberi puto. Ven. 1. 2. omittunt *menceps* typographi haud dubio errore.

augustus. Ita scripsi pro *auctus augustus*, quod, quamvis editionum Ald. Bas. Colon. Putschianae auctoritate commendetur, fer-

a patre, t in r convertitur: quibusdam tamen a parente videtur esse compositum, et pro parenticida per syncopam, et commutationem t in r factum parricida. Lux quoque lucis lucifer, flos floris florifer, sacer sacri sacrificus; frater, fratris, fratricida; soror, sororis, sororicida; ars, artis, artifex. Pauca sunt, quae hanc non 34
servant regulam, ut auceps, aves capiens, menceps, mente captus, augustus et similia, et quae ex duobus nominativis componuntur. Sed ea, cum de figuris dicemus, latius tractabimus. O aliquot Italiae civitates teste Plinio non habebant, sed loco ejus ponebant u, et maxime Umbri et Tusci. Transit in a, ut creo creavi; in e, tutor tutela, bonus bene, γόνυ genu, πός pes, antiqui compes pro compos, in quo Aeoles sequimur. Illi

---

ri tamen, cum prorsus falsum sit, et Prisciano ipsi repugnet, nullo modo potest. Nec Editiones veterrimae Ven. 1. 2. nec Codices huic lectioni favent; imo plures consentiunt cum Edd. Ven. *augur* pro *auctus* referentibus. Sic MSS. Erl. 2. Luth. Tamen haec quoque lectio, quamquam multo commodior est, damnanda mihi esse videtur. Nam, quod plurimum valere debet, mox infra §. 52. Priscianus *augustus* et *augurium* ab *avis* derivata esse innuit, sed ita, ut credere possis, Priscianum *augustus* ab *augurium* derivari voluisse. Haec videtur fuisse causa, cur in nonnullis Codd. Dresd. Lips. 2. *augurium* pro *augur* vel *auctus* positum sit. Hanc vero vocem, *augurium* dico, e glossemate additam esse, luculentissime demonstrat Cod. Lips. 2. hunc locum ita exhibens: *mente captus, augustus et similia ut augurium aug avis garritus.* Ergo si tollas glossema certum, nihil nisi nuda vox *augustus* re- *gur* linquitur. In Cod. Lips. 1. ita legitur: *auctus* augustus. MS. Erl. 1. *auctus* habet et *augurium*, utramque autem vocem uncis inclusam exhibet. Heidelb. *auctus*. MS. Lips. 3., ut nos, omisit utrumque. Equidem non solum hujus Codicis, leviori sane, auctoritate, et reliquorum discrepantia, ut, quicquid ad explicandam formam *augustus* adjectum reperitur, spurium judicem, commotus sum, sed hac etiam ratione, quod sexcenties Priscianus exemplis accuratissime expositis minus diligenter demonstrata adjunxisse reperitur.

et quae ex duobus nominativis componuntur. His libri impressi subjiciunt: *ut puta jusjurandum, respublica non mutant extremam syllabam.* Haec absunt a MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. MS. Erl. 1. ab alia manu per notam interlinearem addita exhibet. Solus MS. Dresd. textui inserta refert. Cum MSSis Codd. faciunt Edd. Ven. 1. 2.

πός. Ita secundum MSS. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Luth. edidi pro ποῦς.

enim ἐδόντα pro ὀδόντα dicunt. O convertitur etiam in i, virgo virginis; in u, tremo tremui, huc illuc pro hoc et illoc. Virgilius in VIII. *Hoc tunc ignipotens caelo descendit ab alto.* et pleraque, quae apud Graecos nominativum in ος terminant, o in u convertunt apud nos, ut Κύρος Cyrus, σπονδεῖος spondeus, Κύπρος Cyprus,
35 πέλαγος pelagus. Multa praeterea vetustissimi etiam in principalibus mutabant syllabis, gungrum pro gongrum, cunchin pro conchin, huminem pro hominem proferentes, funtes pro fontes, frundes pro frondes. Unde Lucretius in I. libro *Angustoque fretu rapidum mare dividit undis,* pro freto. Idem in III. *Atque ea nimirum etiam quaecunque Acherunte profundo,* pro *Acheronte.* In eodem: *Nec Tityon volucres ineunt Acherunte jacentem.* Quae tamen a junioribus repudiata sunt, quasi rustico more dicta. V quoque multis Italiae populis in usu non erat, sed e contrario o, unde Romanorum quoque vetustissimi in multis dictionibus loco ejus o posuisse inveniuntar, poblicum pro publicum, quod testatur Papyrianus de orthographia, polchrum pro pulchrum, colpam pro culpam dicentes, et Hercolem pro Herculem, et maxime digamma antecedente hoc faciebant, ut servos pro servus, volgus pro vulgus, Davos pro Davus.
36 Transit in a, veredus veredarius; in e, pondus ponde-

ὀδόντα pro ἐδόντα. Edd. Bas. Colon. *ἐδόντα pro ὀδόντα.* At vero Codices Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Dresd. Lips. 1. 2. *ἐδοντα* posteriore loco exhibent; in priore plerique *odunta.*

O convertitur etiam. Inserui e MSSis Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Erl. 1. 2. *etiam.* Mox pro *hoc illoc* secundum Codices a me collatos scripsi *hoc et illoc.*

Virgilius in VIII. vs. 414.

gungrum pro gongrum. Vulgo per *c* ab initio scribitur vox. Equidem in Codicibus, optimis etiam, non aliter quam per *g* inveni prolatam.

Lucret. in I. Libro. vs. 721. Pro *angusto* duo meorum Codd. *augusto.*

Idem in III. vs. 991. *Atque ea nimirum.* Ita Codd. Luth. Heidelb. Dresd. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Ineptissime vulgo: *Atque animarum etiam,* quod a Putschio receptum non tam mireris, quam quod Eichstaedtius turpissimo hoc vitio Lucretium suum corrumpi passus sit.

In eodem. vs. 997. *ineunt.* MS. Dresd. *ineant.*

sed e contrario o. Additur vulgo *utebantur* post *contrario.* Hoc e glossemate ortum esse, docent Codd. omittentes Heidelb. Lips.

ris, deierat peierat pro deiurat peiurat, labrum labellum, sacrum sacellum, antiqui auger et augeratus pro augur et auguratus dicebant; in i, cornu cornicen, arcus arcitenens, fluctus fluctivagus, cursus vel currus, curriculus vel curriculum; in o, nemus nemoris, ebur eboris, robur roboris. Ponitur haec eadem litera in Graecis nominibus modo loco οῦ diphthongi, ut Musa pro *Μοῦσα*, modo pro ο correpta, ut Homerus pro *Ὅμηρος*, pro eadem producta, ut fur pro *φὼρ*, sicut e contrario pro *βοῦς* bos; modo pro ῦ longa, ut pro *μῦς* mus; modo pro correpta, *πορφύρα* purpura. In plerisque tamen Aeoles secuti hoc facimus. Illi enim *θουγάτηρ* pro *θυγάτηρ*, ου corripientes, vel magis υ sono u soliti sunt pronuntiare, ideoque ascribunt ο, non ut diphthongum faciant, sed ut sonum υ Aeolicum ostendant, ut: *Καλλιχώρου χθονὸς εὐρείας θουγάτηρ*. Quod nos secuti, u modo correptam, modo productam habemus, quamvis videatur ου diphthongi sonum habere. Pro ο quoque 37
frequenter solent ου ponere Graeci, *οὖρος οὖλος* pro *ὄρος ὅλος*, *νοῦσος νόσος* dicentes, quod nos frequenter habemus in finalibus maxime syllabis, ut Priamus, Pylus, Pelium, u tamen corripientes. Est quando amittit vim tam vocalis quam consonantis, ut cum inter q et aliam vocalem ponitur, sicut jam commemoravimus,

---

1. Erl. 2. Dresd. Luth. Zwicc. 2. Edd. Ven. 1. 2. MS. Erl. 1. *o utebantur.* MS. Luth. in margine notat.

§. 36. *θουγάτηρ pro θυγάτηρ.* Inseritur in vulg. libris *dicunt*, quod auctoritate MSS. Luth. Erl. 2. omisi. Cf. similem locum infra §. 41. *Illi enim ὄρνιξ pro ὄρνις.*

ut diphthongum faciant. Additur in edd. Bas. Colon. Ald. Putsch. *ibi*, quod, cum a MSS. Heidelb. Dresd. Lips. 1. Erl. 1. 2. Luth. absit, ego etiam omittendum esse duxi.

ut: Καλλιχώρου. Addunt edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. *Callimachus*, invitis Codd. Heidelb. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Omisi ergo. Pro vulgato *οὐρίας* scribendum mihi fuit *εὐρείας*. Hoc enim exhibet MS. Heidelb. *καλλιχορου θονοο ευρει ασθουγατηρ*. Erl. 1. *κααδυχωρων χθωνω σηυρηιας*. Lips. 1. *καααιχερου χενος συρειας*. Luth. aliisque *οὖλος*. MS. Erl. 2. *Ϝουλος*. Post *νοῦσος* auct. Codd. Luth. Heidelb. delevi *pro*.

§. 37. *ut Priamus, Pylus, Pelium.* MSS. Dresd. Lips. 2. Erl. 1. *Priamus pro Priamos, Pylus pro Pylos, Pelium pro Pelion.* Erl. 2. *Priamus, Pylus, Pelium, pro Priamos, Pylos, Pelion.*

Est quando amittit vim. Post *amittit* ponitur vulgo *u*, quod auct. Codd. expunxi.

ut quis, quoniam. Hoc idem plerumque patitur etiam inter g et aliquam vocalem, ut sanguis, lingua. S quoque antecedente et sequente a vel e, hoc idem saepe fit, ut suadeo suavis, suesco suetus, quod apud Aeoles quoque *vι* saepe patitur, et amittit vim literae in metro, ut Sappho, *ἀλλὰ τνῖδε ἔλθετε ποτίσαι ἔρωτα.* Similiter *πήλνι* dissyllabum invenitur apud eosdem, cum *νι* non est diphthongus. Est quando transit in consonantem idem u, ut nauta navita, gaudeo gavisus, sicut e contra a consonante transit in vocalem, ut supra diximus, caveo cautus, solvo solutus, faveo fautor, volvo volutus. Saepe interponitur inter cl vel cm in Graecis nominibus, ut *Ἡρακλῆς* Hercules, *Ἀσκληπιὸς* Aesculapius, et antiqui, *Ἀλκμήνη* Alcumena, *Ἀλκμαίων* Alcu-
VII maeon. In consonantibus quoque multae fiunt simili-
38 ter commutationes. L triplicem, ut Plinio videtur, sonum habet; exilem, quando geminatur secundo loco posita, ut ille, Metellus; plenum, quando finit nomina vel syllabas, et quando aliquam habet ante se in eadem syllaba consonantem, ut sol, silva, flavus, clarus; medium in aliis, ut lectus lectum. Transit in x, ut paulum pauxillum, mala maxilla, velum vexillum; in r, ut tabula taberna. M obscurum in extremitate dictionum sonat, ut templum; apertum in principio, ut magnus; mediocre in mediis, ut umbra. Transit in n, et maxi-

---

Ut quis, quoniam. Vulgo, *ut quis quam.* Ego lectionem Codd. Luth. Heidelb. in textum recepi. Lectio vulgata orta est e scripturae compendio *qm*, quo vocem *quoniam* efferri a librariis neminem, qui Codices oculis usurparit, latet. Dresd. *quis quam.* Erl. 2. *quis quem.* Lips. 3. *quis qua quoniam.* Falso ergo in MS. Lips. 1. *qm* illustravit corrector hoc scripturae compendium supra scribendo *ue.*

apud eosdem. MSS. Lips. 3. Erl. 1. *apud Aeoles.*

ut nauta. Vulgo: *ut ναύτης nauta.* Omittunt vocem Graecam ii quoque Codd. qui Graeca referre solent, Dresd. Heidelb. Zwicc. 1. Luth. Erl. 1. 2. Videtur ex §. 52. ubi recte habetur, huc translatum esse.

interponitur. MS. Lips. 3. addit *apud nos.* Literam *u* ante *interponitur* Codd. auctoritate expunxi.

§. 38. *plenum.* MS. Lips. 1. *plenum sonum habet.* Idem mox post *medium* adjicit *sonum.* Utrumque ex illo more, quo supplebantur, quae subintelligenda sunt vel ex antecedentibus vel ex sequentibus. *et quando habet.* MSS. Luth. Lips. 1. Zwicc. 1. 2. *aliquando.* Heidelb. vulgatam retinuit.

me d vel t vel c vel q sequentibus, ut tantum tantundem, idem identidem, eorum eorundem, nuncubi et, ut Plinio placet, nunquis, nunquam, anceps pro amceps. Am enim praepositio, f vel c vel q sequentibus, in n mutat m, anfractus, ancisus, anquiro: vocali vero sequente intercipit b, ambitus, ambesus, ambustus, ambages: necnon etiam in comburo combustus idem fit. Finalis dictionis subtrahitur m in metro plerunque, si a vocali incipit sequens dictio, ut *Illum expirantem transfixo pectore flammas.* Vetustissimi tamen non semper eam subtrahebant. Ennius in x. annalium: *Insignita fere tum milia militum octo duxit delectos bellum tolerare potentes.* N quoque ple- 39
nior in primis sonat, et in ultimis partibus syllabarum, ut nomen, stamen: exilior in mediis, ut amnis, damnum. Transit in g, ut ignosco, ignavus, ignotus, ignarus, ignominia, cognosco, cognatus. Potest tamen in quibusdam eorum etiam per concisionem adempta videri. N, quia in simplicibus quoque potest inveniri per adjectionem g, ut gnatus, gnarus. et sequente g vel c, pro ea g scribunt Graeci. et quidam tamen vetustissimi autores Romanorum euphoniae causa bene hoc facientes, ut Agchises, agceps, aggulus, aggens, quod ostendit Varro in Libro I. de Origine Linguae Latinae his verbis: *Aggulus, aggens, agguilla, iggerunt.* In hu-

---

lectus lectum. Sic Codd. fere omnes. Vulgo: *lectus lecta lectum.* Heidelb. *lectum lectus.*

ut tantum tantundem. Vulgo: *ut tam tandem tantum tantundem.* Codices mei omnes omittunt *tam tandem.* Hanc ob causam e textu ejeci. Mox vero post *identidem* addunt *eorum eorundem* unanimi quidem consensu. MS. tamen Heidelb. omittit *eorum.* Pro *nuncubi* nonnulli libri scripti et omnes impressi habent: *num nuncubi.* Praestantissimi omittit *num*, ut Heidelb. quem secutus expunxi.

anceps pro amceps. MS. Zwicc. 1. *ambiceps.* Ita et Erl. 2. Luth. *ambiceps*, linea subter *bi* ducta. MS. Heidelb. *authiceps.* Mox pro *finalis dictionis* MS. Zwicc. 1. habet *finalibus dictionibus.*

fere tum. Ingentis istius stuporis, quo notae interlineares vel marginales in Codd. plerumque conscriptae sunt, exemplum insigne in medium proferre lubet e Cod. Erl. 1. in quo verba *fere tum* pro *fretum* posita esse dicuntur. Pro *tum* unus meorum *cum.* Erl. 1. *duxit* pro *duxit. milia* secundum optimos Codd. scripsi pro *millia.*

§. 39. *iggerunt.* MS. Dresd. *aggerunt.* Sic et Erl. 1. 2. Sed reliqui

juscemodi Graeci et Attius noster bina gg scribunt, alii n et g, quod in hoc veritatem videre facile non est. Similiter agceps, agcora. Transit etiam in l, ut unus ullus, nullus, vinum villum, catena catella, bonus bellus, catinum catillum: similiter collega, colligo, illido, collido. Transit in m, sequentibus b vel m vel p, autore Plinio et Papiriano et Probo, ut imbibo, imbellis, imbutus, immineo, immitto, immotus, improbus, imperator, impello: similiter in Graecis nominibus neutris on desinentibus, ut *Παλλάδιον* Palladium, *Πήλιον* Pelium. Transit etiam in r, ut corrigo, corrumpo, irrito.
40 Hanc autem mutationem sciendum naturali quadam fieri vocis ratione, propter celeriorem motum linguae labrorumque ad vicinos facilius transeuntium pulsus. Transit supradicta consonans n etiam in s, scindo scissus, findo fissus: in t, canis catulus catellus: in c, ecquid pro enquid. Expellitur a Graecis *ων* desinentibus, cum in Latinam transeunt formam, ut Demipho, Simo, leo, draco, sicut contra additur Latinis nominibus in o desinentibus apud Graecos, ut *Κικέρων*, *Κάτων*, pro Cicero, Cato. Transit etiam in u consonantem, ut sino

---

fere omnes Codd. et Edd. Ven. 1. 2. consentiunt cum lectione vulgata. Nihil igitur mutandum esse censui.

hujuscemodi. Ita scripsi pro *ejusmodi*, Codd. Lips. 2. 3. secutus.

bina gg. Vulgo *binam gg.* Codd. fere omnes ut scripsimus. cf. §. 19. Post *agceps* omisi *et.*

Attius. Codd. *Accius.*

neutris on desinentibus. Vulgo: *in on desinentibus.* Hoc videtur e correctione additum, cum plures Codices receptam lectionem exhibeant, Priscianeo sermoni satis convenientem. MS. Lips. 1. omittit *neutris.*

§. 40. *mutationem sciendum naturali quadam fieri.* Sic MSS. Dresd. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. Luth. Igitur non potui non, quin hanc scripturam praeferrem lectioni vulgatae: *hanc autem mutationem literarum sciendum est quadam naturali* et rel.

scindo scissus. Addit MS. Lips. 3. *fundo fusus.* Dresd. pro *findo fissus* dat *findo fussus.* Paulo ante omisit MS. Lips. 3. *supradicta consonans;* mox *etiam.*

Expellitur a Graecis. Ita MSS. fere omnes. Vulgo: *expellitur n a Graecis.* MS. Lips. 1. *n litera.*

Demipho, Simo, leo, draco. MS. Lips. 2. *Demipho pro Demiphon, Simo pro Simon, leo pro leon, draco pro dracon.*

Transit etiam in u. Addidi e Codd., quod in libris impressis non legitur, *etiam.*

sivi, sterno stravi. R sine aspiratione ponitur in latinis, in graecis vero principalis vel geminata in media dictione aspiratur, ut rhetor, Rhenus, Rhodus, Pyrrhus, Tyrrhenus, Orrhena, pro quo nunc Osrhena dicentes aspirationem antiquae servant scripturae. Transit in l, niger nigellus, umbra umbella. in s, ut arbos pro arbor, odos pro odor. Plautus in Captivis, *Quorum odos sub basilicanos omnes adegit in forum.* verror versus; in duas ss, uro ussi, gero gessi; in u consonantem, tero trivi, sero sevi; in n, aeneus pro aereus. S in metro apud vetustissimos vim suam frequenter amittit. Virgilius in XI. Aeneidos, *Ponite spes sibi quisque.* Idem in XII. *Inter se coisse viros, et decernere ferro.* Ne autem conjunctione sequente cum apostropho penitus tollitur, ut viden', satin', vin', pro vides'ne, satis'ne, vis'ne. Necnon etiam in graecis nominibus as vel es terminan- 41
tibus plerumque tollitur, cum sint primae declinationis, ut Geta, Birrhia, Phaedria, Chaerea, poeta, sophista quoque, Scytha, citharista: in quibus etiam es producta in ă correptam convertitur. Transit haec eadem in n, ut rursum pro rursus, dimminuo pro disminuo.

Orrhena. Cod. Luth. *Horrhena.* MS. Erl. 2. *Orrohena.* Heidelb. *Tyrrhena.* Zwicc. 1. explicat hoc nomen ita: *est nomen civitatis.* MS. Lips. 2. in margine habet hanc notam: *orrhena ludi in sacrificiis.* MS. Erl. 2. *oysrhena genus piscis.* Mox *pro quo* scripsi *pro qua*, Codicibus sic jubentibus.

Osrhena. Ed. Bas. *ofrena.* MS. Erl. 1. *oysrhena.* Lips. 3 *orrhoena.* Heidelb. *osrhoena. aspirationem antiquae.* Expuli Codd. Heidelb. Luth. Erl. 2. Lips. 1. auctoritate *post r*, quod libri editi post *aspirationem* inserunt. E glossemate haec orta esse docet Cod. Luth. in quo suprascriptum legitur *i. e. post r.*

Plautus in Captivis. Act. IV. Sc. 2. vs. 35. Pro vulgato *adigit* scripsi *adegit* auctoritate MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Erunt fortasse, qui temeritatis nomine me taxent, quod hanc lectionem receperim. Sufficiat semel dixisse, in Prisciano non quaeri, quid auctores inducti scripserint, sed quid Priscianus posuerit. Codicum ergo auctoritati parendum est.

Virg. in VI. Aen. vs. 309. *Idem in XII.* 709. *coisse* auctoritate MSS. Heidelb. Zwicc. 1. 2. aliorumque scripsi pro *coisse. decernere* unius Cod. Heidelb. auctoritate retinui. Reliqui enim omnes *discernere.*

§. 41. *sophista quoque.* Vulgo, *quoque sophista.* Illud Codd. tuentur.

etiam es producta. Ita Codd. Vulgo, *es producta.*

Terentius in Adelphis, *Dimminuetur tibi cerebrum.* In n mutatur s, sanguis sanguinis; in r, flos floris, ius iuris, cursus curriculus vel curriculum; in x, Aiax pro Aias, et pistrix pro pistris, in quo sequimur Dores: illi enim ὄρνιξ pro ὄρνις. In d, custos custodis, pes pedis, praeses praesidis, palus paludis; in t, nepos nepotis, virtus virtutis, Samnis Samnitis; in u consonantem, bos bo-
42 vis. Saepe pro aspiratione ponitur in his dictionibus, quas a Graecis sumpsimus, ut semis, sex, septem, se, si, sal. Nam ϝημὶν, ϝὲξ, ϝεπτὰ, ϝε, ϝοι, ϝάλς, apud illos aspirationem habent in principio. Adeo autem cognatio est huic literae, id est s, cum aspiratione, quod pro ea in quibusdam dictionibus solebant Boeotes h ponere, muha pro musa dicentes. Huic s praeponitur p, et loco ψ graecae fungitur, pro qua Claudius Caesar antisigma, ↄc, hac figura scribi voluit. Sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare: quamvis non sine ratione haec quoque duplex a Graecis addita videatur. Nam multo molliorem et volubiliorem sonum habet ψ quam ps vel bs. Hae tamen, id est bs, non aliâs debent poni pro ψ, hoc est in eadem syllaba conjunctae, nisi in fine nominativi, cujus genitivus in bis desinit, ut urbs urbis, coelebs coelibis, Arabs Arabis. Sicut ergo ψ melius sonat, sic x etiam quam gs vel cs. Et x quidem assumpsimus, ψ autem non: sed quantum expeditior

---

Terentius in Adelphis. Act. IV. Sc. 2. vs. 32. Parum accurate hic locus redditus est. Priscianus autem saepenumero neque sensum proprium loci, multoque minus metrum curat.

ὄρνιξ pro ὄρνις. Plures Codd., inter quos praestantissimi Heidelb. Luth. Erl. 2. Zwicc. 2. Lips. 1., *dicunt* inserunt. Facile tamen fieri potuit, ut correctioni hoc debeatur.

§. 42. *ϝημὶν, ϝὲξ, ϝεπτὰ, ϝε, ϝοι, ϝάλς.* Digamma Aeolicum singulis his vocibus nonnullorum Codd. auctoritate praefixi.

Boeotes. Hanc lectionem pro vulgato *Boeoti* praestant MSS. Heidelb. (*Boeotis*) Dresd. Zwicc. 1. 2. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Edd. Ven. 1. 2. *Boetes.* Quod in libris impressis subsequitur, *pro s*, ferri nullo modo potest, cum antecesserit *pro ea.* Apparet importunus glossator. Mei etiam Codd. plerique hoc glossema non referunt. *h ponere.* Vulgo, *scribere.* Receptam lectionem tuentur MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2.

huic praeponitur. Post *huic* positam literam *s* capitis damnavi, Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. hanc sententiam ferentibus. In MS. Heidelb. suprascriptum est ab interpolatore, (agnoscas hunc e literarum ductibus) *i. s.*

est ψ quam ps, tantum ps quam bs. Ideoque non irrationabiliter plerisque videtur loco ψ ps debere scribi, quod de ordine literarum docentes plenius tractabimus. X duplex, modo pro cs, modo pro gs accipitur, ut apex VIII
apicis, grex gregis. Transit tamen etiam in u conso- 43
nantem, ut nix nivis; necnon in ct, ut nox noctis, supellex supellectilis. Sed haec contra regulam declinari videntur. Subit etiam loco aspirationis, ut veho vexi, traho traxi. Vertitur in f, ut efficio, effero. Et sciendum, quod, quotienscunque ex praepositio praeponitur composita cum dictionibus a vocalibus incipientibus, vel ab his quatuor consonantibus, hoc est c p t s, integra manet, ut exaro, exeo, exigo, exoleo, exuro, excutio, expeto, extraho, exequor, exspes, in quo videmur contra Graecorum facere consuetudinem. Illi enim σ sequente nunquam ξ praeponunt, sed κ pro ea, ut ἔκστασις. Melius ergo nos quoque x solam ponimus, quae locum obtinet cs, cujus rationem non solum ipse sonus aurium judicio possit reddere, sed etiam hoc, quod geminari s aliqua consonante antecedente minime potest: geminari autem videtur post consonantem, si, x antecedente, quae loco c et s fungitur, ipsa consequatur, ut exsequiae exsequor. Quod si liceret, licebat etiam post bs vel ps, quas loco ψ duplicis accipimus, addere s, ut diceremus obssessus, abssectus, quod minime licet.

---

volubiliorem sonum. Vulgo *sonitum.* Receptam lectionem praestant MSS. Heidelb. Dresd. Erl. 2. Lips. 2.

melius sonat, sic x etiam. Post *sonat* legitur in libris impressis *quam ps vel bs.* Haec ab interpolatore inserta esse, certus sum. Nam in plerisque Codd. Heidelb. Zwicc. Luth. Lips. 1. supra scripta sunt et varie quidem. Heidelb. *s. quam ps.* Lips. 1. *quam ps vel bs.* Lips. 3. *quam ps et bs.* Luth. *quam ps.* Erl. 2. *quam bs vel quam ps.* Agnoscis glossematis indolem. Sic post *x etiam* addit Zwicc. 1. *melius.* MSS. Lips. 3. Zwicc. 2. *melius sonat.*

§. 43. *Subit etiam loco.* Quae post *etiam* vulgo adduntur, *x litera*, ea, cum absint a Codd., textu movenda censuimus.

Vertitur in f. Expuli *x* ante *vertitur.*

post consonantem, si, x. Hanc lectionem recepi e MSS. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 2. 3. Vulgo, *consonantem s x.* Paulo post vero *si* ante *ipsa* Codicum auctoritate expunxi. Nostrae rationi suffragantur Edd. Ven. 1. 2.

Quod si liceret. Addit MS. Lips. 2. *ut potuisset poni s post x.* Ejusmodi importunis additamentis referserunt scioli grammaticorum maxime libros, in quibus multa passim adsnere fas putabatur. Pro *licebat* MS. Lips. 2. *licebit.*

Nunquam enim nec s, nec alia consonans geminari po-
44 test, ut diximus, alia antecedente consonante. Nunc de mutis dicamus. B transit in c, ut occurro, succurro; in f, officio, sufficio, suffio; in g, suggero; in m, summitto, globus glomus; in p, suppono; in r, surripio, arripio; in s, iubeo iussi. Nam suscipio, sustuli a susum vel sursum adverbio composita sunt, unde subtinnio et subcumbo non mutaverunt b in s. Suspicor quoque et suspicio a susum vel sursum componuntur, sed abjiciunt unam s; quia non potest duplicari consonans, alia subsequente consonante, quomodo nec antecedente, nisi sit muta ante liquidam, ut supplex, suffragor, sufflo, effluo, effringo, quomodo et apud Graecos *συγγνώμη*, *φθέγγμα*. C transit in u consonantem, quiesco quievi, pasco pavi, ascisco ascivi; in x, dico dixi, duco duxi, noceo noxa noxius; in s, parco parsi et peperci dicitur; in g, antecedente n, quadringenta, quingenta, septingenta, ango quoque pro ancho. Et notandum, quod ante hanc solam mutam finalem inveniuntur longae vocales, ut hoc, hac, sic, hic adverbium. Nam ante t, si qua inveniatur, per concisionem hoc evenit, ut audit, munit, fumat, pro audivit, munivit, fumavit. Necnon post s posita, transit aliquando in t, vel assumit eam, ut irascor iratus, nanciscor nactus, nascor
45 natus, paciscor pactus. D transit in c, ut accidit, quic-

---

§. 44. *Nunc de mutis dicamus.* MS. Lips. 1. omittit haec. Ita uti edidimus legitur in MSS. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 2. 3. Luth. Erl. 2. MS. Erl. 1. *Nunc de mutis dicam* atramento rubro, uti ceterae inscriptiones, quas librarii diligentia apposuit. Vulgo, *dicemus.* Sed Prisciamus, ubi, nunc statim se materiam aliquam tractaturum esse, declarat, plerumque optativo utitur.

suffio. Sunt qui omittant hoc exemplum Codd. Lips. 2. 3. Lips. 3. *suffero.*

vel sursum. Cod. Luth. addit *adverbio.*

abjiciunt unam s. Post ea in libris impressis leguntur haec: *non enim dicimus susspicio, sed suspicio.* Absunt vero a plerisque meis Codicibus, Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. In Dresd. ante *non* reperitur *et*, sed omnia, ut spuria, uncis inclusa sunt. Rectius, censeo, absunt.

quomodo nec. MS. Lips. 3. *potest duplicari.*

apud Graecos συγγνώμη, φθέγγμα. Vulgo: *συγγορηγορῶ συγγνώμη, συγγλύφω, συμμνήμων, φθέγγμα.* Eliminavimus tria verba propter Codicum consensum. Nam frustra ea quaeras in praestantissimis, Luth. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb. Dresd.

quam. In g, aggero; in l, allido; in p, appono; in r, arrideo, meridies. Antiquissimi vero pro ad frequentissime ar ponebant, arvenas, arventores, arvocatos, arfines, arvolare, arfari dicentes, pro advenas, adventores, advocatos, adfines, advolare, adfari. Unde ostenditur, recte arcesso dici ab arcio verbo, quod nunc accio dicimus, quod est ex ad et cio compositum. Arger quoque dicebant pro agger. Transit etiam in s, assideo, rado rasi, suadeo suasi. In duas quoque ss, ut cedo cessi, fodio fossus; in t, attinet, attamino, attingo. Haec eadem tamen frequenter interponitur compositis hiatus causa prohibendi, ut redigo, redarguo, prodest. Subtrahitur etiam, cum sequens syllaba ab s et alia consonante incipit, ut aspiro, aspicio, ascendo, asto. F 46 multis modis muta magis ostenditur, cum pro p et aspiratione, quae similiter muta est, accipitur, de quo sufficienter superius diximus. Quanquam antiqui Romanorum, Aeoles sequentes, loco aspirationis eam ponebant, effugientes ipsi quoque aspirationem: et maxime cum consonante recusabant eam proferre in Latino sermone. Habebat autem haec f litera hunc sonum, quem nunc habet u, loco consonantis posita, unde antiqui af pro ab scribere solebant: sed quia non potest vau, id est, digamma in fine syllabae inveniri, ideo mutata est in b, sibilum quoque pro sibilum, teste Nonio Marcello,

---

Ipsa lacuna in Ed. Ven. 1. ostendit, duobus tantum verbis locum vacuum relictum esse. Ed. Ven. 2. cum Ald. et Putsch. consentit.

parsi et peperci dicitur. Vulgo *parsi vel peperci.* Eam, quam nos expressimus, lectionem suppeditavere Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb.

si qua inveniatur. In libris impressis omnibus, quos quidem inspicere licuit, praeter Edd. Ven. 1. 2. adduntur haec: *vocalis longa.* Sed cum vix quisquam esse possit, qui haec ex proximo antecedentibus non facile suppleat, et cum Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. non habeant, expellenda e textu censui. Mox pro *consisionem* cum etymologiae tum Codicibus convenientius scripsi *concisionem.*

paciscor pactus. Addunt libri impressi, *pascor pastus.* Unde editores haec hauserint, nescio, cum ne unus quidem meorum Codicum hoc paradigma exhibeat.

§. 45. *interponitur in compositis.* Ita male legunt libri impressi. Scripti fere omnes praeter Dresd. omittunt praepositionem *in.* Recte. Nam compositis sive iis, quae composita sunt vel componuntur, hiatus prohibendi causa d interponitur.

47 de doctorum indagine, dicebant. G transit in s, spargo sparsi, mergo mersi; in x, rego rexi, pingo pinxi; in ct, agor actus, legor lectus, pingor pictus. H literam non esse, ostendimus, sed notam aspirationis, quam Graecorum antiquissimi similiter ut Latini in versu scribebant; nunc eam diviserunt, et dexteram ejus partem supra literam ponentes, psiles notam habent, quam Remmius Palaemon exilem, Gryllius vero ad Virgilium de accentibus scribens levem nominat, sinistram autem contrariae aspirationis, quam Gryllius flatilem vocat. K supervacua est, ut supra diximus: quae quam-
48 vis scribatur, nullam aliam vim habet quam c. De q quoque sufficienter supra tractatum est, quae nisi eandem vim haberet, quam c, nunquam in principiis infinitorum vel interrogativorum quorundam nominum posita per obliquos casus in illam transiret, ut quis cujus cui. Similiter a verbis q habentibus in quibusdam participiis in c transfertur, ut sequor secutus, loquor locutus. Transit in s, ut torqueo torsi, sicut et c, parco parsi. Similiter abjicit n in praeterito, linquo liqui,

---

§. 47. *rego rexi.* Sic libri scripti praeter Dresd. Impressi, *tego texi.*

psiles notam. Vulgo *psilen.* Nos MSS. Heidelb. Luth. secuti sumus. Dresd. *psilem notam.* Zwicc. 1. *siles.* Erl. 2. *ψpsilen i. e. siccitatis* nota interlinearis. MS. Lips. 1. *psilen.* e corr. *psiles.* Lips. 2. *psilē.* Erl. 1. *psilē.* Lips. 3. *pro ψ psile.*

Remmius. Vulgo *Remnius.* Equidem secutus sum MS. Heidelb. Dresd. e corr. *Remnus.* MS. Lips. 1. *Remus.* Erl. 2. *Remnus.* Erl. 1. *Remius.* Lips. 2. *Herenius et.* Lips. 3. *Erenius.* Ven. 1. a. *Remmius.* Post *exilem* addunt libri impressi *vocat*, quod abest a Codd.

Gryllius. Ven. 1. 2. Bas. 1. Colon. Ald. *Gryllus.* Sed recte Putsch. e Codd. edidit, ut nos quoque scripsimus. Sic et MSS. Zwicc. 1. Lips. 2. Dresd. Heidelb.

levem. Sic Luth. Dresd. Zwicc. 2. Heidelb. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Ven. 1. 2. Vulgo, *lenem.* Cf. supra §. 26.

sinistram autem contrariae aspirationis, quam. Vulgo: *sinistram autem contrariae illi aspirationis dasiam.* Primum propter Codd. auctoritatem e textu ejeci *illi.* Nam abest a Codicibus meis omnibus, etiam ab Edd. Ven. 1. 2. Deinde *dasiam.* Hoc omittunt MSS. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. Erl. 2. In Codice Dresd. ab alia manu super textum scriptum reperitur: *dasian notam habet.* Erl. 1. apertam glossam refert, nam scribit ita: *quam dasiam Grillius flatilem vocat.* Erl. 1. in margine habet *dasian notam.* In Edd. Ven. 1. 2. ita, ut edidimus, scriptum legitur. MS. Lips. 3. *notam ϟ dasiam.* Ex varia illa hujus vocis

nt vinco vici. Transit etiam in x, ut coquo coxi, ut duco duxi. Apud antiquos frequentissime loco cu syllabae quu ponebatur, et e contrario, ut arquus, coquus, oquulus, pro arcus, cocus, oculus, quum pro cum, quur pro cur. T transit in s, verto versus, concutio 49
concussus, ὀστᾶ Graecum ossa; c vero antecedente in x, pecto pexui, flecto flexi. *v* et ζ in graecis tantummodo ponuntur dictionibus, quamvis in multis veteres haec quoque mutasse inveniantur, et pro *v* u, pro ζ vero s vel d posuisse, ut fuga, murrha, pro φυγή, μύῤῥα. Sagunthum, massa, pro Ζάκυνθος, μᾶζα, odor quoque ἀπὸ τοῦ ὄζειν, Sethus pro Ζῆθος dicentes, et Medentius pro Mezentius. Ergo corylus et lympha ex ipsa scriptura a Graecis sumpta non est dubium, cum per *v* scribantur, ἀπὸ τοῦ κόρυλος καὶ τοῦ νύμφη. Solebant enim vetustissimi Graecorum l pro n scribere, unde quinquaginta quoque numeri signum, quod illi per n scribunt, nos per l more illorum antiquissimo scribimus.

Ordo quoque accidit literis; qui quamvis in sylla- IX
bis dignoscitur, tamen, quia conjunctus esse videtur 50

---

positione et ex lectione praestantissimorum Codd. ultro patet, vocem *dasian* spuriam esse. Recte vero cogitatione additur *notam*, sicut ad vocem *sinistram*, quod MS. Lips. 2. addit, *partem* subintelligendum est.

§. 48. *in praeterito.* Vulgo additur *sicut et c.* Sed hoc additamentum otioso glossatori deberi clamat Codicum meorum consensus, haec verba omittentium. Tamen Venetas quoque Edd. occupavit.

§. 49. *graecum ossa.* Sic Codd. mei omnes. Vulgo, *pro ossa.* Paulo post *transit in t*, quod in Edd. post *antecedente* legitur, eadem de causa delevi.

pro ζ vero s vel d. Vulgo *pro ζ vero, quod pro ss conjunctis accipitur, s vel d.* Duriorem fortasse cuipiam ego crisin adhibuisse videar, qui ejecerim notulam illam interpositam, *quod pro ss conjunctis accipitur.* Quod ut facerem, movit me lectionis varietas, quae in MSS. deprehenditur, qua glossatoris importuna diligentia satis clare indicari mihi videtur. MS. Heidelb. omisit. Codd. Zwicc. 1. 2. *quod accipitur pro s d conjunctis.* Dresd. *quod pro duobus ss conjunctis accipitur.* Erl. 2. *quod pro ss junctis accipitur.* Erl. 1. *quod pro duabus ss conjunctis accipitur.* Lips. 3. *quod pro s d vel duabus ss* et rel. Lips. 1. *quod pro s d conjunctis accipitur.* Lips. 2. *quod pro s d conjunctis accipitur s vel d vel II ss posuisse.* Is quidem utramque glossam refert, sed alteram loco perquam incommodo. Zwicc. 2. in margine notatum habet, *vel duas ss.* Haec glossa haud dubie ex §. 32., ubi de litera ζ agitur, huic loco adscripta est. Cf. Ger. Voss. de Arte Gr. Lib. I. Cap. 21.

cum potestate elementorum, non absurdum puto ei nunc illum subjungere. Sunt igitur vocales praepositivae aliis vocalibus subsequentibus in eisdem syllabis a e o: subjunctivae vero e u, ut ae au eu oe. I quoque apud antiquos post e ponebatur, et ei diphthongum faciebat, quam pro omni i longa scribebant more antiquo Graecorum. Invenitur haec eadem i post *v* in Graecis nominibus, ut *"Αρπνια*: nam *vi* diphthongus est. Sunt igitur diphthongi, quibus nunc utimur, quatuor. Diphthongi autem dicuntur, quod binos phthongos, hoc est, voces comprehendunt. Nam singulae vocales suas voces habent, et ae diphthongus, quando a poetis per diaeresim profertur, secundum Graecos per a et i scribitur, ut aulai, pictai, pro aulae et pictae. Virgilius in III. *Aulai medio libabant pocula Bacchi.* Idem in IX. *Dives equûm, dives pictai vestis et auri.* In graecis vero, quotiens hujuscemodi fit apud nos diaeresis penultimae

---

§. 50. *ei nunc illum.* Lips. 3. *nunc illum.* quod placet. MS. Dresd. *ei nunc illum ordinem.* Vocem *ordinem* glossatori deberi ostendit MS. Erl. 1. in quo haec vox ab eadem manu, qua caeterae notae interlineares, supra *illum* posita est.

subjunctivae vero. Sic scripsi e Codd. Lips. 1. Erl. 1. 2. Pro *e u* dedi *e et u*, quod MSS. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. habent.

more antiquo Graecorum. Zwicc. 1. *antiquorum.* Sic et MS. Dresd. Erl. 1. 2. Frequentia tamen Codd. et antiquissimarum Edd. cum recepta lectione consentiunt.

ae diphthongus. Addidi e Codd. Zwicc. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. *diphthongus.* Mox eadem auctoritate jussus delevi *et* ante *Virg.*

Virg. in III. vs. 354. *Aulai medio.* Vulgo, *Aulai in medio.* Sic scripsit Heinsius in ipso Virgilio, Codd. Prisciani auctoritatem, ut dicit, secutus. Cf. Heynium ad vs. 554. Libri III. Nec negari potest, hanc lectionem etiam meorum Codd. plures referre, MSS. Dresd. Lips. 2. 3. Erl. 1. At vero sunt etiam, iique antiquissimi, qui eam, quam recipiendam esse censuimus, exhibeant lectionem, Zwicc. 1. Lips. 1. Erl. 2. MSS. Luth. Zwicc. 2. supra scriptam habent praepositionem *in*, ita ut facile videas, correctori importuno acceptam referendam esse. MS. Heidelb. *aula i.* Quare equidem nullus dubito, quin et Virgilius et Priscianus *aulai medio* scripserint.

Idem in IX. vs. 26. Vulgo, *VIII.* Ipse Putschius hunc numerum habet. Sed est versus 26. Libri noni, et sic etiam nonnulli Codd. Zwicc. 2. Erl. 2.

in graecis vero. Addit Dresd. *dictionibus.* Luth. super scriptum idem refert. Mox Codd. jubentibus *pro* bis positum expunxi.

§. 51. *Transit in i.* MS. Lips. 5. *Transit ae diphthongus.*

Plautus in Aulularia. v. Iud. *I intro.* Addidi e Codd. *I* ante

syllabae, ī prō duplici consonante accipitur, ut Maia *Maia*, Aiax *Aïας*. Transit in ī productam, ut quaero 51
inquīro, exquīro, quamvis exquaero Plautus dixit in Aulularia: *I intro, exquaere, sit'ne ita ut ego praedico.* Laedo illido, caedo occīdo. Ponitur pro ē longa, ut σκηνὴ, scena. Et pro a, ut Aesculapius pro *Ἀσκληπιὸς*, in quo Aeoles sequimur. Illi enim *νύμφαις* pro *νύμφας*, et *φαισὶν* pro *φασὶν* dicunt. Invenitur tamen haec diphthongus in media dictione correpta tunc, quando compositae dictionis antecedentis in fine est sequente vocali, ut praeustus. Virgilius in VII. *Stipitibus duris agitur sudibúsve praeustis.* Homerus *Ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.* Sic etiam longae vocales solent corripi, ut dehisco. Virg. in V. *Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit, convulsum remis, rostrisque stridentibus aequor.* Oe quoque 52
idem patitur apud Graecos. Aeschylus *ἴστρος τοιαύτας παρθένους λοχεύεται.* Unde quidam non sine ratione

---

intro. Nam legitur in MSS. Dresd. Heidelb. Erl. 1, 2. Lips. 1. 2. 3. Edd. Ven. 1. 2. Putsch. Mox pro *exquaere* Zwicc. 1. *exquaero.*

Ponitur. MS. Lips. 3. *Ponitur ae.* Mox *σκηνὴ scena.* MSS. Luth. Erl. 1. Lips. 2. *pro σκηνὴ scena.* Zwicc. 1. Lips. 3. Heidelb. *σκηνὴ pro scena.* Apparet ex hac varietate, illud *pro* emendatori deberi.

praeustus. Vulgo *praeustis.* Ferri quidem potest, quod in statu constructo ponatur haec vox, sed cum Codd. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. 3. Erl. 2. *praeustus* habeant, hoc recipiendum esse putavi, quia obliquus casus hoc loco minus commodus esse videtur. *Virgil. VII.* vs. 524.

Ἀνιπτόποδες. MSS. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. *ἀντίποδες.* Mox *sic* scripsi pro *sicut. Sic* habent omnes fere mei Codices praeter unum.

Virg. in V. vs. 142.

rostrisque stridentibus. Locus vexatissimus. Cf. Heyn. ad Lib. V. vs. 143. MSS. Zwicc. 1. Dresd. Erl. 1. Lips. 1. 3. Edd. Ven. 1. 2. *rostrisque.* Zwicc. 2. *rostris.* Erl. 2. *rostrisque tumentibus.* Lips. 2. *rostris.* Ed. Aldina *rostrisque tridentibus.* Equidem in his tenebris frequentiam secutus sum, ea quoque cogitatione motus, quod reliquae lectiones mihi ex emendatione natae esse videntur.

ἴστρος τοιαύτας παρθένους λοχεύεται. Cum dubius haererem, unde hic Aeschyli versus petitus esset, neque mihi ipse consulere possem, literas dare ausus sum ad Virum praeclarum, Godofredum Hermannum, praeceptorem meum pie colendum. Is, qua summi viri esse solent humanitate, mihi rescripsit, legendum esse versum ita, ut nos edidimus, atque, teste Hephaestione p. 7. ed. Gaisford. ex Aeschyli Niobe desumtum esse, me docuit. Iam vero notanda est lectionis varietas. Putschius *ἴστρος τοιαύτας*

unum semis singulas eas habere tempus dicunt. Ideoque si consequatur consonans, quae dimidium tempus habet, omni modo producuntur. Au quoque videtur quasi pati divisionem, cum, i post u addita, transit eadem u in consonantium potestatem, ut gaudeo gavisus, ναύτης navita, ναῦς navis. Transit tamen etiam in b, ut aufero abstuli ablatus. Et sciendum, quod pro ab praepositione au ponitur in his verbis, aufugio et aufero. E contrario quoque frequenter solet fieri, ut, antecedente a et u loco consonantis sequente, si abjiciatur vocalis posita post eam, id est, post u consonantem, au diphthongus fiat, u redeunte in vocalem, ut lavor lautus, faveo fautor, avis auceps, augurium, augustus. Transit in o productam more antiquo, ut lotus pro lautus, plostrum pro plaustrum, cotes pro cautes: sicut etiam contra pro o au, ut austrum pro ostrum, ausculum pro osculum, frequentissimeque hoc faciebant antiqui. In u quoque longam transit, fraudo defrudo, claudo inclu-
53 do. Eu transit in ē longam, ut Achilles pro Ἀχιλλεὺς, Ulixes pro Ulixeus, quod ostenditur ex genitivo Ulixei.

παρθένου λοχεύεται. Gaisfordus ad Heph. l. l. ed. Iunt. lectionem hanc notat: οἶστρος τοιαύτης, παρθένους λοχεύετε. Ald. Prisc. οἶστρος τοιαύτας παρθένους μαίευται. Ita et Colon. Bas. MS. Dresd. ιστρος τροσιαυτας παρθενους κοχθυεται. Erl. 1. υστρως θυλυθας ναρσηνωυς, omisso λοχεύεται. Erl. 2. ισθιρως θωυαυθας παρθηνωυς καυχηιθαυ. Lips. 2. ιεικος τουσαυτας παρτενους αυχενουστας. Heidelb. ιστρος τιαυdας πα ρθενου σαοχευεται. Lips. 1. ιστ ροςτοιταιτας τιαρθενουςαοχεν. Ed. Ven. 2. οἰστρος τοῖαὔτασ παρθενοῦσ λοχεύταὶ. Addam, quae Hermannus pro sua benevolentia literis mecum communicavit. Ald. Manutius Instit. gramm. Ven. 1558. 8. fol. 160. a. ἶστρος — λοχεύεται. Hunc Aeschyli versum tractaverunt D'Arnaud Specim. animadv. crit. p. 98 seqq. D'Orville Vann. Crit. p. 504 seqq. Bloomfield ad Aesch. Prom. 513. Denique notandum est, in capite subdititio, quod Libro V. annexum legitur, illum Aeschyli versum ita exhiberi: τοιαῦτας οἶστρος παρθένους λοχεύεται.

§. 52. *unum semis singulas eas habere tempus.* Vulgo, *unum tempus et semis* et rel. *Tempus* Codices mei omnes post *habere* ponunt: ita et Edd. Ven. 1. 2. Tum expunxi *et* post *unum*, primum quod Edd. antiquissimae et MSS. Zwicc. 2. Heidelb. omittunt et Codd. Dresd. Luth. Lips. 1. nonnisi ex aperta correctione hoc *et* exhibent; deinde quod semper fere in sermone Romano minor numerus majori, nulla conjunctione interposita, subjungitur.

Transit tamen. Vulgo omittitur *tamen.* Sed habent Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2.

Horatius in primo Carminum, *Nec cursus duplices per mare Ulixei.* In u etiam mutatur fugio pro φεύγω. Oe est quando per diaeresim profertur in graecis nominibus et graecam servat scripturam. Pro o enim et i ponitur, quae tamen, sicut supradictum est, locum obtinet duplicis consonantis, ut Troia pro *Τροία*, Maia pro *Μαῖα*. In hoc quoque Aeoles sequimur. Sic enim illi dividentes diphthongum *κοῖλον* pro *κοῖλον* dicunt. Apud Graecos tamen quoque, i sequente, producere licet antecedentem brevem, ut Homerus in hoc versu, *Νέστορα δ' οὐκ ἔλαθεν ἰαχὴ, πινόντα περ ἔμπης.* Aufertur ei, id est, oe diphthongo, altera vocalis, sequente e longa, more Attico, ut poeta pro *ποιητὴς*, poema pro *ποίημα*, necnon pro ωι, diphthongo Graeca, nos hanc, id est, oe ponimus, ut *κωμῳδία* comoedia, *τραγῳδία* tragoedia dicentes. Nec mirum, cum pro ω quoque habemus o, et pro i e in diphthongo accipimus. Hoc tamen quoque ad imitationem Boeotorum solemus facere. Transit in u longam, ut Phoenices, Punices, phoeniceon, puniceum, poena, punio. Nunquam diphthongus in praeterito per- 54

---

sicut etiam contra. Omittit *contra* Cod. Erl. 2. Ven. 1. 2. *e contra.*

§. 55. *Achilles pro Achilleus, Ulixes pro Ulixeus.* Sic scripsi ex Codd. Zwicc. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb. Edd. Ven. 1. 2. Vulgo, *pro Ἀχιλλεὺς — Ὀδυσσεύς.*

ex genitivo. Sic Zwicc. 1. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Heidelb. Vulgo *in genitivo.*

Horatius in Carm. I. 6, vs. 7. Codd. mei omnes *duplices* pro *duplicis.*

Apud Graecos tamen quoque, i sequente, producere licet antecedentem brevem. Ita Aldina, Colon. Edd. hunc locum constituerunt. Variant reliquae Edd. et Codices etiam. Putsch. inseruit inter *antecedentem* et *brevem* literam *e*; qua auctoritate, nescio. Ven. 1. 2. post *tamen* posuit *o* cum MSS. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. Cod. Luth. *hoc.* Dresd. *tamen in o quoque.*
hoc o
Erl. *tamen quoque.* Sed, quae supra textum in hoc Cod. posita sunt, ab aliena manu addita esse videntur. Apparet etiam duas diversas lectiones h. l. junctas esse. Lips. 3. *tamen o quoque.* Equidem fateor mihi Aldinae lectionem videri caeteris omnibus praeferendam esse, et in oculos incurrit, illud *o* ab interpolatore, parum acuto, intrusum esse.

Hom. v. Ind.

hoc tamen quoque. Addidi *quoque* e Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 3. Erl. 2. Dresd.

fecto mutatur, ut haereo haesi, audio audivi, mocnio mocnivi, excepto caedo cecidi. Ei diphthongo nunc non utimur, sed loco ejus in Graecis nominibus e vel i productas ponimus. Et in priore sequimur Aeoles. Illi enim τῷ Δημοσθένῃ dicunt pro Δημοσθένει et ἦπον pro ἧττον. Et nos plerumque, cum ει apud Graecos sit pura penultima, in illis maxime foemininis, quae per adjectionem assumunt a apud Graecos, mutamus ει in e productam, ut Δηΐόπη Δηϊόπεια Deiopea, Καλλιόπη Καλλιόπεια Calliopea. Nam in illis, quae in ia solum desinunt apud Graecos, raro fit hoc, ut Argia, Alexandria, Nicomedia, Langia, Lampia. Statius in IV. Theb. *Candensque jugis Lampia nivosis.* Idem in eodem: *Haec quoque secreta nutrit Langia sub umbra.* Idem in II. *Tunc donis Argia nitet, vilesque sororis ornatus sacro praecultа supervenit auro.* Raro autem diximus propter Medeam, Plateam. Nam quod Virgil. *Qui tela Typhoëa temnis* e correptam protulit, doricum est: illi enim solent ει diphthongo abjicere i. In Latinis autem dictionibus difficile invenis i longam ante vocalem positam, nisi in genitivis in ius desinentibus, ut illius, solius, ullius, quae tamen licet et corripere, et in verbo fiam fias fiat, quod ipsum quoque contra aliorum ejusdem conjugationis fit
X regulam verborum. In masculinis quoque ει pura in e
55 longam convertitur, ut Ἀχιλλεῖος Achilleus, Ἀλφεῖος Alpheus, σπονδεῖος spondeus. Non sine ratione tamen hoc fit. Sed quia i pura penultima ante us vel a vel um per nominativos non invenitur producta in Latinis dictioni-

---

§. 54. *Statius in IV. Theb.* vs. 711. Adjeci *Theb.* ex MSS. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 2. 3.

Candensque. Zwicc. 1. *Cadensque.*

In eodem. vers. 717. *Idem in II.* vs. 260.

praecultа. Sunt qui exhibeant *perculta.*

Plateam. Vulgo additur *Niceam.* Delevi Codicum jussu praestantissimorum, Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 2. Luth. Heidelb.

Virg. Aen. I, 665.

solent ει diphthongo. MSS. Lips. 1. 2. addunt *ab* ante *ει.* Luth. supra textum *ab* habet. In Dresd. *de* superscriptum est.

invenis. Ita MSS. Zwicc. uterque, Luth. Lips. 1. Heidelb. pro vulg. *invenies.* Cum vulgata lectione consentiunt MSS. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 3.

licet et corripere. Omisi, quod libri impressi adjiciunt, *in metro.* Nam septem meorum Codd. omittunt.

§. 55. *Statius in X. Theb.* vs. 343. 44.

bus nisi in dissyllabis et ipsis Graecis. Nam in Graecis saepe invenimus, ut Chius et dia, et in uno trisyllabo, quod apud Statium legi, Lycius. Statius in X. Thebaidos: *At patrias si quando domos optataque Paean templa Lycie dabis tot ditia dona sacratis postibus, et totidem voti memor exige tauros.* In aliis vero, consonante sequente, pro *ει* diphthongo longam i ponimus, ut Νεῖλος Nilus. In semivocalibus similiter sunt aliae prae- 56
positivae aliis semivocalibus in eadem syllaba, ut m sequente n, ut Mnestheus, amnis. S quoque sequente m, ut Smyrna, smaragdus. Nam vitium faciunt, qui z ante m scribunt. Nunquam enim duplex in capite syllabae posita potest cum alia jungi consonante. Lucanus quoque hoc ostendit in X. *Terga sedent, crebro maculae distincta smaragdo.* Nam si esset z ante m, subtrahi in metro minime posset, nec staret versus. S enim in metro consonantis vim saepe amittit. In fine autem syllabae omnes liquidae solent ante s poni, ut puls, hyems, mons, ars. Similiter ante x, excepta m, ut falx, lanx, arx. In mutis praeponuntur b et g, sequente d, ut βδέλυρὸς, bdellium, genus lapidis, Abdir, abdomen, Mygdonides. C vero et p praeponuntur sequente t, ut actus, lectus, aptus, diphthongus. Semivocalis nulla praeponitur mutis nisi s sequente b, ut asbestus, Asbutes; c vel q, ut scutum, squalor; p, ut spes, sphaera; t, status, sthennius. Ante aliam autem nullam mutarum. Mutae vero semivocalibus praepo- 57
nuntur liquidis absque m, omnes pene omnibus: bl, ut blandus; cl, clarus; dl, Ibodlas, nomen barbarum; fl, flavus; gl, gladius, Glabrio; tl, Tlepolemus, Atlas; pl,

---

Ad. Haec est lectio Codicum fere omnium. Unus, si recte enotavi, Lips. 2. *at.* Hunc secutus sum, praeeunte Putschio.

consonante sequente. Expuli literam *l* post *consonante*, Codd. auct.

§. 56. *Luc. X.* vs. 121. *maculas.* Mei Codd. omnes *maculae*, Dresd. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl 1. In Erl. 2. *maculas* radendo mutatum est in *maculis* et superscriptum ab alia manu vel *luc.* Edd. Ven. 1. 2. Colon. *maculas.* Ego Codicem sequi debui.

Abdir. MSS. Zwiccavienses, Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. Heidelb. *Abdira.* Alibi dicitur *Abaddir.*

Asbutes. Sic Codd. mei omnes. Vulgo, *asbustes.* Edd. Ven. 1. 2. *asbutus.* Haec vox desideratur in Lexicis tum Graecis, tum Latinis. Est haud dubie proprium nomen. Asbytae erant gens Africae.

§. 57. *Mutae vero.* MS. Lips. 3. addit *ante liquidas.*

planus; bn, abnuo; sed b magis superioris est syllabae; cn, Cnidus; dn, Cidnus, Ariadne; gn, Gneus; tn, Aetna; pn, Therapne, Sipnus; br, Brennus, umbra; cr, creber; dr, Drances; gr, gratus; fr, frater; pr, pratum; tr, tractus. Ante m autem inveniuntur c d g t, ut pyracmon, Alcmene, dragma, Dmois, Admetus, agmen, Tmolus, Isthmos. Tres autem consonantes non aliter possunt jungi in principio syllabae, nisi sit prima s vel c vel p; secunda quidem post s, c vel t vel p; tertia l vel r, ut Asclepiodotus, scriba, stloppus, splendidus, spretus, stratus. Sed l in solis illis, quae ab s incipiunt. In Graecis etiam φ secunda ponitur, quam nos per ph plerumque scribimus, ut σφραγίς. Post c autem vel p principales secunda t ponitur, tertia r, ut victrix, sceptrum. Nam post pt vel ct simul junctas l non invenitur, ut
58 ostendimus, ipsa soni natura prohibente. In fine vero dictionis contra invenimus primam liquidam, sequen-

---

Sipnus. Sic libri impressi et scripti, Luth. Erl. 2. Dresd. Lips. 2. Sed Zwicc. 2. Lips. 1. Erl. 1. *sypnus.* Heidelb. *siphnus.*

gratus. Sic Edd. et Codd. Heidelb. Dresd. Erl. 2. Alii, Luth. Lips. 1. 2. Zwicc. 2. *Graecus.*

pyracmon. Sic Codd. fere omnes, et Edd. Ven. 1. 2. Vulgo *pyragmon.* Mox pro *dracma*, quod in Edd. et nonnullis MSS. reperitur, stripsi *dragma* e MS. Heidelb.

secunda quidem post s, c vel t — victrix, sceptrum. Ita hunc locum constituendum putavi, qui in libris impressis sic legitur: *secunda post s quidem c vel t vel p. Post c autem aut p principales, secunda t, tertia l, vel r; sed l in solis illis, quae ab s incipiunt, ut Asclepiodotus, scriba, stlopus, stratus, splendidus, spretus. In graecis etiam φ secunda ponitur, quam nos per ph plerumque scribimus, σφραγις, victrix, sceptrum.* Loco ita constituto apparet primum, verba *tertia l vel r* nullo modo eo, quo posita sunt, loco ferri posse, cum pertineant ad eam regulam, quam de syllabis ab s incipientibus tradit. Deinde in oculos incurrit, exempla, illustrandae regulae causa proposita, ut *Asclepiodotus* et rel., praeponenda esse regulae, quam de syllabis ab c vel p incipientibus praecipit. Denique negari nullo modo potest, *victrix, sceptrum* post *σφραγις* ineptissime poni, nec cum proxime sequentibus apte jungi posse. Accedit, quod Codd. praestantissimi in hoc loco constituendo variant. MS. Luth. post *c vel t vel p* ab alia manu addita exhibet, *ut Asclepiodotus, stratus, spretus.* MS. Erl. 2. post *spretus* exhibet, *strictus, victrix, sceptrum*, sed linea subducta declarare vult, se spuria ea habere. Post *σφραγις* addit, *t secunda ponitur post c vel post p.* Quod additamentum in Codd. Lips. 1. 2. in margine reperitur. In MS. Lips. 2. *victrix, sceptrum* linea transverse ducta deleta et in margine post *prohibente* adscripta sunt. Quae cum ita sint, ad en-

tem mutam, postremam s, ut urbs, stirps: sin autem in duas desinit consonantes dictio, necesse est priorem liquidam esse, et sequentem s vel x, ut supra ostendimus, vel c vel t antecedente n, ut hinc, hunc, dicunt, amant: vel loco ψ graecae bs vel ps scribere pro ratione genitivi, ut Arabs Arabis, Pelops Pelopis, coelebs coelibis, princeps principis. Quibusdam tamen, ut supra docuimus, non aliter videtur ψ graeca, nisi per ps scribenda. Quanquam enim ratio genitivi supradictam exigat scripturam, tamen cognationem soni ad hoc proclivioremesse ajunt. Hoc tamen sciendum, quod principium syllabae omnimodo pro ψ ps debet habere, ut psitacus, Pseudolus, ipse; nubo quoque nupsi, et scribo scripsi faciunt, quamvis analogia per b cogit scribere, sed euphonia superat, quae etiam nuptam, non nubtam, et scriptum, non scribtum, compellit per p, non per b, dicere et scribere.

---

sus certe integritatem revocare studui hunc locum, quod quidem transpositis verbis et addito e conjectura *tertia r* assecutus mihi esse videor. Confusio inde facile nasci potuit, quod oculi librarii ab *tertia l vel r* aberrarent, et sic totum locum turbarent. Hoc quidem in antiquissimis Codd. factum esse inde apparet, quod nullus eorum, quos contuli, integrum locum exhibet. *Quidem* in Edd. post *s* legitur; ego Codd. secutus sum.

Post e autem vel p. Edd. *aut p. stloppus.* Edd. *stlopus.* Sed Codices mei omnes per duplex p scribunt. Ad explicandam vim vocis rarioris Zwicc. 1. haec addit: *est crepitus linguae et palati et est factitium nomen.* Erl. 2. *inflatio buccarum.* Zwicc. 2. *stloppus, ut volunt quidam, est sonus, qui fit in ore per digitum aut inflatione buccarum.* Lips. 1. *bufa, quae fit ore.*

§. 58. *desinit.* Ita Codd. Zwicc. 1. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 2. Vulgo, *desinat*, quod exhibet MS. Heidelb.

hinc, hunc, dicunt, amant. Hunc ordinem tuentur plerique MSS. Impressi post *amant* ponunt *hunc.*

loco ψ graecae. Scripsi *graecae* pro *graece*, quod Edd. exhibent. Codd. enim plures illud habent, Dresd. Zwicc. 1. Luth. Lips. 1. Erl. 1. Cum Edd. faciunt MSS. Dresd. Erl. 2. Lips. 2. Zwicc. 2. Lips. 3. Heidelb. Sed in Codd. saepenumero *e* et *ae* confusae deprehendas.

ψ graeca nisi per ps. Vulgo, *pro ps.* Illud reperitur in MSS. Luth. Erl. Dresd. Heidelb.

Pseudolus. Codd. plures *pseudulus*, Zwicc. 2. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 2. Edd. Ven. 1. 2. Mox pro *cogat* scripsi secundum Codd. *cogit.*

per p, non per b. Ita Codd. Zwicc. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Heidelb. Luth. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. Vulgo, *per p, non b.*

LIBER SECVNDVS.

1 Syllaba est comprehensio literarum consequens, sub
1 uno accentu, et uno spiritu prolata. Abusive tamen etiam singularum vocalium sonos syllabas nominamus. Possumus tamen et sic definire syllabam. Syllaba est vox literalis, quae sub uno accentu, et uno spiritu indistanter profertur. Ab singulis tamen incipiens, non plus quam ad sex literas procedere syllaba potest in latino sermone, ut a, ab, abs, mars, stans, stirps. Et sciendum, quod syllabae, quae ex singulis constant litteris, non plures sunt, quam ipsae vocales, ex quibus fiunt: quae autem ex amplioribus literis, pene innumerabiles. Nulla syllaba tres vocales habet; unde u et i non aliter junguntur diphthongis, nisi loco positae con-

---

Cap. I. §. 1. *definire syllabam.* Adjeci *syllabam* Codicum auctoritate, Lips. 1. 2. 3, Erl. 1. 2. Heidelb. Luth. Dresd.

ab singulis. Plures MSS. *ab* pro vulg. *a*, Zwicc. 1. Luth. Heidelb. aliique. In Lips. 1. litura *b* deletum est, sed ita, ut conspiciatur fere integra. Edd. Ven. 1. 2. *ab.*

a, ab, abs. Vulgo, *a, ab, arx.* *abs* habent Codd. Erl. 2. Lips. 3. *arx* habet Lips. 1. Erl. 1. Heidelb. *ars* habent MSS. Dresd. Lips. 2.

quam ipsae vocales. MS. Luth. addit *sunt.* Mox pro *ex quibus fiunt* Edd. Ven. 1. 2. *de quibus.*

tum jungi. Vulgo, *tunc conjungi.* Quod scripsi, Codices exhibent plerique.

§. 2. *σπονδεῖος, Νεῖλος.* Nonnulli Codd. *σπονδειους Νειλους.* Sic hoc scribit Dresd.; utrumque Lips. 2. Pessime. Nam in *spondeus* ει per e, in *Nilus* per i longam scribitur a Romanis; ejusque rei confirmandae causa haec in medium proferuntur exempla.

vel a vocali, consonante antecedente vel sequente. Sic Codd. plerique, Zwicc. Lipss. Luth. Dresd. Heidelb. Vulgo *et consonante antecedente et sequente.*

non plus tamen. Vulgo, *non plures tamen.* Quod ego posui,

sonantium, u tamen etiam tum jungi potest diphthongo, cum amittit vim literae, ut quae, linguae. Saepe 2
inveniuntur pro duabus vocalibus junctis, hoc est, pro diphthongo singulae vocales positae, ut plostrum pro plaustrum, et inquiro pro inquaero, et ubique pro ei diphthongo e producta vel i, sicut supra dictum est: pro ov autem u in Graecis dictionibus ponimus, ut σπονδεῖος spondeus, Νεῖλος Nilus, μοῦσα musa. Quae singularum literarum sunt syllabae, ex vocalibus, ut dictum est, constant, ut a e; quae autem ex duabus constant, vel a vocalibus fiunt, et invenitur diphthongus, ut au oe: vel a vocali, consonante antecedente vel sequente: antecedente, ut da: sequente, ut ad. Non plus tamen quam tres consonantes antecedere vocalem, nec rursus consequi nisi tres possunt. Sed tamen hoc notandum est, quod, si tres consonantes antecedunt vocalem, non possunt nisi duae consequi, ut monstrans: nec iterum, si consequuntur tres, possunt antecedere nisi duae, ut stirps. Si antecedens syllaba terminat in consonantem, necesse est etiam sequentem a consonante incipere, ut artus, ille, arduus, nisi sit compositum, ut abeo, adeo, pereo. Herodianus tamen de Orthogra- 3
phia ostendit, rationabilius esse sonoriusque quantum

Codices suppeditaverunt, Dresd. Zwicc. 1. 2. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Heidelb. Edd. Ven. 1. 2.

antecedere. Vulgo additur *vocalem.* Hanc vocem omittunt nonnulli Codices, inter quos Heidelb. quem secutus sum. MS. Luth. supra scriptum exhibet. Mox ordinem verborum immutavi. In libris impressis hoc modo posita leguntur, *nisi tres consequi.* Sed sic, ut nos dedimus, ordinata verba exhibent Codices mei omnes.

quod, si tres consonantes antecedunt vocalem, non possunt nisi duae consequi; nec iterum si et rel. In libris impressis *vocalem* post *consequi* ponitur, et pro indicativo subjunctivus scriptus est. Eundem Codicem Zwicc., antiquissimos illos, secutus sum. Ceteri libri MSS. variant. Dresd. *quod si tres consonantes praecedant vocalem.* Sic et Lips. 2. praeterquam quod hic pro *nec iterum consequuntur* dat, *nec non consonantes si consequuntur tres.* Lips. etiam 3. indicativum ponit, et omittit *consonantes.*

terminat. Vulgo *terminet.* Sic plures etiam MSS. Lips. 2. *terminat.* Hujus Codicis veterrimi lectionem recipiendam esse putavi, quia nulla apparet causa, cur conjunctivus ponendus sit.

Herodianus tamen. Addit Lips. 3. *scribens*, quod in Erl. 1. supra scriptum est. Mox pro *ostendit* Dresd. *hostendit.*

ad ipsam vocis prolationem, in compositis quoque simplicium regulam in ordinandis syllabarum literis servare. Objicitur tamen huic illud, quod oportet ergo oblitus, oblatus, obruo, abrado et similia, si b transit in secundam syllabam more simplicium dictionum, primam communem habere in metris, ut possit etiam corripi; sed hoc nusquam invenitur. Praeterea circumeo, circumago, et similia non paterentur elisionem m in pronuntiatione, si transiret in sequentem syllabam m: nec in prohibeo, exhibeo, inhumatus, anhelo, inhibeo, adhuc, abhinc, et similibus secundae syllabae principalis aspiraretur vocalis, si terminalis consonans praepositionis in eam transiret, quo modo in istic istaec istuc. Si in media dictione syllaba a vocali incipit, necesse est antecedentem quoque, nisi sit composita, in vocalem terminari, ut pietas, curialis, pareo, eo, ruo, munio. Est tamen quando in compositis etiam subtrahi-
4 tur consonans, ut coeo cois. Principales syllabae, hoc est in principio dictionum positae, ab omnibus incipere literis, desinere tamen non in omnes possunt, sed in has. Vocales quidem omnes, a quacunque consonante incipiat sequens syllaba, ut mare, genus, filius, votum, ludus; in consonantes vero, si sequens syllaba a vocali incipiat, non possunt desinere, nisi, sicut supra dictum est, in dictionibus, quae ex praepositionibus in consonantes desinentibus vel aliis partibus orationis sint

---

§. 3. *oblatus.* Vulgo, *ablatus.* Sic et Dresd. Illud habent Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Zwicc. 2. Edd. Ven. 1. 2. Pro *oblatus* Zwicc. 1. *oblectus.*

non paterentur elisionem m in pronunciatione. Erl. 2. omittit *m*: Lips. 3. *paterentur abscisionem.*

istic istaec istuc. Vulgo, *istac. Istuc* habent MSS. Zwicc. 1. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Luth. MS. Dresd. Zwicc. 2. *istic istoc istuc.* Erl. 2. *istac istic istuc.* Lips. 3. addit *ratione effectus.*

pareo, eo. Sic Codd. Dresd. Zwicc. Luth. Erl. 1. Lips. 2. *pereo, eo.* Cum vulg. consentiunt Edd. Ven. 1. 2. Ald. MSS. Lips. 1. Erl. 2. Heidelb.

§. 4. *sed in has. Vocales quidem omnes.* Vulgo, *sed in has. Vocales quidem omnes.* Lectio, quantum ego quidem judicare possum, parum apta. Major certe interpunctio post *has* nullo modo commoda est. Recte igitur sustulit eam editor Venetus. Sed tum illud *has* abundat. Cod. Dresd. ante *sed* punctum habet, et ante *vocales* praepositio *in* supra scripta est, fortasse ab alia manu. Erl. 2. *sed in has. In vocales.* Cum vero Priscianus

compositae, ut abutor, obedio, subeo, aduro, inco, exacuo, intereo, perago, transeo, praetereo alterutrum. Nec tamen, si sequens a consonante incipit, licet antecedenti in quamcunque consonantem desinere. Ergo per singulas consonantes, ut potero, id tractare conabor. In b invenitur syllaba desinens, si sequens quoque ab eadem incipiat, ut sabburra, sabbata, gibbus, gibberosus, gibber, obba; composita quoque sunt a praepositionibus in b desinentibus, et aliis dictionibus a b incipientibus, ut subbibo. Quae tamen consonans c sequente solet plerunque in eam mutari, ut occido, occumbo, succino, succido. In quibusdam tamen pro ab abs praepositio cum dictionibus a c incipientibus componitur, ut abscondo, abscedo, abscido. Ob quoque est quando assumit s, cum componitur cum dictione a c incipiente, ut obscurus, obscoenus. F etiam sequente in eandem convertitur b vel in u vocalem, ut officio, offundo, sufficio, suffero, suffio; similiter, aufero, aufugio, ne, si affero, affugio dicamus, pro adfero et adfugio accipiantur. G quoque sequente in eam transit b, ut suggero, oggannio: necnon etiam in m, ut summitto. Praeterea omitto pro ommitto dicimus. Terentius in Adelphis: *Omitte mulierem.* Horatius in secundo Sermonum: *Aut spem deponas, aut partem illusus omittas.* Idem patitur p sequente, ut oppono, suppono. R quoque sequente plerunque in eam converti-

---

scribendi genere minime polito, sed duro asperoque usus sit, non ausus sum mutare lectionem, quae tot Codicum auctoritate nitatur.

praetereo alterutrum. Inserui *alterutrum* a Codd. meis omnibus suppeditatum.

si sequens a consonante incipit, licet antecedenti. Sic Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Vulgo, *incipiat, antecedentem.* Cum MSS. consentiunt Edd. Ven. 1. 2.

sabburra. Lips. 2. in margine haec notat: *sabulum vel navis, et erit in hac dictione geminatum b, etsi poetice invenitur prima corripit, ut:* hic fluctu jactante saburram. MS. Heidelb. *Sabbura.*

§. 5. *obba.* Zwicc. 2. explicat, *vas sive olla monachi.*

abscido. Sic Codd. mei omnes, et Edd. Ven. 1. 2. Vulgo *abscindo. Terentius in Ad.* Act. II. Sc. 1. 18. *Horatius in II. Serm.* V, 26.

illusus. Lips. 3. *illius.* Edd. Horatii omnes *artem.* Sed Codd. nostri tuentur *partem.* Hic etiam, nisi fallor, locus ostendit, memoriter Priscianum non semel recitasse locos scriptorum. Cauto igitur et circumspecte alter ex altero emendandus est.

oppono, suppono. Lips. 1. addit: *pro subpono, obpono.*

tur, ut arripio, surripio. In quibusdam autem manet immutabilis, ut abrogo, abrado, et puto differentiae causa, ne, si arrogo et arrado dicamus, dubium sit, ab, an ad praepositio sit, quae mutavit suam consonantem in r. Aliis autem quibuscunque literis sequentibus integra manet b, ut abdo, obdo, subdolus, abhinc, abluo, sublatus, obloquor, abnego, obnitor, subnixus. Ergo nulla, nisi praepositio cogat, antecedens syllaba in b potest desinere, nisi consequens quoque a b incipiat, ut in supra dictis nominibus ostendimus. In c quoque nulla syllaba superior desinit, nisi sequens quoque a c vel a q incipiat, ut bacca, bucca, soccus, ecquis, quicquam. Atque ex hoc quoque ostenditur, eandem vim habere c et q. In d pariter nulla potest syllaba desinere praepositiva, nisi sequens quoque ab eadem incipiat, in simplicibus dictionibus, et in plerisque compositis, ut Abaddir vel Abaddier, addo, reddo, redduco. quod etiam reduco dicitur. Virgilius in VIII. *Reddidit una boum vocem.* Terentius in Phormione: *Sectari in ludum, ducere ac reducere.* Horatius in Epodo: *Deus haec fortasse benigna reducet In sedem vice.* Virgilius in IV.

---

§. 6. *in quibusdam autem.* Vulgo *tamen.* Nos Codd. lectionem restituimus.

supra dictis. Vulgo, *suprascriptis*, quod non solum Codicibus meis plerisque, sed etiam usui Priscianeo repugnat. Piget adscribere locos parallelos. Transposui Codd. auctoritate sequentia verba, *ostendimus nominibus.*

sequens quoque. Addidi e Codd. *quoque.* Edd. Ven. 1. 2. *nisi consequens quoque.*

Abaddir vel Abaddier. Lips. 1. *Addir vel Addier*, supra scripto bis *ab.* Dresd. omittit *vel.* Lips. 2. Erl. 1. *ab addir vel ab addier.* Ita et Ed. Ven. 1. Erl. 2. omittit *Abaddier.* Lips. 3. *abdier.* Heidelb. *abaddir vel ab addier.*

Virg. in VIII. vs. 217. Vulgo, *IX.* Sed Codices et, quod caput rei est, Aeneis ipsa, octavum numerum poni jubent.

ducere ac reducere. Vulgo, *atque.* Codices omnes *ac* praeter unum, qui habet *et*, quod in Edd. Terentii plerisque legitur. Est locus Act. I, 2, 36.

reducet. MSS. Dresd. Lips. 2. *redducet.* Recte quidem, sed non opus est, ut geminetur litera.

Horatius in Epod. 15, vs. 7. *Virg. in IV.* vs. 375.

§. 7. *aggero.* Sic Codicum meorum septem. Vulgo, *aggrego.* Codicibus adsentitur utraque Veneta.

attineo. Ita Codd. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Erl. 1. Luth. Vulgo: *attinet*, quod Heidelb. Erl. 2. quoque et Edd. Ven. 1. 2. habent.

Aeneidos: *Ejectam classem, socios a morte revàvi.* Haec 7
tamen ipsa consonans in ad praepositione mutatur sequente c vel g vel p vel t, ut accumbo, accido, aggero, applico, appello, attingo, attineo. F quoque sequente rationabilius, ut affectus. l allido; r arrideo; n annuo; s assiduus. Subtrahitur etiam in quibusdam, si consequens dictio a gn vel sp vel sc incipit, ut agnitus, aspectus, ascendo. Aliis sequentibus literis, integra manet in compositione, ut adbibo, adhaereo, admitto, adquiro, advoco. Frequenter tamen invenimus, f vel n vel l vel r vel s sequentibus, d scriptam, ut adfatur, adludo, adrideo, adnitor, adsumo, errore tamen scriptorum hoc fieri puto quam ratione. Nam quae sit differentia euphoniae, ut, cum eadem consonans sit sequens, in aliis transferatur d, in aliis non, scire non possum: ut, cum dicam, affectus, allido, assiduus, bene sonet, cum autem affatur, alludo, assisto, male. In f nulla desinit syllaba, nisi loco b vel d vel x vel s in praepositionibus posita, cum sequens dictio ab eadem incipit consonante, ut officio, sufficio, affectus, efficio, difficilis, diffundo. Et ex hoc quoque muta esse ostenditur, quod, cum omnes 8

---

rationabilius. Lips. 3. *convertitur in eam.*

si consequens. Ita scripsi e Cod. Lips. 1. Vulgo, *cum sequens.* Usui Prisciani *si* magis congruum esse videtur quam *cum*. Negari tamen non potest, etiam *cum* a Prisciano in talibus formulis interdum adhiberi. Erl. 2. *cum subsequens.* Lips. 3. *cum consequens.*

Aliis sequentibus. Vulgo interponitur *enim*, quod abundat. Variant Codices. Scribunt *vero, autem.* Igitur delevi.

hoc fieri puto. In libris impressis post *hoc* legitur *magis.* Male! Nam non solum alii Codices, Lips. 3. Dresd. Luth., plane omittunt, sed etiam alii a manu interpolatrice supra scriptum habent, velut MSS. Lips. 2. Erl. 1. Denique recte Codd. Erl. 2. Lips. 2. Erl. 1. sequens *quam* explicant per *et non.* Lips. 1. substituit in margine *plus*, sed post *puto.* Lips. 3. post *ratione* adjicit: *non possumus facere.* quorum auctor non satis cepisse videtur mentem auctoris. Usus Prisciani Codicum lectionem confirmat.

alludo. Post hoc verbum legitur in Cod. Zwicc. 1. *annuo, arripio.* Erl. 2. *attineo.* Post *affatur, annitor;* post *assisto, arrideo.* Haec in Lips. 1. supra scripta sunt. Erl. 2. *cum autem affatur alludo annitor, arrideo, assisto.* Caeterum notandum mihi est, male in libris impressis, in Putschiana etiam, quin adeo in Codicibus pro *affatur, alludo, assisto,* legi, *adfatur, adludo, adsisto.* Ut nos edidimus, plerique etiam Codices hunc locum exhibent.

semivocales simplices solent in mediis dictionibus geminari, haec non geminatur, nec terminat eas sicut illae, nisi in suo nomine. Sed et praeponitur liquidis l et r more mutarum. G apud Latinos nullius syllabae est terminalis, nisi cum loco d vel b ponitur in ad, vel sub, vel ob praepositione, ut supra diximus, ut aggero, agger, suggero, oggannio. Graeci tamen solent loco n ante γ vel κ vel χ positae hanc ponere, ut ἄγγελος, Λογγῖνος, ἄγνιστρον, Ἀγχίσης. Apud Latinos tamen servatur n, ut angelus, Longinus, Anchises. Est quando n principalis syllabae ante se assumit g, ut natus gnatus, notus gnotus antique, unde ignotus, nosco gnosco, novi gnovi. Et post se tamen c saepe positam in g convertit, ut in numeris, quadringenti pro quadrincenti a centum, quingenti, septingenti, octingenti. Adeo enim n praeposita facit c in g converti, quod, in quibus ea non nu-
II meris est, servatur c, ducenti, trecenti, sexcenti. In h,
9 quae est nota aspirationis, non potest terminari syllaba. Invenio tamen in vah et ah interjectionibus terminalem videri syllabae h. Sed magis puto, ut superius dictum

---

§. 8. *solent.* Sic Codd. Vulgo *soleant. Cum* vero h. l. non est causalis conjunctio, sed potius pro *quamquam* positum. Nulla ergo ratio est, cur conjunctivus verbi ei subjungatur. Nam neminem, qui Priscianum legerit, fugere potest, illud *cum* variam habere vim.

eas sicut illae. Post *eas* ponit MS. Lips. 3. *dictiones.* Post *illae* Codd. Dresd. Lips. 2. 3. *semivocales.* Mox pro *mutarum more* posui secundum Codices *more mutarum.*

ob praepositione. Lips. 2. *praepositionibus.* Librarius correxisse videtur, ut concinnius esset; sed nil opus est emendatione.

n ante γ vel κ vel χ. Addidi *vel χ*, quod in libris impressis desideratur, e Codicibus Zwicc. 2. Lips. 1. 3. Erl. 2. Pro κ non solum Edd. Ven. 1. 2. sed etiam MSS. Zwicc. 2. Dresd. Erl. 1. ponunt *c.* Lips. 2. *ante g vel χ*, omissa κ sive *c.* Idem Codex explicat literam graecam χ per *chi.* Ex hac glossa fortasse natus est error in scribendis his literis. Fieri etiam potest, ut per *c* tam κ quam χ librarii exprimere voluerint. Lips. 3. *ante g vel c vel χ.*

antique. Omittit hanc vocem Lips. 3. sicut paullo post *novi gnovi.*

post se tamen c saepe positam in g. Vulgo, *saepe positum n in g.* Recte Codd. et Edd. Ven. 1. 2. omittunt *n*, quae litera hoc loco ferri nullo pacto potest. *Positum* mutavi in *positam*, cum Codices mei omnes hoc juberent.

in numeris. Addit Zwicc. 2. *compositis sexcenti.* Complures Codd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. *sescenti.* Lips. 2. addit *i. e. sexcenti.* Edd. Ven. 1. 2. *secenti id est sexcenti.*

§. 9. *ut superius dictum est.* Lips. 1. inserit post *ut* particulam *et.*

est, per apocopam hoc solere fieri, cum perfecta vaha et aha sint, vel quod abscondita voce solent interjectiones, et hujuscemodi voces proferri, ut etiam aha ohe. K nullius syllabae potest esse terminalis. L quacunque consonante sequente potest antecedentem terminare syllabam, ut albus, ulcus, soldum, valde, Alfenus, algeo, illud, ulmus, alnus, culpa, fulsit, altus, silva, mulxi. Q et r solis sequentibus, non inveni antecedentem l: nam h et k nec possunt post hanc inveniri. In m invenitur syllaba desinens in media dictione, quando sequens a b vel p vel altera m incipit, ut Cambyses, ambo, imperium, comparo, summus, Hammon. In n terminatur antecedens syllaba sequentibus c vel d vel f vel g, vel altera n vel q vel r, ut quibusdam placet, vel s vel t vel i vel u etiam pro consonantibus positis, vel x, ut concinnus, mancus, conduco, pondus, confiteor, infundo, conjunctus, congius, angulus, annus, inquiro, conquiro, linquo, inrumpo, inruo. In multis tamen invenio r sequente n in r converti, ut corruo, corrumpo; et pene ubicunque con praepositio ante dictionem ab r incipien-

---

Mox pro *apocopen* scripsi *apocopam*. Nam hanc Romanam formam Codd. et Edd. antiquissimae constanter tuentur. Igitur et pro *diaeresin* scribunt *diaeresim*, pro *Penelopes*, *Penelopae*.

aha ohe. Vulgo, *aha, hehe*. Variant quidem Codices in his interjectionibus scribendis, sed *ohe* huic loco convenientius mihi esse videtur, quam *hehe*. Agitur enim de eo, cur *h* terminet has voces. Jam vero *ohe* sive *oh* per *h* in fine scribitur, non autem *hehe*. Scribendum certe est *eh eh*. MS. Dresd. *ah oh*. Erl. 1. *haha, hehe*. Heidelb. *aha ehe*. Lips. 2. *ah ah eh eh*. Lips. 1. *ha he*. Sed ultima vox punctis suppositis ex mente librarii vel correctoris delenda est. Lips. 3. *aha, ohe*. Potest tamen et *ehe* esse; nam hic Codex male pictus est, ita ut sexcentis in locis incertus sis, quomodo legendae sint literae. Pro *ut etiam* Lips. 1. *ut sunt*.

soldum. Lips. 2. *soldus*.

imperium. Omittit Lips. 2. Mox pro *terminatur* habet *terminat se*. Idem pro *placet*, *placuit*.

mancus. Lips. 3. *manduco*.

confiteor, infundo, conjunctus, congius. MS. Dresd. *confiteor. angius, congius*. Heidelb. omittit *conjunctus*. Lips. 2. 3. *infundo mensura congius*. Vox *mensura* e glossa, qua *congius* explicabatur, in textum venit.

ante dictionem ab r incipientem componitur. Arridet, quod MS. Zwicc. 2. habet, *ponitur*. In Erl. 2. *con* supra additum est. Mox Lips. 3. *corrigo, corripio, corruo*.

tem componitur, hoc idem patitur, ut corruo, corrigo. Nec mirum, cum apud Graecos, auctores artium, hoc idem soleat fieri, ut συῤῥέω, συῤῥήσσω, συῤῥήγνυμι, συῤῥάπτω. Ergo rationabilius esse videtur, in quoque, cum in quibusdam mutet n in r, ut irrito, irriguus, in reliquis quoque, euphonia hoc exigente, servare, et irruo, et irrumpo dicere, cum nec in simplicibus inveniatur dictionibus n ante r. S quoque sequente vel t vel i vel u loco consonantium, vel x integra manet, ut consitus, sponsus, tonsus, Antonius, Mantua, conjungo, converto, anxius; b autem sequente, vel p in m convertitur; l vero vel m, in eas commutatur, ut imbuo, impius, combibo, compitum, collido, illudo, illido, immunis, communis. P nullam terminat syllabam, nisi sequente quoque ab ea incipiente, ut lippus, apparet, Hippocoon. R quacunque consonante sequente potest terminare priorem syllabam, ut morbus, parcus, ordo, perficio, Corfinium, margo, perhibeo, perlego, perluceo, interlita, interlunium, carmen, Sarnus, corpus, arquitenens, currus, morsus, artus, periurus, corvus, Xerxes. In compositis tamen quibusdam invenio r in l converti, ut intelligo et pellicio, pro interlego et perlicio, pellego pro perlego, pelluceo pro perluceo. Plautus in Asinaria: *Agedum istum ostende quem conscripsisti syngraphum, inter me et amicam et lenam. Leges pellege! Nam tu poeta es prorsus ad eam rem unicus.* Idem in eadem: *Ita pellucet quasi laterna Punica.* S terminante antecedentem syllabam hae solae inveniuntur consonantes assequentes c in compositis, ut abscondo, obs-

---

vel x integra manet. Sic Codd. mei omnes. Vulgo, *integrum manet.*

§. 10. *R quacunque consonante sequente.* Addunt libri editi *excepta x.* Ab interpolatore haec addita puto. Nam omittunt haec Codicum praestantissimi, Luth. Lips. 1. Erl. 2. Heidelb. Hos seculus, eliminavi glossema.

Plautus Asin. Act. IV. Sc. I. 1. (Bothe. III. 4. in.) Tantum non omnes Codices post *lenam* inserunt *et.* Auctoritate Cod. Heidelb. omisi *et.* Ed. Ven. 1. omittit *et lenam.* MS. Dresd. post *unicus* habet *et lenam et legem pellege.*

Idem in eadem. Act. III, 6, 30. (518. Bothe.)

sequentes. Sic Dresd. Lips. 2. Vulgo *assequentes.* In Lips. 1. pro *as* scriptum reperitur *ad*, sed haec syllaba punctis supposi-

curus, quia s terminalis est praepositionis. Nam in simplicibus dictionibus necesse est s et c ejusdem esse syllabae, ut pascua, luscus. M quoque sequente, vel p vel t, in simplicibus dictionibus, si antecedat s, ejusdem est syllabae, ut Cosmus, prospera, testis. Similiter terminat syllaba altera s sequente, ut cassis, cossus. I quoque loco consonantis in compositis sequente, ut disjectus; c etiam sequente, vel p vel t, praepositione in s desinente anteposita, ut discutio, displicet, disterminat, absterreo, distuli, asporto pro absporto. T si superiorem finit syllabam, necesse est sequentem quoque ab ea incipere, ut mitto, Cotta, attinet, Atticus. In x nulla syllaba terminatur in media dictione, nisi in compositis a praepositione ex, quae integra manere potest, sequente c vel p vel q vel s, ut quibusdam placet, vel t, ut excurro, expello, exquiro, exsicco, exsequor, (sic enim placet his, qui de orthographia scripserunt, quamvis euphonia et ratio supra dicta de literis secundum Graecos abjicit s antecedente x) extendo. L quoque sequente invenitur in nomine hoc, exlex. F enim sequente in eam convertitur x, ut ellicio, effero, effundo. Caeteris vero consonantibus sequentibus e, non ex, praeponi solet, ut ebibo, educo, egero, eludo, emineo, enitor, eruo, evecho. Z in peregrinis dictionibus semper in principio invenitur syllabae: et si antecedat alia syllaba, necesse est eam vel in vocalem desinere, vel in n vel in r, ut γάζα, μελάνζοφος, Ἀριοβαρζάνης. Sciendum autem, quod nulla diphthongus in duas consonantes potest desinere, in duplicem autem invenitur, ut faex faecis, et

---

tis spuria declaratur. Lips. 3. omittit. Heidelb. *acssequentes.* Scilicet *d* mutata est in *s* a correctore.

num in simplicibus. Addit Zwicc. 1. *quoque.* Lips. 1. sequens *dictionibus* supra scriptum exhibet.

Similiter terminat altera s sequente. Ita MS. Heidelb. Ed. Ven. 1. *terminat syllabam.* Putschius cum caeteris sic: *Similiter terminat s syllabam, altera s sequente.* Codices variant. Erl. 2. coposissime: *Similiter terminat s antecedentem syllabam altera s sequente.* Brevissime Dresd. *Similiter terminat altera sequente.* Lips. 1. 2. cum vulgata consentiunt. Lips. 3. *Similiter terminat syllabam.* Equidem, quicquid additur ad explicandum τὸ *terminat*, quod absolute positum est, e glossemate ortum puto.

12 faux faucis. Distat syllaba a dictione sensu et accentu: nisi enim sciamus, quomodo posita est syllaba in dictione, incertum est, quo accentu eam pronuntiemus. Syllaba enim per se, nisi cum sit dictio, sensum habere non potest. Invenitur tamen et plena oratio in una dictione, ut in verbis imperativis, curre, lege: et similiter plena dictio in una syllaba, ut ars, do, dic, i. Accidit unicuique syllabae tenor, spiritus, tempus, numerus literarum. Tenor acutus vel gravis vel circumflexus. In dictione tenor certus, absque ea incertus, non potest tamen sine eo esse. Similiter spiritus asper vel levis. Tempus unum vel duo: vel etiam, ut quibusdam placet, unum semis, vel duo semis, et tria. Unum, si vocalis est brevis per se, ut amo: vel si eam una consonans simplex consequitur, ut caput; unum semis in communibus syllabis, de quibus multi docuerunt, ut lacrimae. Et sciendum, quod non solum ante l vel r, sed etiam ante m, ut supra docuimus, et n positae mutae faciunt communes. Euripides in Phoenissis: *ἰσότητ' ἔταξε, κατ' ἀριθμὸν διώρισε.* Idem in eadem fabula: *Ἀπωλόμεσθα, δύο κακὼ σπεύδεις, τέκνον.* Ovidius: *Piscosamque Gnidon gravidamque Amathunta metallis.* Praeterea m ante n posita fecerunt quidem communes, ut Callimachus in III. *Αἰτίων: Τὼς μὲν ὁ Μνησάρχειος ξφη*
13 *ξένος, ὧδε σνναινῶ.* Illud quoque non est praetermittendum, quod, tribus consonantibus sequentibus, potest

---

§. 11. Ante *faux* et post *dictione* adjeci e Codicibus *et*.

§. 12. *do, dic, i.* Addidi e Codicibus meis imperativum verbi *eo*.

absque ea. Vulgo additur *dictione*. Sic et Dresd. Edd. Ven. 1. 2. Erl. 2. *absque ea*. Lips. 2. 3. Erl. 1. *absque dictione*. Lips. 1. *absque ea*. MS. Heidelb. exhibet quidem *dictione*, sed supra scripta litera *i*, quae, pro *i. e.* posita, glossema indicare videtur. In hac lectionum varietate praestare visa est simplicissima, eamque reposui.

vel duo semis. Sic Codd. Vulg. *et duo semis.*

communes. Vulgo additur *syllabas*. Sed abest ab Edd. vetustissimis; abest ab plerisque Codicibus; in paucis tantum supra scriptum est. Sic et mox post *communes* addit Lips. 2. *syllabas*, quae vox neque in scriptis neque in impressis libris legitur.

Ovidius. Vulgo, *Ovid. in X.* Sed numerum libri omittunt Codd. Nonnulli addunt: *in Metam.* Hoc quoque abest ab Heidelb. et Edd. Ven. 1. 2. Hos secutus sum.

Euripides in Phoenissis. Hic locus supra Lib. I. tractatus est. Hic etiam Codd. *ἰσότητ'* exhibent; neque minus *κατ' ἀριθμὸν* scribendum fuit. Haec est enim aperta Codd. Erl. 2. Luth. lectio.

fieri communis syllaba, quando in principio syllabae sequentis post vocalem correptam s et muta, et post eam liquida sequitur: quippe cum s in metro subtrahi more soleat veteri, ut Horatius Sermonum libro primo: *Linquimus, insani ridentes praemia scribae.* In longis natura vel positione duo sunt tempora, ut dos, ars. Duo semis, quando post vocalem natura longam una sequitur consonans, ut sol. Tria, quando post vocalem natura longam duae consonantes sequuntur, vel una duplex, ut mons, rex. Tamen in metro necesse est unamquamque syllabam, vel unius, vel duorum accipi temporum. Numerus literarum accidit syllabae, quia, ut supra diximus, non minus quam unius, nec plus quam sex literarum apud Latinos potest inveniri syllaba.

Dictio est pars minima orationis constructae, id est III
in ordine compositae. Pars autem, quantum ad totum 14
intelligendum, id est ad totius sensus intellectum: hoc autem ideo dictum est, nequis conetur *vires* in duas partes dividere, hoc est, in vi et res, vel quaedam hujuscemodi. Non enim ad totum intelligendum haec fit divisio. Differt autem dictio a syllaba, non solum quod syllaba pars est dictionis, sed etiam quod dictio dicendum, hoc est intelligendum, aliquid habet. Syllaba autem non omni modo aliquid significat per se; ergo monosyllabae dictiones possunt quodammodo esse et syllabae, non tamen sincerae, quia nunquam syllaba per se

---

Plures quidem, ut Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1., *καιρεθμον* vel *καταρεθμον* exhibent, sed illud ε pro τ positum esse credo.

§. 13. *sequitur.* Sic Codd. Lips. 2. 3. Erl. 2. Dresd. Vulgo, *sequatur.* Luth. *servatur.*

more veteri. Duo meorum Codd. *veterum.* Non male. *Horatius in I. Serm.* 5, 35.

dos, ars. Complures MSS. *do*, Dresd. Lips. 1. 2. 3. Luth. Erl. 1. In Erl. 2. ab alia manu ad *do* videtur s addita esse. MS Heidelb. *dos.* Jam vero cum nomen *dos* semper fere exempli loco in medium afferatur, ubi de nominibus, quae vocalem per se longam habent, sermo est, lectionem vulgatam mutare juvi, opinor, dubitavi.

vel duorum accipi temporum. Tres meorum Codicum *duum.*

§. 14. *in ordine compositae.* MS. Luth. *in ordinem.* Alii *positae.*

non omni modo aliquid significat per se. Addit Lips. 3. *nisi cum sit posita in dictione.*

non tamen sincerae. Vulgo, *sincere.* Revocavi lectionem antiquissimarum Edd. Ven. 1. 2. Ita et Codd. Lips. 2. Luth.

potest aliquid significare: hoc enim proprium est dictionis. Unde si dicam, a, per se scio esse syllabam, nec tempora tamen ejus, nec tenorem, nec spiritum, nec significationem agnosco, donec cognovero dictionem, in qua ponitur. Nam in ara deorum a penultima producitur et circumflectitur in nominativo, nec habet aspirationem: cum autem significat stabulum porcorum, eadem a syllaba penultima corripitur, et acuitur, et habet aspirationem. Haec eadem a, quando est praepositio, gravatur et producitur, et est sine aspiratione. Vides ergo per se ipsam syllabam deficere praedictorum ratione, nec aliter posse examussim tractari, nisi posita sit in dictione.

IV Oratio est ordinatio dictionum congrua sententiam perfectam demonstrans. Est autem haec definitio orationis ejus, quae est generalis, id est quae in species, sive partes dividitur. Nam oratio dicitur etiam liber rhetoricus, necnon unaquaeque dictio hoc saepe nomine nuncupatur, cum plenam ostendit sententiam, ut verba imperativa, et responsiva, quae saepe una dictione complentur, ut si dicam, quid est summum bonum in vita? et respondeat quis: honestas, dico, bona oratione respondit. Partes igitur orationis sunt secundum dialecticos duae, nomen et verbum, quia hae solae etiam per se conjunctae plenam faciunt orationem, alias autem partes syncategoremata, hoc est consignificantia, 16 appellabant. Secundum Stoicos vero quinque sunt ejus partes: nomen, appellatio, verbum, pronomen sive ar-

---

eadem a syllaba. Sic Codd. Erl. 1. 2. Zwicc. 2. Dresd. Lips. 1. Vulgo, *eadem syllaba penultima.* Vox *a* hoc loco nullo modo deesse potest, cum *syllaba penultima* sextus sit casus.

§. 15. *Oratio est ordinatio dictionum congrua sententiam perfectam demonstrans.* Ita hunc locum exhibent Codd. Luth. Lips. 1. gravissimae haud dubie auctoritatis. Reliqui Codd. cum Edd. consentiunt, quae haec dant: *Oratio est ordinatio dictionum congruam sententiam perfectamque demonstrans.* Neminem autem facile inventum iri putaverim, qui, quid h. l. sit congrua sententia, dicat. At vero vel tiro intelligit, quid sit ordinatio dictionum congrua. *congruum* enim est, quod regulae vel analogiae convenit; *incongruum*, quod legibus sermonis vel usui repugnat. Cf. §. 30. infra. Hanc lectionem et Ioannem de Aingre, Prisciani commentatorem olim clarissimum, ante oculos habuisse, nec de ejus authentia dubitasse, ex commentario, quem scripsit, sole clarius apparet. Ita enim scribit secundum Ed. Ven. 2.

ticulus, conjunctio. Nam participium connumerantes verbis participiale verbum vocabant, vel casuale: necnon etiam adverbia nominibus vel verbis connumerabant, et quasi adjectiva verborum ea nominabant; articulis autem pronomina connumerantes, finitos ea articulos appellabant, ipsos autem articulos, quibus nos caremus, infinitos articulos dicebant; vel, ut alii dicunt, articulos connumerabant pronominibus et articularia eos pronomina vocabant; in quo illos adhuc sequimur Latini; quamvis integros in nostra non invenimus articulos lingua. Nam cum dicimus idem, ὁ αὐτός, non solum articulum praepositivum, sed etiam pronomen in eadem dictione significamus. Similiter qui, ὅστις, articulus subjunctivus intelligitur una cum pronomine, secundum quosdam infinito, sive magis cum nomine, ut Apollonius ostendit firmissima ratione. Praepositionem quoque Stoici conjunctioni copulantes, praepositivam coniunctionem vocabant. Quidam autem novem dicebant esse partes orationis, appellationem addentes separatam a nominibus; alii decem etiam, infinita verba, seorsum partem ponentes; alii undecim, quia pronomina, quae non possunt adjungi articulis, per se numerabant. His alii addebant etiam vocabulum, et interjectionem apud Graecos, quam nos adhuc servamus. Apud Latinos vero articulum addebant, quem purum per se apud eos non inveniri supra docuimus. Igitur non aliter possunt discerni a se partes orationis, nisi uniuscujusque proprietates significationum attendamus. 17

„Oratio est ordinatio dictionum i. e. plures dictiones constructae. Per hoc removet orationem, quae est in una dictione. Et quia *hominis videt* est ordinatio dictionum, sed nullum sensum habet, addit *congrua* i. e. regulariter facta." Negari quidem non potest, in proxime sequentibus illud *congrua* etiam ad *sententiam* relatum esse, sed videtur haec esse inserta diversae lectionis interpretatio, ut expositio textus cum lectione recepta concordaret. Cf. Prisc. Lib. 17. ab in. ubi oratio dicitur dictionum *aptissime* conjunctarum comprehensio. Cf. Diom. I. p. 275. Putsch.

responsiva. Zwicc. 1. *responsitiva.* Erl. 1. *responsitiva.*

bona oratione. Lips. 3. addit *ille.*

duae. Erl. 1. addit *i. e.*

§. 16. *cum dicimus idem, ὁ αὐτός.* Ultimis verbis interponitur vulgo, *id est.* Ejeci suadentibus Codd. uti mox ante ὅστις.

sive magis cum nomine. Omittunt nonnulli Codd. *cum.*

18 Proprium est nominis, substantiam et qualitatem significare; hoc habet etiam appellatio, et vocabulum. Ergo haec tria una pars est orationis. Proprium est verbi actionem sive passionem, sive utrumque, cum modis et formis et temporibus, sine casu significare. Hoc habent etiam infinita, quare non sunt separanda a verbo. Participium autem jure separatur a verbo, quod et casus habet, quibus caret verbum; et genera, ad similitudinem nominum, nec modos habet, quos continet verbum. Proprium est pronominis pro aliquo nomine proprio poni, et certas significare personas. Ergo quis, et qui, et qualis, et talis, et quantus, et tantus, et similia, quae sunt infinita, sive interrogativa, vel relativa, vel redditiva, magis nomina sunt appellanda, quam pronomina. Neque enim loco propriorum nominum ponuntur, neque certas significant personas, sed etiam substantiam, quamvis infinitam, et qualitatem, quamvis generalem, quod est suum nominis, habent.
19 Nomina sunt igitur dicenda, quamvis declinationem pronominum habeant quaedam ex eis. Non enim declinatio, sed vis et significatio uniuscujusque partis est contemplanda: indifferenter enim multa et nomina modo pronominum, et pronomina modo nominum invenimus declinata. Quid enim stultius, quam omnia, quae numeros significant, nomina dicere, unus autem, unius, propter declinationem pronomen appellare? Quod si declinatio facit indicium, qualis sit dictio, debent omnia possessiva pronomina, quia nominum declinationem sequuntur, et participia in his computari, quod omni-

---

§. 19. *unus autem, unius.* Vulgo *unum.* Masculinum genus, quod plures MSS. Erl. 1. Luth. Dresd. exhibent, praeplacet hoc loco. *indicium.* Lips. 1. 3. Erl. 1. *judicium.* Mox pro *quia* Lips. 2. *quae. et participia in his.* Tres Codd. addunt *nominibus.*

omnino caret ratione. Sic Codd. Dresd. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Reliqui cum Edd. consentiunt, *omni.*

percurrere. Lips. 2. Erl. 1. *perscribere* ex glossemate.

§. 20. *docte lego* omittit Lips. 3. Mox pro *est* Erl. 1. Dresd. *interest.* Deinde expunxi *et* ante *praeponi*, ob sequens *et cum causalibus.* Praeivere Codd. Lips. 2. 3.

Ter. in Adelphis. v. Ind.

Post faceret tamen. MSS. Erl. 1. Dresd. *facere.*

Si igitur invenias adverbium sine verbo cum nomine. Sic verborum ordinem struxi secundum Codd. Dresd. Lips. 2. Erl. 1. Mox post *scias* inserit Erl. 1. *tamen.*

no caret ratione. Ergo non declinatio, sed proprietas est excutienda significationis. Et quoniam de proprietate nominis et verbi, et participii, et pronominis breviter dictum est, non incongruum esse arbitror summatim de caeterarum quoque proprietate partium orationis percurrere.

Proprium est adverbii, cum verbo poni, nec sine 20
eo perfectam significationem posse habere, ut bene facio, docte lego. Hoc ergo inter adverbium, et praepositionem est, quod adverbium et sine casualibus potest praeponi, et postponi verbis, et cum casualibus, ut pone currit, et currit pone; venit tempore longo post, et post longo tempore venit. Terentius in Adelphis: *Post faceret tamen.* Si igitur invenias adverbium sine verbo cum nomine, scias hoc per eclipsin fieri, ut si dicam, non bonus homo pro malus, subaudio, est. Praepositionis autem proprium est, separatim quidem per appositionem casualibus praeponi, ut de rege, apud amicum; conjunctim vero per compositionem tam cum habentibus casus, quam cum non habentibus, ut indoctus, interritus, intercurro, proconsul, induco, inspiciens.

Proprium est conjunctionis, diversa nomina, vel 21
quascunque dictiones casuales, vel diversa verba, vel adverbia conjungere, ut et Terentius et Cicero, vel Terentius vel Cicero, et formosus et sapiens, vel formosus vel sapiens, et legens et scribens, vel legens vel scribens, et ego et tu, vel tu vel ego, et facio et dico, vel facio vel dico, et bene et celeriter, vel bene vel celeriter, quod praepositio non facit. Interest autem etiam hoc,

---

interritus. Sic Codd. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 2. MS. Lips. 3. omisit. Vulgo, *interitus.* Paullo post delevi, quod ante *inspiciens* in libris impressis legitur, *insipiens*; nam frustra requiras in Codd. Lips. 1. 3. Dresd. Zwicc. 1. 2. Luth. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2 consentiunt cum Putsch. et Ald. MS. Lips. 2. habet *insipiens*, omisit autem *inspiciens*. Erl. 1. Dresd. pro *inspiciens* habent *incipiens*.

§. 21. *Proprium est.* Addunt MSS. Lips. 2. Erl. 1. *autem.* Max pro *ut Terentius* scripsi e Codd. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Luth. *ut et Terentius.*

Interest autem etiam hoc. Addunt libri impressi tantum non omnes *inter praepositiones et conjunctiones*, quod non modo a Codicibus sed etiam ab Editionibus Ven. 1. 2. abest, quae *etiam* quoque non exhibent. Dresd. *et* pro *etiam.*

quod praepositiones componi possunt cum verbis, conjunctio vero nunquam, ut subtraho, addico, praepono, produco, dehortor. Conjunctio autem, licet sit praepositiva, in compositione tamen non invenitur cum verbis, ut at, ast, sed; et quod praepositio casualibus separata praeponitur semper, conjunctio vero cum omnibus potest dictionibus modo praeposita, modo postposita conjungi.

V 22 Nomen est pars orationis, quae unicuique subjectorum corporum, seu rerum, communem vel propriam qualitatem distribuit. Dicitur autem nomen, vel a graeco, quod est *νόμα* et adjecta *o*, *ὄνομα*, dictum a tribuendo, quod *νέμειν* dicunt: vel, ut alii, nomen quasi notamen, quod hoc nomine notamus unjuscujusque substantiae qualitatem. Et communem quidem corporum qualitatem demonstrat, ut homo: propriam vero, ut Virgilius: rerum autem communem, ut disciplina, ars: propriam, ut arithmetica Nicomachi, grammatica Aristarchi. Accidunt igitur nomini quinque, species, genus, numerus, figura, casus. Species sunt communes, tam propriorum quam appellativorum nominum, duae, primitiva et derivativa. Primitiva, ut Iulus, mons. Derivativa, ut Iulius, montanus, sub qua sunt aliae multae. Nam propria habent species separatim quatuor, praenomen, nomen, cognomen, agnomen.
23 Praenomen est, quod praeponitur nomini, vel differen-

---

sed; et quod. In Codd. varietas lectionis deprehenditur. Cod. Dresd. *sed; et quod.* Lips. 2. *sed. et hoc inter praepositiones et conjunctiones.* Erl. 2. *sed; Et quod.* Erl. 1. omisso *sed* ponit *Et quod.* Lips. 1. et 3. *sed; et quod.* Edd. Ven. 1. 2. *Sed et praepositio.* Nos majorem Codd. partem sequendam esse censuimus.

separata. Cod. Luth. supra scriptum habet. MS. Lips. *separatim.*

§. 22. *ut alii.* Lips. 2. Erl. 1. addunt *dicunt.* Mox delevi *vero* inter *propriam* et *ut Arithmetica* in libris impressis positum. Abest etiam ab Ven. 1. 2.

Accidunt igitur nomini. Lips. 3. *ergo.* Non male. Erl. 2. *unicuique nomini.* Mox vulgo *figura et casus.* Nos Codd. auctoritate delevimus *et*, quod in enumerandis ejusmodi speciebus omitti solet. Sic et infra post *cognomen* easdem ob rationes expunximus.

§. 23. *asciverunt.* Vulgo *ascivere.* Codd. sic, uti nos scripsimus. *ex illo.* Putsch. Colon. Bas. addunt *tempore*, quod Edd. Ald. Ven. 1. 2. omittunt. Abest etiam a Codd. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl.

tiae causa, vel quod tempore, quo Sabinos Romani asciverunt civitati ad confirmandam conjunctionem, nomina illorum suis praeponebant nominibus, et invicem Sabini Romanorum. Et ex illo consuetudo tenuit, ut nemo Romanus sit absque praenomine. Et notantur vel singulis literis, vel binis, vel ternis: tum singulis, quando a vocali incipit praenomen, ut A. Aulus: vel ab una consonante, ut P. Publius, T. Titus; tum duabus, quando a duabus consonantibus incipit, ut Cn. Cnaeus, Sp. Spurius; tum tribus, quando a consonante incipit prima syllaba, et in consonantem desinit, si tamen alia quoque praenomina ab eisdem incipiunt consonantibus, idque fit differentiae causa, ut Sex. Sextus, Tul. Tullius, ne, si primas solum consonantes scribamus, T. Titum, et S. Sextium significare putemur. Unde in Marco M solam scribimus, quamvis a consonante incipit syllaba et in consonantem desinit, quia nullus error erit. No- 24
men est proprie uniuscujusque suum, ut Paulus, proprium. Cognomen, cognationis commune, ut Scipio. Agnomen est, quod ab aliquo eventu imponitur, ut Africanus, Isauricus. Invenimus tamen multa in his quatuor speciebus propriorum nominum invicem pro se posita, et quae in aliis personis sunt praenomina, haec in aliis loco nominum accipiuntur, ut Tullius Servilius. Hic Tullius praenomen est. M. vero Tullius, hic nomen. Similiter et in aliis loco cognominum aliorum agnomina, vel contra, ut Cicero, qui primus ab habitu

---

1. 2. Dresd. In Luth. supra scriptum est. MS. Zwicc. 1. supra textum habet *tempore vel usu*, ut facile videre possis, e glossemate ortum esse.

tenuit. Erl. 2. *crevit*; supra *vel tenuit*.

notantur. Sic Codd. mei fere omnes. Vulgo, *notatur*. Supple *praenomina*.

ne, si primas solum. *Solum* Codd. Lips. 1. 2. 3. Luth. Erl. 1. 2. Dresd. pro *solummodo*.

scribamus. Vulgo, *scribas*. At vero Codd. Heidelb. Luth. Dresd. Zwicc 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. primam pluralis tuentur. Mox pro vulg. *putemus* Lips. 2. Erl. 2. Luth. *putemur*, quod recepi. MS. Heidelb. *putetur*. Reliqui autem *putemus*. Sic et Edd. Ven. 1. 2. Deinde pro *solum* e Cod. Dresd. scripsi *solam*.

desinit. Erl. 1. *desinat*, sicut et ante *incipiat*. Pro *erit* non unus Codex *fit*. Sic Lips. 2. 3. Erl. 1. Cum vulgata lectione consentiunt praestantissimi Codices. Nihil igitur mutandum.

§ 24. *aliorum agnomina, vel contra*. Libri omnes impressi, pleri-

facici nominatus est, agnomen hoc habuit, familiae vero ejus cognomen fuit. Similiter Caesar, Scipio. Hoc autem interest inter proprium et appellativum, quod appellativum naturaliter commune est multorum, quos eadem substantia, sive qualitas, vel quantitas, generalis vel specialis jungit. Generalis, ut animal, corpus, virtus; specialis, ut homo, lapis, grammaticus, albus, niger, magnus, brevis. Haec enim quoque, quae a qualitate vel quantitate sumuntur speciali, id est adjectiva, naturaliter communia sunt multorum. Adjectiva autem ideo vocantur, quod aliis appellativis, quae substantiam significant, vel etiam propriis adjici solent ad manifestandam eorum qualitatem vel quantitatem, quae augeri vel minui, sine substantiae consumptione possunt, ut bonum animal, magnus homo, sapiens grammaticus, magnus Homerus. Proprium vero naturaliter uniuscujusque privatam substantiam, et qualitatem significat,

---

que etiam scripti post *agnomina* addunt *vel nomina*. Tres autem Codices praestantissimi, Luth. scilicet, Lips. 1. et Heidelb., omittunt. Quos ut sequerer, non solum auctoritas illorum Codicum, sed etiam haec ratio me commovit, quod sequentia exempla non a nominibus, sed ab agnominibus, quae usu deinde cognominum loco usurpata esse constat, repetita sunt. Pro *vel contra* Zwicc. 1. *e contra*. Lips. 3. *e contrario*.

sive qualitas vel quantitas. Erl. 1. *sive quantitas*. Mox *naturaliter* voci addit idem Codex *quoque*, et pro *adjectiva autem* Lips. 2. *vero*.

§. 25. *Proprium vero naturaliter*. Sic Codd. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 2. Sic et Edd. Ven. 1. 2. Caeteri libri impressi post *vero* inserunt *quod*. Ita Ald. Putsch. Colon. Bas.

quas philosophi atomos. Codices Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. tres, Erl. duos secuti, *quas — atomos* pro *quae — atoma*, quod tuetur Heidelb., scripsimus. Edd. Ven. 1. 2. cum MSS. consentiunt. Vulgatam lectionem exhibent MSS. Dresd. Erl. 1. Heidelb. Mox post *evenit* pro *ut* Lips. 2. *quod*.

fortuitu. Sic Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. pro *fortuito*, quod Ald. Putsch. cum reliquis habent. MS. Erl. 2. *manifestum est* pro *solet*.

Et in proprio quidem appellativa etiam. Haec dedi e Codd. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb. Edd. Ald. Putsch. Colon. Basil. omittunt *quidem etiam*. Edd. Ven. 1. 2. *in proprio etiam appellativa*. Post *Virgilius* addit MS. Lips. 3. *proprium*. Idem post *hominem* inserit *fuisse*.

§. 26. *Appellativorum sunt*. Putsch. Ald. Colon. Bas. inserunt *autem*. Codices et Ven. 1. 2. omittunt. Lips. 3. addit *nominum*. Abundat ille additamentis superfluis.

et in rebus est individuis, quas philosophi atomos vocant, ut Plato, Socrates. Itaque caret communione naturali. Cum igitur evenit, ut multi eodem nomine proprio nuncupentur, fortuitu et sola voce, non etiam intellectu communis alicujus substantiae, vel qualitatis, hoc fieri solet. Et in proprio quidem appellativa etiam intelligi possunt, ut, si dicam Virgilius, intelligo et hominem et poetam: in appellativis autem propria non intelliguntur, ut homo, vir; nisi per excellentiam loco proprii in quibusdam personis accipiantur, ut poeta pro Virgilio, et urbs pro Roma. Appellativorum 26
multae sunt species, quarum quaedam communes inveniuntur cum propriis, sive sint primae positionis, sive derivativae. Sunt enim quaedam corporalia in appellativis, ut homo; sunt etiam in propriis, ut Terentius. Alia incorporalia in appellativis, ut virtus; in propriis, ut Pudicitia. Homonyma quoque tam in propriis quam

---

derivativae scripsi pro *derivativa*, quod Ald. cum pedissequis habet. Quemadmodum nos edidimus, non solum Editio antiquissima Ven. 1. et quae ejus vestigia premit Ven. 2. sed etiam plures Codices scribi jubent. Erl. 1. 2. Heidelb. Dresd. Lips. 2. Luth. Lips. 3. *deductivae*. In Cod. Lips. 1. aperta est litura, qua effectum est, ut cum libris impressis MS. consentiat.

ut homo. Luth. explicationis causa supra textum habet *ab humo*.

in appellativis, ut virtus; in propriis, ut Pudicitia. Haec in Edd. Ven. 1. 2. Ald. Bas. Colon. Putsch. sic leguntur: *in propriis ut Virtus dea, et pudicitia Penelopae vel ipsa dea*. Non decrunt, qui nostram crisin temeritatis insimulent. Habemus tamen, quibus tueamur. Primum *Virtus dea* desiderantur in MSS. Dresd. Luth. Lips. 2. 3. Erl. 1. Leguntur in Lips. 1. Erl. 2. Deinde *vel ipsa dea* non leguntur in MSS. Erl. 1. Lips. 2. *Penelopae* sive *Penelope* reperitur in omnibus. Cod. Luth. *communis* post prius *virtus*. Hoc vero glossema docere te potest, quomodo ortum sit *virtus dea*. Scilicet ut esset, quod *communi virtuti* responderet, appinxit, nescio quis, *virtus dea*. Iam vero cum pudicitia Penelopae in omnium ore esset, ad explicandum nomen *Pudicitiae* adscriptum est *Penelopae*, quod glossema cum vim proprii nominis infringeret, insertum denique est, *vel ipsa dea*. Invitus quidem expunxi *Penelopae*, propterea quod Codices hoc unanimi consensu tuentur, et lubenter reciperem, si quis me edoceret, quomodo *pudicitia Penelopae* pro nomine proprio haberi possit. Negari quidem non potest, etiam *virtus dea* veram esse posse lectionem; sed cum in pluribus Codicibus desideretur, non temere me hoc delevisse existimo. Ed. Ven. 1. *Ponolope*. MS. Heidelb. cum vulgata consentit.

in appellativis inveniuntur, ut Pyrrhus filius Achillis, et Pyrrhus rex Epirotarum; nepos, filius filii, et nepos luxuriosus. Inveniuntur tamen quaedam homonyma eadem propria et appellativa, ut Magnus Pompejus, et magnus civis. Synonyma quoque tam appellativa quam propria inveniuntur. Sicut enim ensis, gladius, mucro, unum atque idem significant, sic Publius Cornelius Scipio Africanus unum atque idem significant.
27 Aliae fere omnes species in nominibus inveniuntur appellativis. Sunt autem hae, adjectivum, ad aliquid dictum, quasi ad aliquid dictum, gentile, patrium, interrogativum, infinitum, relativum, vel demonstrativum, vel similitudinis, collectivum, dividuum, factitium, generale, speciale, ordinale, numerale, absolutum, temporale, locale. Hae species communes sunt, et principalium, id est primae positionis nominum, et derivativorum. Propriae autem derivativorum sunt hae, patronymicum, possessivum, comparativum, superlativum, diminutivum, denominativum. In quo intelligimus cum multis aliis etiam comprehensivum, de quibus in loco dicemus. Ver-
28 bale, participiale, adverbiale. Adjectivum est, quod adjicitur propriis vel appellativis, et significat laudem vel vituperationem, vel medium vel accidens unicuique. Laudem, ut justus; vituperationem, ut injustus; medium, ut magnus. Dicimus enim magnus imperator, laudantes: et magnus latro vel fur, vituperantes. Accidens vero, id est suum uniuscujusque, ut niger corvus, et altum mare. Inveniuntur tamen etiam in

---

homonyma eadem propria. Delevi Codd. auctoritate post *homonyma* conjunctionem *et*, quae in Edd. tantum non omnibus reperitur. Cum MSS. faciunt Edd. Ven. 1. 2.

mucro. Addidi: *unum atque idem significant.* Non dubito fore, quin haec lectio V. V. D. D. valde displiceat. Sed Codicum auctoritas me coëgit, ut, quod ipse non magnopere laudo, in textum reciperem. Nam novem Codices hanc lectionem exhibent. Dresd. habet quidem puncta supposita, sed atramento diversi et recentioris coloris appicta esse, nemo est, quin videat.

§. 27. *infinitum.* MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 2. *infinitivum.* Mox pro *derivativorum* MS. Luth. *derivatorum.* Deinde expunxi Codd. jubentibus *et* post *diminutivum.*

in loco. Vulgo *suo in loco.* Illud *suo* ex glossemate additum esse docent libri MSS. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. quibus abest. Cum Codd. faciunt Edd. Ven. 1. 2. Lutherius Codex explicat nota interlineari: *i. e. secundum ordinem.*

propriis quaedam hujuscemodi, ut Gradivus Mars, et Ennosigaeus Neptunus, et Quirinus Romulus. Sed haec, quia propriorum loco accipiuntur, comparari non possunt, quod est proprium adjectivorum, nec egent adjectione aliorum nominum, quomodo communia adjectiva. Sumuntur autem haec a qualitate, vel quantitate animi vel corporis, vel extrinsecus accidentium. Animi, ut prudens, magnanimus; corporis, ut albus, longus. Extrinsecus accidentium, ut dives, felix. Ad aliquid dictum est, quod sine intellectu illius, ad quod dictum est, proferri non potest, ut filius, servus. Nam dicendo filium etiam patrem, et dicendo servum dominum quoque intelligo: quod si intereat, interimit una illud, quod ab eo intelligitur. Quasi ad aliquid dictum 29
est, quod, quamvis habeat aliquid contrarium, et quasi semper adhaerens, tamen non ipso nomine significat etiam illud. Neque enim ex illo nominationem accipit, ut dies, nox, dextra, sinistra. Nam quamvis intereat, non interimit secum etiam illud, quod ei adhaerere intelligitur. De homonymo superius docuimus, quod tam in propriis quam appellativis invenitur. Synonyma sunt, quae, sicut diximus, diversis nominibus idem significant, ut ensis, mucro, gladius. In propriis quoque hanc vim habent dionyma, vel trionyma, vel tetraonyma, ut P. Cornelius Scipio Africanus, sicut docuimus. Gentile est, quod gentem significat, ut Graecus, Latinus. Patrium est, quod a patria sumitur, ut Atheniensis, Romanus. Interrogativum est, quod cum interro- VI 30

---

§. 28. *vel fur.* Omisit Cod. Erl. 2. Mox in verbis *Mars et Ennosigaeus Neptunus et Quirinus Romulus* duo Codd. omittunt conjunctionem *et*.

quod est proprium. Lips. 2. *suum*, convenienter quidem Prisciani sermoni. Mox pro *adjectione* unus et alter *adjunctione*. Cod. Luth. supra *vel adjunctione*. Sexcenties inter se confusa sunt *adjectio* et *adjunctio*.

albus, longus. Vulgo, *albus niger, longus brevis.* Libri MSS. ignorant voces, quas omisi, Editiones etiam Ven. 1. 2. In Cod. Erl. 2. punctis suppositis legitur vox *niger*.

etiam patrem. Lips. 3. *intelligo.* Lips. 2. omittit *etiam*. Mox pro *dominum quoque*, quod in Edd. vulgatis reperitur, Edd. Ven. 1. 2. habent *etiam dominum*. Codd. receptam lectionem tuentur.

§. 29. *Graecus, Latinus.* Sic e Codd. Zwicc. 1. 2 Dresd. Erl. 1. 2. Luth. scripsi pro *Graecus vel Latinus*, quod Edd. quoque Ven. habent.

gatione profertur, ut qui, qualis, quantus, quot, quotus, cum suos servant accentus. Infinitum est interrogativo contrarium, ut quis, qualis, quantus, quot, quotus, cum in lectione gravi accentu pronuntiantur. Possunt tamen haec eadem et relativa esse et similitudinis, sicut etiam talis, tantus, tot. Haec tamen etiam redditiva dicuntur. Et animadvertendum, quod hujuscemodi nomina vel substantiae sunt infinitae atque communis, ut quis, qui: vel qualitatis, ut qualis, talis: vel quantitatis, ut quantus, tantus: vel numeri, ut quot, tot. Ex quo ostenditur, melius ea doctissimos artium scriptores Graecos inter nomina posuisse, quamvis vetustiores apud ipsos quoque pronomina vel articulos ea putaverunt, quos grammatici Latinorum similiter sunt secuti. Sed incongruum videtur, cum illi antiquorum nec recusaverunt Graecorum etiam errores imitari, nos Apollonii et Herodiani, qui omnes antiquorum errores grammaticorum purgaverunt, vestigia linquere, et non inter nomina haec potius ponere, de quibus in pronomine latius tractabitur. Collectivum est, quod in singulari numero multitudinem significat, ut populus, plebs. Dividuum est, quod a duobus vel amplioribus ad singulos habet relationem, vel plures in nu-

---

§. 30. *qui.* Sic Codd. praestantissimi Lips. 1. Luth. Dresd. Heidelb. Erl. 1. 2. Lips. 2, in hoc tamen litura apparet. Lips. 3. et Edd. Ven. 1. 2. *quis.* Ita et Ald. Colon. Bas. Putsch. Posui *qui* hanc etiam ob causam, quod sequitur, *cum in lectione gravi accentu pronunciantur.* Nam *qui* et gravi et acuto accentu pronunciatum esse apparet ex Grammaticis; *quis* autem gravem solum habuit. Mox ante *animadvertendum* Collicum auctoritate omisi *est.* Ita et Ven. 1. 2.

Infinitum. Codd. Dresd. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 3. *infinitivum.* Lips. 1. et Edd. Ven. 1. 2. ut libri impressi. Hanc ob causam et quod §. 27. plerique Codd. *infinitum* exhibent, retinendam Editionum lectionem putavi.

nec recusaverunt. Quatuor Codd. *non.* Mox pro *linquere* Erl. 1. *relinquere,* et post sequens *nomina* omisit *haec.*

tractabitur. Erl. 1. 2. Heidelb. Lips. 3. Dresd. *tractabimus.*

§. 31. *Collectivum est.* Adjeci e Codd. Zwicc. 2. Luth. Dresd. Heidelb. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. *est*, quod in libris impressis omnibus desideratur. Mox post *quod* addit Erl. 1. *etiam.*

populus, plebs. Addunt Aldina, mater, ut videtur, multorum vitiorum, et qui cum ea errare, quam cum Codd. vera sentire, maluerunt, libri impressi, *concio,* quod ab omnibus meis Codd. etiam ab Edd. Ven. 1. 2. abest.

meros pares distributos, ut uterque, alteruter, quisque, singuli, bini, terni, centeni. Factitium est, quod a proprietate sonorum per imitationem factum est, ut tintinnabulum, turtur. Generale est, quod in diversas species potest dividi, ut animal, arbor. Speciale est, quod a genere dividitur, ut homo, equus, vitis, laurus. Ordinale est, quod ordinem significat, ut primus, secundus, tertius. Numerale est, quod numerum demonstrat, ut unus, duo, tres. Absolutum est, quod per se intelligitur, et non eget alterius conjunctione nominis, ut deus, ratio. Temporale est, quod tempus ostendit, ut mensis, annus. Locale est, quod locum significat, ut propinquus, longinquus, proximus, medioximus. Plautus in Cistellaria: *At ita me dii deaeque superi, inferi, et medioximi.* Hae, ut diximus, spe- 52
cies omnes fere communes sunt, tam principalium, quam derivativorum. Seorsum autem derivativa species habent, quas memoravimus, de quibus singulis hinc tractabimus. Patronymicum est, quod a propriis tantummodo derivatur patrum nominibus secundum formam Graecam, quod significat cum genitivo primitivi filios vel nepotes, ut Aeacides, Aeaci filius vel nepos; et hac forma poetae maxime solent uti, pro qua Romani

---

vel plures. Vulgo *vel ad plures.* E correctione hoc nemo negabit. Codd. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 3. plane omiserunt. MSS. Luth. Lips. 1. supra scriptum exhibet. Lips. 2. unus habet. In libris impressis omnibus legitur.

quod a genere. Cod. Luth. supra scriptum habet *generali.* Mox pro *tres* Lips. 3. *tria.*

At ita me dii deaeque superi, inferi, et medioximi. Lips. 2. pro *at* habet *aut.* Lips. 1. Dresd. Heidelb. *Et.* Post *dii* Dresd. *adigant.* Lips. 1. post *deaeque ament* in margine additum. Lips. 3 *medii superi* et rel. omisso *deaeque.* Libri impressi *medioxumi.* Codd. omnes et Edd. Ven. 1. 2. Ald. *medioximi.* Cod. Luth. *et* ante *medioximi* supra scriptum refert.

§. 52. *hinc tractabimus.* Vulgo *hic.* Pessime. Codd. Dresd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. Heidelb. ut dedimus. Edd. Ven. 1. 2. Ald. *hic.*

Patronymicum. Multi Codd. *patronomicum.* Retinui orthographiam vulgatam propter analogiam. Nam *synonyma* Codices etiam scribunt, non *synonoma.*

filios vel nepotes. Cod. Luth. *filius vel nepos.* Ante *filios* Erl. 2. posuit *vel.*

cognominibus familiarum utuntur, ut Cornelii, Marcelli. Omnes enim ab illo, qui primus Cornelius, et qui Marcellus nominatus est, hoc nomen habuerunt, quicunque ejusdem familiae sunt, sicut omnes minores Thesei Thesidas Graeci appellant, quos solent poetae quoque nostri imitari. Unde Virgilius secundum Grae-
33 cam formam Scipiadas dixit ἀπὸ τοῦ Σκίπιος. Necnon etiam possessiva loco patronymicorum invenimus apud Latinos usurpata, ut Aemilianus Scipio pro Aemilii filius, et Octavianus Caesar. Inveniuntur quaedam nomina formae patronymicorum significatione denomina-

---

et qui Marcellus nominatus est. Libri impressi ita: *et primus Marcellus vocatus est.* Nos Codicum auctoritate defendimur. Adeas, si lubet, MSS. Dresd. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Luth. Heidelb.

quicunque ejusdem familiae sunt. Zwicc. 1. *ex ejusdem familia.*

Scipiadas — ἀπὸ τοῦ Σκίπιος. Sic graeca scripsi pro vulgato ἀπὸ τοῦ Σκιπίωνος, quod Ald. Colon. Bas. Putsch. habent. Nam Codd. plerique Σκίπιος exhibent. Dresd. ἀπὸ του ΣΣυπυος. Erl. 1. απω θων Συπυως. Erl. 2. απω θων Κιπυως. Lips. 2. απο του Σκιπιιος. Lips. 3. *apo toy scipios dixit.* Equidem fateor, mihi Graeca haec verba non minus spuria videri, quam quae, in libris impressis proxime sequentia, omisi, *cum Scipionides dicere debuit.* Primum sunt tres Codices praestantissimi Luth. Zwicc. 2. Heidelb. qui haec omiserunt. Deinde in MS. optimo Lips. 1. in margine notata sunt. Denique est lectio et sedes vocum singularum incerta. Sic Lips. 3. *dixit* ponit post *scipios.* Dresd. *Scipionides dici debuit*, supra ab alia manu addito *cum.* Haec eadem est ratio MS. Erl. 1. Erl. 2. *cum Scipionides debuit dicere.* Lips. 1. omisso *cum, Scipionides dici debuit.* Lips 2. 3. *cum Scipionides dici debuit.* Edd. Ven. 1. 2. cum vulgatis faciunt. Nolo tamen hic desiderari Gerardi Vossii de hoc loco sententiam, qui in Lib. IV. de Arte Grammat. sive de Analogia Lib. II. c. 28. haec disserit: „In tertia casui in I apponitur des: ut Thestor Thestori Thestorides. Sic a Scipio Scipionides foret, et per epenthesin Scipioniades, pro quo Marco per syncopen dixit Scipiades. Vel ἀναλόγως erit a Scipius, quod mavult Prisc. II. *Virgilius secundum Graecam formam Scipiadas dixit ἀπὸ τοῦ Σκίπιος, cum Scipionides dicere debuit.* Ita recte legitur, cum in antiqua Veneta, tum etiam in membranis nostris. Helias Putschius rescripsit ἀπὸ τοῦ Σκιπίωνος. quod probare non possum. Nam quae a nominibus quintae fiunt, mutant ος in ίδης. Ut ὁ Πηλεὺς τοῦ Πηλέος, ὁ Πηλείδης et crasi Πηλείδης: ὁ Ηετίων τοῦ Ηετίωνος, ὁ Ηετιωνίδης et κατὰ συγκοπὴν Ηετίδης. Sic ὁ Σκιπίων τοῦ Σκιπίωνος, ὁ Σκιπιωνίδης. *Scipiadae* igitur non fit a nomine tertiae, sed secundae: nempe ut ab Ἥλιος, verso ος in άδης, fit Ἡλίαδης: sic a Σκίπιος eapse mutatione fiat Σκιπιάδης." Hactenus vir eruditissimus.

tiva, ut Euripides proprium, non Euripi filius, sed ab Euripo sic nominatus. Similiter Thucydides. Sunt autem alia, quae cum sint in aliis patronymica, accipiuntur propria, ut Timarchides Timarchi filius, et Timarchides proprium. Et in omnibus fere speciebus nominum invenimus ejusdem formae etiam propria, quae tamen amittunt appellativorum significationem, ut Magnus adjectivum et proprium, Iulianus possessivum et proprium, Heraclides patronymicum et proprium. Sic in aliis quoque speciebus invenies. Scire autem debemus, abu- 34
sive etiam a matribus et regibus sive conditoribus, et a

---

§. 33. *Octavianus Caesar.* Addunt plerique Codd. alii in margine, alii supra textum, alii inserentes, *pro Octaviae filius.* Est etiam, qui omisit *pro.* Abest ab Edd. Recte Lips. 3. *pro Octavii filius.* Sed propter suspectam horum verborum auctoritatem nihil Prisciano obtrudi debere putavi.

sed ab Euripo sic nominatus. Addunt, exceptis Edd. Ven. 1. 2., libri impressi haec: *dicitur Euripides, quia illo die natus est, quo Athenienses cum Persis in Euripo bellum commisere.* Hoc glossema e textu ejeci. Primum, ut dixi, non legitur in Edd. Ven. 1. 2. Deinde Codices praecipui ignorant, Codd. Luth. Zwicc. 2. Heidelb. Lips. 1. In aliis, Zwicc. 1. Lips. 2. in margine reperitur; in aliis, Erl. 1. 2. uncis inclusum spurium declaratur. Denique sunt Codd. qui vel ineptissima lectionis varietate sensum turbent, vel grammaticae leges violent. Cod. Dresd. habet *in Euripo campo.* Lips. 3. omisso *dicitur Euripides* sic pergit: *quia in illo die, quo Athenienses cum Persis in Euripio bellum commiserunt.*

Similiter Thucydides. Addunt Libri impressi inde ab Ald. ἀπὸ τοῦ θώκου τοῦ ἑδράνου (Putsch. τοῦ θρόνου). Ego omisi. Nam praestantissimi Codices hoc glossema ignorant, ut Zwicc. 1. Luth. Lips. 1. Erl. 2. Heidelb. Etiam Lips. 2. 3. Edd. Ven. 1. 2. Erl. 1. ἀπω θωυ θωσωυ θυ θρωνωυ. Dresd. απω τω κουσροτονωυ. Facile vides, Putschianum θρόνου recte se habere. At vero nos rectius omisimus; nam illud *similiter* ostendit, veram etymologiam non appositam fuisse. Cf. infra §. 34. ubi post *matre* addit Cod. Lips. 2. *Coronis* e glossemate.

Timarchides proprium. Editiones addunt *nomen.* Auctoritate Codicum ego omisi.

Et in omnibus fere speciebus. Addidi ex MSS. Dresd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. Erl. *et*, quod abest a libris impressis. Post *speciebus* adjecit Lips. 2. *appellativorum.*

§. 34. *a matribus et regibus.* Libri impressi omnes interponunt *ab avis maternis.* Equidem ejeci; audacius fortasse, nec tamen temere. Ac primum quidem MS. Heidelb. omisit. Deinde vero Cod. Luth. tantum in margine ab alia manu additum et Lips. 1. supra scriptum exhibet. Tum conjunctio in Codd. non tamen eadem in omnibus adjecta reperitur. In MS. Zwicc. 1. *vel*, in Erl. 1.

fratribus etiam patronymica solere formari, ut Latoides, *Λητοΐς*, id est Latonae filius, Apollo, et Iliades, Iliae filius, Romulus. Ovidius in XIV. Metamor. *Ut corpora victa sopore invadant portasque premant, quas obice fultas clauserat Iliades.* Similiter Coronides, a matre, Aesculapius. Sic idem Ovidius in XV. Metamorphoseon: *Unde Coronidem circumflua Tibridis alti insula Romuleae sacris dejecerat urbis;* et Maiades, Maiae filius, Mercurius. Ab avis quoque maternis patronymicum Atlantiades Mercurius, id est Atlantis natae filius. Ovid. in I. Metamorphoseon: *Sedit Atlantiades, et euntem multa loquendo detinuit sermone diem.* In eodem, Inachides, Ionis filius, Epaphus, quae filia fuit Inachi. *Non tulit Inachides, matrique ait omnia demens.* A regibus sive conditoribus Thesidae, Cecropidae, id est Athenienses: Aeneadae, Romulidae, id est Romani. Virg. in II. Georgicon: *Praemiaque ingentes pagos et compita circum Thesidae posuere.* Idem in VI. Aeneid. *Tum pendere poenas Cecropidae jussi.* Idem in VIII. *Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.* Idem in I. *Defessi Aeneadae quae proxima littora cursu.* Idem in VIII. *Subitoque novum*

---

2. Lips. 2. 3. *et.* Denique Lips. 1. transposita verba habet: *et a maternis avis.* Lips. 3. pro *maternis matriciis.* Neque quemquam fore puto, qui sequentia *Ab avis quoque* et rel. sententiae meae repugnare dicat, cum illud *quoque* luce clarius demonstret, auctorem nostrum regulae ab ipso propositae addere aliquid voluisse. Ex hoc enim loco petitum est, quod delevimus, *ab avis maternis.* Posui *et regibus* pro *a regibus* Codicum jussu, qui plerique *et* exhibent.

Ovid. XIV. Metam. vss. 780 seqq.

Sic idem Ovid. in XV. Metam. vs. 624. Vulgo, *Idem Ovid.* Codd. et Edd. Ven. 1, 2. tuentur *Sic.* Erl. 2. *Sicut.* — *Ovid. in I. Met.* vs. 603.

In eodem. vs. 755.

dejecerat urbis. Dejecerat omnes Edd. et MSS. praeter Erl. 2. qui *adjecerat* habet. Apud Ovid. est versus 627. *adsciverit* Gierig.

In eodem, Inachides. Sic Codd. sex. Edd. omittunt *in eodem*, et ante initium sequentis versus ponunt. *Idem in eodem.* Pro *Iovis* posui *Ionis*, quod Codd. Zwicc. Luth. Dresd. Erl. 2. habent. Lips. 1. 2. *Ioïs.* Editiones Ven. 1. 2. *Ioῦς* legunt. Ald. *Ionis.* Putsch. *Iovis* typothetae errore.

§. 35. *Virg. in II. Georg.* Miror Putschium quoque pro *II* dedisse *IV*, cum versus sit libri secundi 382. Vestigia genuinae scripturae exhibet Cod. Lips. 1. qui habet *in IIIII.* Ex confusione et commistione *τοῦ* in cum II ortus est numerus quaternarius. Pro *ingentes* Heynius duce Burmanno *ingeniis* reposuit. Nostri Co-

consurgere bellum Romulidis Tatioque seni. A fratribus, Phaethontides: unde femininum Phaethontis. Virgilius in Bucolico: *Tum Phaethontiadas musco circumdat amarae corticis:* Phaethontiadas tamen dixit pro Phaethontidas poetica licentia. Sunt igitur patronymicorum formae apud Graecos tres. In des: quae dicitur communis apud illos, quod in omni sermone possunt hac uti, qua sola Romanorum quoque poetae utuntur. Nam aliis duabus non utuntur, id est in ων terminata, quae est propria Iadis linguae, *Ηηλείων Ηηλείδης*, et in αδιος, quae est Aeolica, ut Hyrradios, Hyrrae filius, Pittacus. De hac igitur forma dicendum est, qua utuntur nostri. Si VII nominativus graecus in ας vel in ης vel in ιος desinat, 36 genitivus vero in ου diphthongum, a penultima brevis ante des invenitur in patronymico, ut Pelias Peliades, Aeneas Aeneades, Menoetios Menoetiades. Nam Aenides magis contra regulam autoritate poetica posuit Virgilius e et a correptas in i productam convertens, vel quasi ab Aeneus Aenides, sicut a Peleus Pelides proferens in nono: *Sit satis Aenide telis impune Numanum oppetiisse tuis.* In es vero desinentibus, quorum geni-

---

dices omnes *ingentes.* Etiam Editiones. Reliqui loci Virgilii sunt Aen. VI, 21. Aen. VIII, 648. I, 17. VIII, 638. Ecl. VI, 62.

Phaethontides. Ita plures Codd. Dresd. Lips. 3. Erl. 2. Lips. 1. Sed in Codd. Lips. 1. Erl. 2. correctoris manu *es* in *as* mutatum deprehendis, ita tamen, ut vestigia veteris scripturae fugere te minime possint. Vulgo, *Phaethontidas.*

Hyrradios, Hyrrae filius, Pittacus. Diog. Laert. I. *Πιττακὸς Υρράδιου* Pater Pittaci igitur fuit *Hyrradius.* Codices in hujus nominis scriptura variant. MSS. Dresd. Erl. 1. *Pyrradios Pyrrae filius Pittacus.* Heidelb. *hyrradios hyrrae filius psittacus.* Hujus Cod. lectionem recipiens per y pro vulg. i hoc nomen protuli. Erl. 2. *Pythadios* (e corr. *Pyrrhadios*) *Pyrrae filius, Pytagus.* Lips. 2. *φυρράδιος Pyrrae filius Pittacus.* Lips. 1. *Hirriades* (e corr. *Pirradios*) *Pyrrae filius Pictacus.* Lips. 1. *Pirradios, Pirrae filius, Sitacus.* Ed. Ven. 1. *Hirradius, Hyrrae filius, Psitacus.* Ego vel Diogenis auctoritate contenta confidenter scripsissem *P* pro *H*, nisi crederem, librarios aspirationem per *P* sive *Ph* expressisse. Nolim tamen recipiendum *P* dicenti obsistere.

§. 36. *in as vel in ης vel in ιος.* Cod. Luth. *in* ter omittit.

Menoetios, Menoetiades. Sic scripsi pro vulg. *Menetius, Meneciades,* quod Ald. cum Colon. Bas. communicavit. Putsch *Menoetius, Menoetiades.* MSS. Dresd. *Menoetius, Menoetiuy, Menoetiades.* Zwicc. 1. 2. Heidelb. Erl. 2. Lips. 1. Luth. *Menoetios.* Erl. 1. *Moenetios Moenetiuy, Moeneciades.* Lips. 2.

tivus Graecus in *ov* desinit, tam in ades quam in ides inveniuntur apud autores, Hippotes Hippotades, Butes Butades, Corinetes Corinetides. Sed rationabilius in ades. Anchises ergo Anchisades vel Anchisides debuit facere, fecit autem Anchisiades, quasi ab Anchisios nominativo, quomodo Laertios Laertiades. Nunquam enim patronymicum superat primitivi sui genitivum, nisi una syllaba.

57 Alia vero omnia in *ov* apud Graecos terminantia genitivum, vel in *ος*, vel in *ους* diphthongum, vel in *ως*, mutant eas in ides, et faciunt patronymicum, ut *Πρίαμος Πριάμου* Priamides, *Νέστωρ Νέστορος* Nestorides, *Πλεισθένης Πλεισθένους* Plisthenides, *Πηλεὺς Πηλέως Πηλείδης*, et per synaeresim e et i in ei diphthongum proferunt penultimam. Nos autem pro ea i longam ponimus, ut Virgilius in V. *Pelidae tunc ego forti congressum Aeneam.* Ovidius in I. Metamorphoseon: *Unde Promethides placidis Epimethida dictis.* Inveniuntur tamen poetae in quibusdam quasdam addentes literas, vel adimentes: addentes, ut Peliades pro Pelides, et Chalcodontiades pro Chalcodontides, Atlantiades pro Atlantides, Ovidius in I. Metamorphoseon: *Sedit Atlantiades:* adimentes, ut Deucalides pro Deucalionides, et Scipiades pro Scipionides, et, ut supra diximus, Aenides pro Aeneades. Excipiuntur tamen haec, quae contra regulam producunt penultimas vocales, Aeolides, Demades per synaeresim pro Demeades, Codrides, Licoorgides, Lagides, Belides, Euerides etiam et Licomedi-

---

Moenecias, Moeneciades. Lips. 3. *Menecias, Menecioy, Meneciades.*

Locus Virg. Aen. IX. 653. §. 37. Virg. Aen. V. 808. Ovid. I. Metam. 390. In hoc Ovidii loco pro *inde* legunt *unde* MSS. Heidelb. Lips. 1. 2. Luth. Erl. 1. Hos secutus, *unde* reposui.

§. 37. *Demades per synaeresim pro Demeades.* Sic Codices mei omnes, etiam Edd. Ven. 1. 2. Libri impressi *pro Aeoliades Demeades.* Mox pro *Lagides* Codd. Zwicc. 1. Erl. 1. Heidelb. *Largides.*

apud Graecos. Ante *apud* Lips. 2. *quae.*

§. 38. *vel in ne productam.* Cod. Luth. omisit *in.* Edd. Ven. 1. 2. lacunam habent, et inter se discrepant. Ven. 1. totum locum sic legit: *Foeminina vero patronymica vel in is vel in as desinunt vel in es productam, ut Priamides Priamis.* Ed. 2. *Foeminina vero patronymica vel in is, vel in as desinunt vel in ne productam. Ut Priamides Priamis et rel.* In Codd. nullum talis lacunae vestigium reperi.

des, apud Graecos contra regulam penultimam diphthongum habent, pro qua nos i longam ponimus. Foemi- 38
nina vero patronymica vel in is, vel in as desinunt, vel in ne productam. Fiunt autem a masculinis subtracta de in is vel in as desinentia, ut Priamides Priamis, Dardanides Dardanis, Peliades Pelias. Igitur Aeneades quoque secundum analogiam Aeneas debet facere, non Aeneis. Ergo quomodo autoritas est, quod dixit Aenides pro Aeneades, sic autoritate usus est Virgilius in tituli inscriptione, quo Aeneis inscripsit. Quem Statius quoque secutus in fine Thebaidos ponit: *Vive precor nec tu divinam Aeneida tempta.* Notandum tamen, quod si masculina i longam habuerint ante d per synaeresim, apud nos in eis divisas tamen faciunt foeminina, ut Pelides pro Peleides, Peleis, Thesides pro Theseides, Theseis. Sic ergo Aenides pro Aeneides, Aeneis. In ne autem de- 39
sinentia quae sunt ladis linguae patronymica eiusdem generis i longam habent penultimam, si principale non habuerit eandem i vocalem, ut Adrestos Adrestine, Nereus Nerine: si autem principale habuerit i, o producta ante ne invenitur, ut Acrisios Acrisione, ex quo possessivum posuit Virgilius: *Acrisioneis Danaë fundasse colonis.* Ab Acrisione, id est, Danae. Et sciendum, quod inveniuntur multa ejusdem formae gentilia, ut Aemonis, Thessalis, Colchis, Argolis, Cyclas, Ias, Troas, alia vero propria, ut Bacchis, Doris, Pythias.

Possessivum est, quod cum genitivo principali si- VIII
40

---

quo Aeneis inscripsit. *Quo* absolute accipiendum. Ed. Ven. 1. *qui*, e correctione Editoris, ut videtur. Pro *inscripsit* primum Cod. Lips. 1. habuisse videtur *scripsit*. Nam *in* supra additum est. *Statius in XII. Theb.* ve. 4. ab f.

nec tu divinam Aeneida tempta. Plures Codd. *tempta*. Ita Priscianum scripsisse persuasum habeo. Vulgo, *tenta*. Et cum Codd. praestantissimi, Zwicc. uterque, Luth. Lips. 1. (*temta*) Dresd. Heidelb. Erl. 2. hanc lectionem referant, recipiendam esse putavi.

in eis divisas tamen faciunt. Inserui ex Codd. *tamen*, quod etiam Edd. Ven. habent.

§. 39. *Adrestos Adrestine.* Lips. 2. *Adrastos, Adrastine.* Locus ex Virgilio adductus legitur Aen. VII. 410. Edit. Ven. 1. pro *Danae* scribit *Dane*. Sed centies, millies in Codd. *ae* et *e* inter se confusa sunt. Sic Codd. scribunt etiam *Lertius, Lertiades.*

multa ejusdem formae gentilia. Edd. pleraeque *multa nomina hujus formae* rel. Edd. Ven. 1. 2. *Multa hujus formae.* Sex meorum Codd. omittunt *nomina*, et *ejusdem* pro *hujus* ponunt

gnificat aliquid ex his quae possidentur, ut Euandrius ensis pro Euandri ensis, et regius honos pro regis honor. Hoc autem interest inter possessiva et patronymica, quod patronymica filios vel nepotes significant: possessiva autem non solum filios, sed omnia, quae possunt esse in possessione: et quod patronymica a propriis tantummodo derivantur, possessiva autem etiam ab appellativis: et quod patronymica a masculino descendunt plerumque genere, rarissime autem a foeminino: nec proprie, quando a matribus fiunt, ut supra ostendimus: possessiva autem ab omnibus nascuntur generibus: et quod patronymica ad homines pertinent vel ad deos, possessiva vero ad omnes res. Fiunt igitur possessiva vel a nominibus, ut Caesar Caesareus; vel a verbis, ut opto optativus; vel ab adverbiis, ut extra extraneus; et vel mobilia sunt, ut Marcius Marcia Marcium: vel fixa,
41 ut sacrarium, donarium, armarium. Possessiva autem dicimus non solum possessionem significantia, sed etiam quae formam habent possessivorum. Sunt enim quaedam gentilia similem possessivis habentia formam,

---

Codd. Dresd. Zwicc. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Paulo post eandem ob causam post *alia vero* omisi *nomina*, quod in libris impressis legitur.

§. 40. Post *non solum filios* in libris impr. legitur *vel nepotes.* Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. ignorant. Dresd. Cod. aperta correctione hoc loco laborat, et haud dubie reliquorum Codd. lectionem olim exhibuit. Quis tantorum testium sententiae obsistat! *Sed omnia.* Vulgo, *sed etiam omnia.* MSS. et Edd. Ven. 1. 2. non habent illud *etiam.* Abundat profecto, et incommodum est. *A propriis tantummodo.* Addunt libri impressi, quod Cdd. et Edd. Ven. 1. 2. non exhibent, *hominibus.*

nec proprie. Lips. 2. *sed abusive.* Mox post *ad homines* legitur *tantum* in MSS. Dresd. Zwicc. 1. Erl. 1. 2. Lips. 1. Si *tantum* genuinum est, possis credere, *vel ad deos* e glossemate additum esse. *et vel mobilia sunt.* Emendasse hunc locum me puto praefigendo *et,* quod libros quidem impressos fugit, ab praestantissimis vero Codd. servatum est, MSS. Zwicc. 1. Lips. 1. Luth. Dresd. Heidelb.

§. 41. *Romanus civis, et Romanus ager.* Expuli putidum glossema, quod in omnibus Edd., ne Veneta quidem excepta, post *civis* legitur, *gentile. possessivum.* Abest hoc ab optimis Codd. Luth. Zwicc. Erl. 1. 2. Heidelb. Lips. 1. 2. Legitur tamen in MSS. Dresd. Lips. 3. in quo posteriore hoc glosse-

ut Romanus civis, et Romanus ager. Quaedam autem et propria eadem, et gentilia, et possessiva, ut Latinus filius Fauni, et Latinus civis, et Latinus ager. Alia tantummodo propria, formae possessivae, ut Quintilianus, Julianus. Alia loco patronymicorum posita, quod supra quoque diximus, ut Aemilianus Scipio, et Octavianus Caesar. Ex eadem forma agnomina quoque multa invenies, ut Africanus, Persicus, Gaetulicus, Creticus. Alia autem sunt ejusdem derivationis, quae ex materia principalium constare significantur, ut ferreus a ferro factus; similiter, aureus, argenteus, marmoreus. Alia ex morbis, ut cardiacus. Alia a professionibus, ut mechanicus, grammaticus. Alia a disciplinis, ut Aristotelicus, Socraticus, rhetoricus. Alia quae primitivorum similem possunt habere significationem, ut Thracius pro Thrax. Sunt igitur formae possessivorum, quas a Graecis accepimus, hae. In cos, quam mutamus in cus, antecedentibus a brevi, vel i vel y, ut Bebriacus, Cypriacus, Italicus, Asiaticus, Libycus, quod solum y ante cus habens invenitur, quod a principali accepit. Et scien- 43

---

ma eo ineptius appositum est, quod transpositis verbis, ita ut ne sensum quidem habeat, legitur. Pro *ager* Dresd. *agger*. Mox post *Latinus filius Fauni* addunt duo Codd. *proprium*. Apparet, vel me non monente, manus interpolatrix.

§. 42. *a ferro factus*. Vulgo *e ferro factus*. Nos MSS. Dresd. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 1. et Edd. Ven. 1. 2. secuti sumus.

mechanicus. Sic Codd. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Luth. Erl. 2. Vulgo *mathematicus*. Ita et Edd. Ven. 1. 2. et Cod. Dresd. Equidem optimae notae Codicibus parendum esse putavi, cum et alterius lectionis origo ex nota interlineari recte mihi repetenda esse videatur. Post *grammaticus* ponunt libri impressi *rhetoricus*. Codd. omnes hoc priore loco omittunt et ponunt post *Socraticus*. Sic MSS. Dresd. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Lips. 1. 3. Erl. 1. Unus Erl. 2. vocem *rhetoricus* plane omisit. Inde haud dubie orta est confusio, quod *rhetoricam* non disciplinam (*hohere* Wissenschaft), sed *professionem* (*niedere* Wissenschaft oder Kunst) dici debere existimabant; ergoque *rhetoricum* grammaticis potius quam philosophis adnumerandum esse sibi persuaserant. Constat autem, *rhetorem* dignitate longe praestitisse *grammaticum*; et Cicero ipse in Tusc. Disp. Lib. I. Cap. 4. Aristotelem Isocratis gloria commotum artem dicendi docere coepisse diserte tradit. Obiter notandus est usus vocis *rhetoricus* pro *rhetor*.

dum, quod ea, id est in cus desinentia, si a primitivis habeant c, pares illis syllabas habent, ut Ithacae Ithacus. Alia vero omnia a vel i ante cus habentia, sive sint a nominativo seu a genitivo derivata, una syllaba vincunt ea, ex quibus derivantur primitiva: et si primitiva illa habuerint i penultimam, haec assumunt a: si o habuerint, tunc haec i habent ante cus. Et sciendum, quod non solum a primitivis, sed etiam a derivativis derivantur hujuscemodi possessiva nomina, ut Troos Troicus, grammatos grammaticus, rhetoros rhetoricus, Persis Persicus, Asiatis Asiaticus, Creta Creticus, Afri Africus, Italus Italicus. Nam Italia Italiacus debuit facere, Cyprius Cypriacus. Nam Cyprus Cypricus facit. Ilion Iliacus, cardia cardiacus, mulio mulionis mulionicus.
44 Cicero pro Sestio: *mulionicam penulam.* In us quoque puram desinunt possessiva tam graeca quam latina, antecedente e correpta et e producta; i correpta; o producta; ae vel oe diphthongo; e brevi, ut Caesareus, Romuleus, ferreus, aureus, argenteus, vitreus, ligneus, marmoreus; iligneus tamen et iliceus dicitur. Terentius in Adelphis: *Lectulos iligneis pedibus.* Statius in sexto Theba. *Ornique iliceaeque trabes metuendaque succo taxus.* Marmoreus, et fere omnia ad materiam pertinentia, e brevem ante us habent, plumbeus, stagneus. Inveniuntur enim pauca sine e, ut quernus, co-

---

§. 43. *quod ea, id est in cus desinentia.* MSS. Lips. 1. Erl. 1. omittunt *id est.*

pares illis syllabas habent. Sic Codd. Edd. *pares habent syllabas illis. A genitivo.* Inserui *a* e Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Erl. 1. Mox post *derivantur* Codicum auctoritate omnium delevi, quod libri impressi addunt, *primitiva. Si autem o habuerint.* Post *o* Edd. omnes inserunt, *primitiva.* Expunxi Codicum Zwicc. Luth. Lips. 3. jussu. Lips. 2. *primam* ejus loco ponit. Erl. 2. *prima.*

possessiva nomina. Edd. *possessiva.* MSS. Dresd. Zwicc. 1. 2. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. addunt *nomina.*

§. 44. *e correpta et e producta.* Addidi ante *producta* e Codd. literam *e.*

Terent. in Adelphis. Est Act. IV. Sc. 2, 46. Hic quoque locus docet, Priscianum plurimos locos scriptorum ex memoria attulisse, ita certe, ut sensum non curaret. Statii locus est Theb. VI, 101.

Inveniuntur enim pauca. Pro *enim* habet MS. Dresd. *tamen.* Post *pauca* addit MS. Lips. 3. *ad materiam pertinentia.* Haec

lurnus, abiegnus, oleaginus, faginus; e vero longam, spondeus, Phoebeus. I brevem, Martius, arvisius. O, herous, eous. Ae, Sabaeus, Cretaeus, Ptolemaeus. Haec 45
autem ae diphthongum habent penultimam, quae a foemininis in e longam apud Graecos desinentibus, vel quae a verbis graecis derivantur circumflexis, ut Crete Cretaeus, Hyle Hylaeus, Dione Dionaeus, πτολεμῶ Ptolemaeus, τιμῶ Timaeus. Oe antecedente, ut Euboea, Euroea. Et quia apud Graecos in multis ei diphthongus ante os invenitur, scire debemus, quod solent Latini eam modo in e longam convertere, ut Πυθαγόρειος Pythagoreus, σπονδεῖος spondeus, Ἀλφειός Alpheus. Nam possessivum quoque similiter, ut primitivum, proferri. Virgilius ostendit, qui protulit: *Alphea ab origine Pisae.* Hoc autem solent facere Latini, id est ei in e lon- 46
gam convertere in penultima syllaba, us pura sequente, vel a vel um, ut Ἀχίλλειος possessivum graecum Achilleus, Δηϊόπεια Deiopea, γυναικεῖον gynaeceum. Hanc autem mutationem ei diphthongi in e longam faciunt more Ionico vel Attico. Illi enim ἠδῆν pro εἰδεῖν dicunt, et μῆον pro μεῖον, et πλῆον pro πλεῖον. Vel ideo, quia i penultimam puram non producunt Romani, nisi in fio verbo, et in genitivis in ius desinentibus, et in dissyllabis Graecis, quae apud illos quoque penultimam habent longam, et in paucis aliis, in quibus auctores pro e

---

et similia ea de causa notavi, ut appareat, quibus glossematis libri impressi et scripti laborent.

O, herous, eous. Libri typis expressi post *o* inserunt *producta*m. Edd. Ven. 1. 2. *o producta.* MS. Lips. 3. *o longam.* Plerique Codd., ut Erl. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2., omittunt et nudam literam *o* ponunt. Hos eo fidentius secutus sum, quod reliqui variant. MS. Dresd. habet *prod.*

§. 45. πτολεμῶ *Ptolemaeus.* Erl. πθωλωμω *Ptolomaeus.* Lips. 2. Ptoaouo *Ptolomaeus.* Lips. 1. *Ptholomo Tholomaeus.* Heidelb. *Πθολομῶ. Ptholomous.*

Euboea, Euroea. Nonnulli Codd. addunt *Euboeus Euroeus.* Edd. Ven. 1. 2. *Euboea Euboeus; Euroea Euroeus.*

Virgilius ostendit, qui protulit: Alphea ab origine Pisae. Sic edidi auctoritate Codicum meorum omnium motus. In Edd. inde ab Aldina ita legitur: *Virgilius ostendit in decimo qui protulit: Nos parere jubent Alpheae ab origine Pisae.* Primum igitur omisi *in decimo*, quod nullus Codicum meorum nec Edd. Ven. 1. 2. habent. Deinde praeeuntibus Edd. Ven. 1. 2. Putsch. et Codicum jussu expuli initium versus, in quo

penultima longa i longam posuerunt, ut Phthius Phthia, et Dius Dia, et Chius Chia, Arius, Lycius, Sperchius. Virg in XI. *Italides quas ipsa decus sibi dia Camilla.* Idem in Georg. II. *Sperchiusque, et virginibus bacchata Lacaenis.* Horat. in II. Serm. *Cecuba vina ferens Alcon Chium maris expers.* Nam primitivum Chius corripitur. Lucanus in VIII. *Quas Asinae cautes, et quas Chius asperat undas.* Lycius apud Statium in X. Thebaidos producta penultima invenitur: *At patrias si quando domus optataque Paean templa Lycie dabis, tot ditia dona sacratis postibus, et totidem voti memor exige tauros.* Sed etiam Lyrcius, quod in quibusdam Lyrceus reperitur codicibus scriptum. Stat. in IV. *Aret Lerna nocens, aret Lyrceus et ingens Inachus.* Sed et Argia et Argian et Langia idem secundum Graecos producta penultima

---

pro *hos* (sic Edd. Virg. et MS. Lips. 3.) *nos* scriptum exstat. Denique pro *Alpheae* ex Codd. reposui *Alphea*, quod Heinsius, notante Heynio ad Aen. X, 179., recepit, Burmannus sustulit.

§. 46. *Chius Chia.* Post haec in Edd. nonnullis, Colon. Bas. Putsch. reperiuntur, *Langia Argia et.* Absunt haec ab Codd. Dresd. Zwicc. Luth. Erl. 2. (habet *Langius*) Lips. 1. etiam ab Edd. Ven. 1. 2. Ald. Nec ferri potest, cum paulo post haec exempla per formulam *Sed et Argia* et rel. caeteris jungantur, quod ostendit, haec nomina antea non enumerata esse in iis, quae confirmandae regulae causa afferenda erant. Quod recte fieri intellexerunt Editores Venett. et Ald. Sed Putschius, uti semper fere, deteriora secutus est.

Virg. vide Aen. XI. 657. Georg. II, 487.

Horat. in II. Serm. Est VIII, 15. Plures Codd. scribunt *Alchon.* Lips. 1. *Alchonchion.* Dresd. *Alconchion.* Zwicc. 1. *Chion.* Lips. 2. *Alchon chion.*

Luc. VIII. 195. *Quas Asinae cautes.* Sic Dresd. Erl. 2. *aniae* supra scriptum est vel *Sasinae.* Lips. 2. *Asiae.* Lips. 1. *Quassa sive.* Heidelb. *sasinae.* Edd. Ven. 1. *Qua sasinae.* Edd. Lucani *Samiae.* Notandum est, in Codd. saepe sn pro m scribi. Sic Cod. Dresd. pro *Inarimes* scripsit *Inarisnes.*

Lycius apud Stat. in X. Theb. Adjeci *Theb.* e Codd.

At patrias. MSS. Dresd. Zwicc. 1. 2. Luth. Edd. Ven. 1. 2. *Ad.* Reliqui Codd. *at.* Lips. 3. *Et. Theb. X.* 343. 44.

Statius in IV. Est versus 711. Pro *Lyrceus* Cod. Luth. *Lyrcius.*

Statius II. Est versus 260. *Idem in eodem.* Addidi e Codd. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. 3. Luth. *Idem.* Sequens reperitur in libro IV. vers. 717.

Luc. in III. vs. 281. Ed. Ven. 1. *Arimospe.* Mox eadem *forte* pro *fortis.*

§. 47. *in nominibus urbium in a desinentium.* Codd. Luth. Lips.

profert in II. Thebaidos: *Nec mirum, nam tu infaustos donante marito ornatus Argia geris.* Idem in eodem: *Egregiam Argian, nec formae laude secundam Deiphilen.* Idem in IV. *Una tamen tacitas, sed jussu numinis undas, haec quoque secreta nutrit Langia sub umbra.* Lucanus in III. *Substringens Arimaspe comas, hinc fortis Arius.* Inveniuntur tamen auctores frequenter in nominibus IX urbium in a desinentium apud Graecos varie proferen- 47 tes, Alexandria et Alexandrea, Nicia et Nicea, Antiochia et Antiochea. Cicero pro Dejotaro: *Speravit credo difficiles tibi Alexandriae fore exitus:* tamen et Alexandrea dicitur. Horatius in quarto Carminum: *Nam tibi quo die portus Alexandrea supplex, et vacuam patefecit aulam.* Cicero in eodem: *Niceam Ephesumque mittebat.* Est autem quando abjectione i, e correptam

---

2. pro *a* simplici habent *ia.* MSS. Zwicc. 2. Lips. 2. pro *desinentium* legunt *desinentibus*, quod e correctione ortum censeo. Post *Alexandria* inserui e Codd. Dresd. Luth. Erl. 1. 2. *et.* Ex Cod. Erl. 2. notare liceat accentus, quibus sequentia urbium nomina distinguit. Ita vero ille: *Alexandria, Alexándrea, Nicia, Nicea, Antiochia, Antiochea.* Lips. 1. omisit *Alexandria* et ab alia manu supra scriptum est. Post *Antiochea* Cod. Luth. addit *dicitur.*

Cicero pro Dejotaro. cap. IX. *Speravit.* MS. Dresd. *sperant.* Mox pro *Alexandriae* Cod. Erl. 2. olim habuisse *Alexandria* luculenta correctio declarat. Hanc lectionem Ernestius l. l. in textum recepit. Reliqui Codd. et Edd. cum vulgata consentiunt. Illud vero praeterire non possum, quod MS. Dresd. post hunc locum ponit: *In eodem. Niceam Ephesumsumque mittebat.* Recte quidem refertur hic locus ad Cic. orationem pro Dejotaro, cujus in nono capite reperitur; nec tamen propterea huc transponendum esse putaverim.

Horat. IV. Carm. vs. 34 — 36. *Nam tibi quo die portus Alexandrea supplex.* MSS. Dresd. Lips. 3. Edd. Ven. 1. 2. Colon. Ald. Basil. exhibent lectionem, quae sane habet, quod offendat, *portus ab Alexandrea.* Emendavit Putschius. Ego inveni in Codd. pro *quo die, a quo die.* Sic Zwicc. 1. 2. Heidelb. Lips. 3. Erl. 2. *huc die.* Post *supplex* addit Lips. 1. e glossemate in textum recepto *s. extitit.*

Cicero in eodem. Adjeci e Cod. uno Zwicc. *Cicero.* Hoc mihi deesse non posse videbatur.

Niceam Ephesumque mittebat. Edd. variant. Ven. 1. 2. *Niceum Ephesum quoque mittebat.* Bas. Ald. Colon. *Niceam Ephesum mittebat.* Putsch. *Niceam Ephesum mittebant.* Ego addidi post *Ephesum que* propterea, quod plurimi Codd., inter quos et Heidelb., hanc conjunctionem referunt; deinde scripsi se-

ponunt ante us, ut Hectoreus, Agenoreus, in quo similiter Iones sequuntur: illi enim quoque abjiciunt i in hujuscemodi nominibus, si non genitivus primitivi par sit nominativo possessivi, quare Ἀχίλλειος dicunt, ne, si Ἀχίλλεος dicant, putetur primitivi genitivus, quos sequentes in hoc etiam pro ei diphthongo e longam ponimus, Achilleus dicentes. Unde Virgilius in tertio: *Stirpis Achilleae fastus.* Quamvis inveniatur etiam e correpta in hujuscemodi derivativis, ut Virgilius in I. *Nate patris summi, qui tela Typhoëa temnis.* Sed dicitur et Typhoeus et Typhon et Typhos. Lucanus in quinto: *Conditus Inarimes aeterna mole Typhoeus.* Idem in libro sexto:
48 *Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant.* Inveniuntur tamen quaedam hujuscemodi, in quibus ei diphthongus in i longam convertitur, sequente u loco digamma Aeolici, ut Ἀργεῖος Argivus; dicitur tamen et Argeus. Horatius in II. Carminum: *Tibur Argeo positum colono.* Quod in Latinis quoque derivationibus invenitur, id est penultima i longa ante u consonantem, ut nominativus, genitivus, dativus, accusativus, indicativus, impera-

---

cundum MSS. Luth. Heidelb. Lips. 2. Zwicc. 2. *mittebat.* Mox pro *est autem* Cod. Lips. 2. *est tamen.*

Iones pro vulg. *Ionas* scripsi Codd. Dresd. Lips. 2. auctoritate. Animadvertisse enim mihi videor, Graecas formas non amare, nedum captare Priscianum. Quare scribit *apocopam, diaeresim* et similia. Hoc loco plerique Codd. exhibent *Ionas*, Edd. etiam vetustissimae. Pro *sequuntur* Lips. 2., qui seorsim fere semper sentit, *sequimur.*

Ἀχίλλεος. Ita scripsi e Codd. Putsch. Ἀχιλλεῖος. Codd. Lips. 1. Ἀχιλλεος. MS. Luth. *Achilleos.* Dresd. αχιαδεος. Erl. 2. αχιλληως. Erl. 1. *Achilleos.* Zwicc. 1. αχιαδεος. Heidelb. αχιλλεος.

Unde Virg. in tertio (vs. 326.): *Stirpis Achilleae fastus.* In Edd. Ven. Ald. Bas. Colon. legitur *in quarto.* Putschius correxit vitium. Ego Codd. secutus sum Lips. 2. Heidelb. Erl. 2. Dresd. qui tertium numerum exhibent. Cod. Dresd. pro *fastus* exhibet *est fastus.*

inveniatur Codd. Dresd. Lips. 2. Erl. 1. 2. Luth. Vulgo *reperiatur.*

Virg. in I. (Aen. 665.) *tela Typhoëa.* Sic Codd. et Edd. Heynius *Typhoïa. tempnis.* Sic Codd. Heidelb. Dresd. Erl. 1. 2. Zwicc. 2. Luth. Vulgo *temnis*, quod retinui, cum Priscianus, si sibi constare voluerit, *tempnis* scribere non potuerit.

Inarimes (Luc. V. 101.). Cod. Dresd. *Inarisnes.* Lips. 1. *in-*

tivus, optativus; quorum alia a nominibus, alia a verbis derivantur. Non solum autem in nominibus Latinis penultima i pura ante us vel a vel um non potest produci, sed etiam in verbis praeteriti perfecti temporis, et plusquamperfecti corripitur i, sive penultima, sive antepenultima sit, nisi secuta fuerit u loco consonantis, ut audii audiisti audiit, audiimus audiistis audierunt; audieram audieras audierat, audiisse: ubique corripitur i. Sin autem assumat u loco consonantis, ubique producitur, ut audivi audivisti audivit, audivimus audivistis audiverunt, audiveram audiveras audiverat, audivisse. Invenitur tamen etiam ai diphthongus conversa in i longam, interposita similiter u pro consonante, ut Achivus pro Ἀχαιός, cum contra soleant Dores ei in ai diphthongum convertere, ut αἶχε pro εἶχε, et αἴθε pro εἴθε. Et eas quidem formas supradictas a Graecis accepimus. In latino autem sermone non solum his utimur, sed etiam propriis quibusdam Latinorum in us vel in a vel in um pura, antecedente ri, ut Catilinarius, haereditarius, legatarius, gladiatorius, uxo- 49

---

harimes. Lips. 2. Erl. *in* | *arimes*. Sequens locus Lucani est Lib. VI. vs. 92.

§. 48. *Inveniuntur tamen quaedam hujuscemodi*. Haec est lectio MSS. Dresd. Zwicc. 1. 2. Luth. (tantum quod hic ab alia manu supra scriptum refert) Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. MS. Heidelb. et Edd. Ven. 1. 2. *in hujuscemodi*. Vulgo, *in hujuscemodi nominibus*. Aldina agmen ducere videtur; Putschius vestigia pressit.

Argeo (Hor. Carm II, 6, 5.), non *Argaeo*, ut in Ed. Colon. invitis Codicibus scriptum legitur.

id est penultima i longa. Vulgo, *in penultima*. Expunxissem *in* vel invitis Codd. Sed Codd. hoc quoque loco recte sentiunt praeter Lips. 1. et Heidelb. quod mireris. Obiter monere liceat, sequens *quod*, pertinens non ad proxime antecedens *Argeus*, sed ad remotius *Argivus*, ad illustrandum locum Cic. Tusc. I, 1. adhiberi posse, ubi vel Wolfius de hoc usu pronominis relativi dubitasse videtur.

§. 49. *et eas quidem formas supradictas*. Hanc postremam vocem omittunt Codd. Erl. 2. Lips. 2.

his utimur. Addit Lips. 2. *formis*. Erl. 2. eandem vocem post *Latinorum* ponit. Quod autem in libris plerisque editis post *Latinorum* positum reperitur *desinentibus*, id, damnantibus Codicibus meis et Edd. Ven. 1. 2., delevi. Zwicc. 1. *desinentium* et mox *puram* pro *pura*.

rius, stlataria, ptisanarium. Et quod jam supra diximus, sciendum, quod quamvis forma sit possessiva haec, quae in rius desinit, tamen diversae significationis nomina in hac quoque inveniuntur. Alia ab officiis, ut tabellarius, mercenarius, cerarius, sagittarius, tabernarius, hostiarius, argentarius, aerarius; alia a dignitatibus, ut praefectorius, quaestorius, praetorius, censorius, quae tamen etiam possessivam habent significationem. Alia ab aliis rebus, in quibus sunt, vel de quibus, vel quas habent. In quibus sunt, ut collarium, quod in collo est; plantarium, quod in planta est; mensorium, quod in mensa est; motoria, quae in motu est; palmarium, quod in palma est, hoc est in laude. De quibus sunt, ut frumentaria, est lex de frumento, et agraria, de agris, et nummaria, de nummis. Ex his autem quas continent, ut vinaria cella, quae habet vinum; et armamentarium, in quo arma posita sunt: sic violarium, aviarium, rosarium, viridarium. In nus quoque ter-

---

stlataria, ptisanarium. Zwicc. 1. *slataria.* Lips. 2. in margine haec notat: *stlata purpura* in navis ferens, haec dicitur stlataria. Cod. Luth. notat: *navis piratica.* Edd. Ven. 1. 2. *filateria.* Varie scribitur in Codd. vox *ptisanarium.* Erl. 1. 2. *tysanarium.* Codd. Zwicc. Dresd. Luth. Lips. 3. Heidelb. *tisanarium.* Lips. 1. *tipsanarium.* Sic et Edd. Ven. 1. 2. MS. Luth. explicat ita: *vas vinarium.* Lips. 2. *tipsanarium potio de trito ordeo.* Zwicc. 2. *a tisana vas.* Cf. Plin. H. Nat. XXII, 66. ed. Hard. XVIII, 13. Ptisana pultis genus est, quod ex farina fit hordeacea aliisque frugibus. Hanc, quae ex oryza conficitur, nostri ipsius oryzae nomine du ris vocant: quae ex hordeo, orge mondé. Haec Harduin. coll. Intpp. ad Hor. Serm. III, 3, 155. Non ut notionem hujus vocis explicarem, sed ut scripturam, quam diversam exhibent MSS., confirmarem, haec protuli.

hostiarius. Edd. Ven. 1. 2. *ostiarius.* Reliquae vero Edd. omnes et, quod plurimum valet, MSS. vulgatam lectionem tuentur. Unus Erl. 2. consentit cum Edd. Ven. MS. Heidelb. omisit. Lips. 2. pro *aerarius* habet *herarius.*

argentarius. Addit Cod. Dresd. *bestiarius.*

mensorium. Ita invitus scripsi pro vulg. *mensarium.* At vero cum omnes omnino Codices, Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. hanc vocem per o scriptam proferant, equidem non potui, quin hanc scripturam adoptarem. MS. Heidelb. nota interlineari ita fere explicat: *genus vasis, quod ius* (*vis?*) *liquaminum continet ne limen in mensa fuscum reddativum* (*reddatur*). Descripsi literas, prout oculis distinxi.

minantium formae, et significationes diversae inveniuntur, quibus Latini frequenter utuntur in significatione possessiva, ut Pompejanus, Caesarianus, Syllanus. Invenitur autem in quibusdam a longa ante nus, ut Romanus, Hispanus, Campanus, Stenianus. In aliis e longa, ut terrenus, egenus, alienus, abienus, Rubienus, Anienus. Unde Virg. *Aniena fluenta.* In aliis i longa: 51
Camerinus, Perusinus, Rheginus, vicinus, masculinus, foemininus. Invenitur tamen etiam brevis i, g antecedente, in his, quae ab arboribus derivantur, ut oleaginus, faginus: et in his, quae ab adverbiis nascuntur temporalibus, cras crastinus, horno hornotinus, diu diutinus. U quoque longa ante nus, ut tribunus. R etiam et l inveniuntur ante nus, ut diurnus, nocturnus, externus, hesternus, hybernus, colurnus, quernus, ficulnus, populnus. Plautus in Casina: *Sed manedum, num istaec aut populna sors aut abiegna 'st tua?* Et quia diximus, diversas in his esse significationes, commodum

---

quae in motu est. Omittunt quatuor meorum Codd. *est.* Reliqui tuentur.

numaria de numis. Addunt Edd. Ven. Colon. Bas. Ald. Putsch. *lex.* Reperitur haec vox etiam in nonnullis Codd. sed in aliis, ut Dresd. Erl. 1., ante *numis;* in aliis, ut Lips. 1., supra scripta est. Omittunt eam MSS. Erl. 2. Lips. 2. 3. Zwicc. 1. 2. Luth. MS. Dresd. *numularia.*

et armamentarium. Omissa est vulgo *et;* quam ego e Codd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 3. Erl. 2. Dresd. adjeci. Edd. Ald. Colon. Bas. Putsch. *armarium.* Receptam lectionem exhibent Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. Reliqui, Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 2. 3. habent *armarium.*

violarium, aviarium. Ita edidi e MSS. Luth. Heidelb. Dresd. Lips. 1. Zwicc. Reliqui praeter Erl. 2. in quo *apiarium aviarium* juxta se posita conspiciuntur, exhibent cum editionibus *apiarium* post *rosarium* positum. Locum hujus vocis non temere mutavi, cum in MSS. Lips. 2. 3. quoque *apiarium* post *violarium* appareat. MS. Heidelb. omisit *apiarium.*

Stenianus. Vulgo, *Sthenianus.* Nos Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. dedimus lectionem.

Rubienus. Sic scripsi pro vulgato *Rubrenus*, unius Cod. Lips. 3. auctoritate. MS. Heidelb. explicat *Rubrenus* hac nota interlineari: *nomen poetae.* Pro *abienus* legendum fortasse est *Avienus* nisi pro *abiegnus* positum est. In Cod. Heidelb. explicatur inter lineas sic: *nomen poetae.*

Plautus in Casina. Act. II. Sc. 6. vs. 32. Lectionem vulgatam retinui auctoritate Codicum praestantissimorum, Erl. 2. Lips.

X est eorum exempla proponere. Alia sunt possessiva, ut
52 Caesarianus miles, Pompejana domus, Tullianum mancipium. Alia et patriam significant, et possessionem, ut Romanus civis, et Romanus ager. Potest tamen et hoc et paene omnes hujuscemodi formae nominum, propriorum quoque habere significationes. Campanus similiter, et Hispanus, et Alexandrinus, et Placentinus, et Nolanus, et similia, non solum patriam, sed etiam possessionem significant. Sunt tamen multa supradictae speciei, quae etiam agnomina inveniuntur, ut Camerinus, Numantinus, Coriolanus. Alia propria ejusdem formae nomina, vel etiam agnomina, ut Adrianus, Messalinus, Silvanus, Claudianus, Corvinus, Probinus, Rufinus, Aemilianus. Alia a locis, ut Rusticanus, Urbanus, Oppidanus, Capitolinus, Palatinus, Aesquilinus,
53 Gallicanus, vicinus, externus. Alia a temporibus, ut matutinus, a Matuta, quae significat Auroram, vel, ut quidam, *Λευκοθέαν*; hesternus, diurnus, nocturnus, meridianus, vespertinus, antelucanus, veteranus, diuturnus, aeternus; vel a dignitatibus sive officiis, ut tribunus, antesignanus; vel a generibus, ut masculinus, femininus. Alia a mutis animalibus, ut taurinus, porcinus, cervinus, anserinus; alia a materia, ex qua constant, ut humanus, terrenus; alia a fortuna, ut libertinus, egenus; alia a numeris semper pluralia, ut bini, terni, deni; quamvis poetica auctoritate etiam singularia inveniuntur. Lucanus in VIII. *Syrtibus hinc Libycis tuta est Aegyptus, at inde, gurgite septeno rapidus mare*

---

2. Reliqui variant. Dresd. *Sed mane damnum iste haec populna sors aut ambiegna est tua.* Erl. 1. *Sed mane dampnum istech* rel. Lips. 1. correctionem expertus: *sed mane dum non stet;* leviter apparet, olim scriptum fuisse *istec.* Heidelb. *Sed mone dum num istaec aut populna sors aut abiegna est tua.* Lips. 3. *Sed mane dampnum ista te — abiena est tua.* Edd. Ald. Colon. Bas. pro *istaec* exhibent *ista.*

§. 52. *Potest tamen et hoc et paene omnes hujuscemodi formae.* Vulgo *et haec.* Sic et Edd. Ven. et MS. Erl. 1. Receptum praestant Lips. 1. 2. 3. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. MS. Erl. 2. *et hoc nomen.* Dresd. e correctione minime dubia *et haec.* Erl. 1. explicat *et haec* supra adscripta voce *forma.* Hoc vero glossema nihili esse, luculentissime sequentia demonstrant, in quibus, non de formis possessivorum, quae propriorum habent significationem, sed de nominibus singulis, cujuscunque sint formae, agitur.

submovet amnis. Virgilius in decimo: *It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctum.* Sic ab omnibus numeris. Et sciendum, quod alia eorum a nominibus fiunt, 54
ut a Roma Romanus, a Caesare Caesarianus; alia a verbis, ut ab egeo egenus; alia ab adverbiis, ut infra infernus, supra supernus, hodie hodiernus. Conemur igitur, sicuti possumus, exponere rationem penultimarum in supradictis derivationum formis literarum. In a desinentia antecedente aliqua consonante, seu vocali, producta eadem a, et accepta nus faciunt derivativum supradictae formae, nisi sint mutorum animalium, ut Silla Sillanus, Perpenna Perpennanus, Roma Romanus, Silva Silvanus, Nola Nolanus, Suessula Suessulanus, Adria Adrianus, Copsa Copsanus. Excipiuntur Iugurthinus, Messalinus, terrenus: quae quamvis a nominibus in a desinentibus consonante antecedente derivantur, non servaverunt tamen a. De mustelino et aquilino paulo post tractabitur. A pluralibus quoque in ae di- 55
phthongum desinentibus, vel in a derivata similiter a habent ante nus, vel na, vel num, Acerrae Acerranus, Thebae Thebanus, Cumae Cumanus, Formiae Formianus, signa antesignanus, membra membrana, quod est foemininum. Possunt tamen haec et a singularibus esse ἀπὸ τοῦ signum et membrum, quod paulo post ostendetur. Similiter a habent ante nus, quae derivantur a nominibus in ius terminantibus, vel ab adverbiis in e longam, ut Pompejus Pompejanus, Stenius Stenianus, Titius Titianus, Tullius Tullianus, Fabius Fabianus,

---

§. 53. *Lucanus in VIII.* vs. 445.

Virg. in decimo Aen. v. 207. *Aulestes.* Vulgo, *Aulethes.* Receptam scripturam tuentur Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 5. Zwicc. Erl. 1. MS. Dresd. *Aulctes.* Erl. 2. *Eulestes.*

§. 54. *ut ab egeo.* Inserui *ab* e MSS. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. Mox delevi *nomina* post *desinentia*, quia a Codicibus meis omnibus abest.

Silla Sillanus. Sic scripsi auctoritate Codd. Luth. Erl. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Falsissime, si quid video, scribitur hoc nomen per *y*. Latina enim vocalis *u* transit quidem in *i*, ut optumus, optimus, satura, satira, nunquam autem in *y*. Erl. 1. *Sylla* quidem scripsit, sed hic et *tytius* pro *titius* scriptum ostentat.

servaverunt pro *servant* edidi auctoritate MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2.

§. 55. *Stenius Stenianus.* Sic Codd. Heidelb. Lips. 1. 2. 5. Erl. 1. 2.

Iulius Iulianus, Virgilius Virgilianus, Terentius Terentianus, Sallustius Sallustianus, quotidie quotidianus. Similiter a meridie meridianus, hodie tamen hodiernus
56 facit. Similiter a habent ea, quae derivantur a nominibus in cus, vel in culus desinentibus, quae sunt ultra duas syllabas, ut rusticus rusticanus, publicus publicanus, Saticulus Saticulanus, Tusculus Tusculanus. Excipitur a masculo, quod est diminutivum maris, masculinus factum. Nam dissyllaba in cus desinentia sine a sunt, ut mancus Mancinus, lacus lacuna, porcus porcinus. In um quoque neutra consonante antecedente in derivativis a habent ante nus, ut oppidum oppidanus, Paestum Paestanus, Spoletum Spoletanus, Toletum Toletanus, Castellum Castellanus, Beneventum Beneven-
57 tanus. Similiter a habent penultimam pleraque venientia a nominibus tertiae declinationis, Caesar Caesaris Caesarianus, fons fontis fontanus, mons montis montanus, urbs urbis urbanus, sol solis solanus, ex quo subsolanus: ex eo tamen est etiam Solinus proprium. Milo Milonis Milonianus, Piso Pisonis Pisonianus, quamvis quidam et Pisoninus, et Miloninus dici putaverunt. Sed a propriis derivata plerunque i ante a habent, Iovis Iovianus, Caesaris Caesarianus. Possumus tamen dicere, quod a Caesarius, et Milonius, et Pisonius, et Iovius derivata sint Caesarianus, Milonianus, Pisonianus, Iovianus. Lux lucis lucanus, ex quo compositum fit antelucanus: ex eodem tamen nascitur etiam Lucina. Vetus veteris veteranus, limes limitis limitanus, Ancon
58 Anconis Anconitanus, Gadis Gaditanus. Ideo autem diximus pleraque, quia a neutris in e desinentibus deri-

---

§. 57. *ex quo subsolanus.* Vulgo interpositum his legitur παράγεται contra usum Prisciani. Omittunt hanc vocem Codd. Luth. Heidelb. Dresd. Zwicc. 1. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. MS. Zwicc. 2. suprascriptam ostendit.

Ancon Anconis Anconitanus. Quae his in editionibus addita leguntur, *hoc tamen potest etiam ab Anconites esse, quod paulo post ostendetur*, ea, cum praestantissimi Codices hoc glossema ignorent, textu movi. Omittunt MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 2. Lips. 2. 3. Deinde in Codicibus, qui haec verba referunt, varie scripta reperiuntur. Erl. 1. pro *etiam* habet *et*. Lips. 1. *Achonitis*. Ed. Ven. 2 *ostenditur*. In MS. Lips. 2. ad marginem haec notantur: *anconitanus non venit ab ancon, sed ab anconites.*

§. 58. *Calate Calatinus, Calacte Calactinus.* Ita Edd. et MSS.

vata i habent productam ante nus, ut mare marinus, Praeneste Praenestinus, Calate Calatinus, Calacte Calactinus. Et ab aliis, quae pares habent tam in nominativo quam in genitivo syllabas, Hercules Herculis Herculinus, Verres Verris Verrinus, collis collinus, follis follinus. In er quoque desinentia, si sint secundae declinationis, et in us, consonante antecedente ejusdem declinationis, exceptis in cus supra duas syllabas, vel in culus, de quibus paulo ante docuimus, et in ium propria, si faciant derivativa in us terminantia, i longam habebunt penultimam, ut Auster Austrinus, adulter adulterinus, macer macrinus, libertus libertinus, divus divinus, probus Probinus, rufus Rufinus, maximus Maximinus, Marcellus Marcellinus, carus Carinus, mancus Mancinus, Rhegium Rheginus, Venusium Venusinus, Signium Signinus, Perusium Perusinus, Opitergium Opiterginus, Canusium Canusinus. Excipiuntur 59
ab humo humanus, et mundo mundanus, et priscus Priscianus. Sed hoc magis a Priscio videtur esse derivatum. Nam quod a Taurominio Tauromitanus dicimus, sequimur Graecos, qui *Ταυρομενίτης* dicunt. Gentilia enim apud Graecos in *της* desinentia, mutata es in a, accipiunt nus, cum in hanc formam veniunt, *μητροπολίτης* Metropolitanus, *Νεαπολίτης* Neapolitanus. Item i servant omnia, quae a nominibus mutorum animalium, cujuscunque sint declinationis, derivantur in hanc formam, aper aprinus, caper caprinus, cervus cervinus, porcus porcinus, taurus taurinus, ferus vel fera ferinus, canis caninus, lepus leporis leporinus, lupus lupinus, formica formicinus. Plautus in Menaechmis:

Frl. 1. Heidelb. Dresd. Luth. MSS. Erl. 2. Lips. 1. 2. 3. unum tantum exhibent, *Calate Calatinus*.

faciant. Subjunctivum pro indicativo recepi e Codd. eo lubentius, cum sequens futurum ex usu Prisciani requirere illum videatur.

§. 60. *item i servant*. Editiones: *item i longam servant*. Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. Erl. 2. omittunt *longam*. Ex antecedentibus sequitur, de *i longa* sermonem esse: non opus est igitur, ut adjiciatur haec vox. MSS. Dresd. Lips. 2. 3 ponunt *longam* post *servant*, Erl. 1. ante *i*. Incerta vocis sedes ostendit, ab interpolatore additam esse. Edd. Ven. 1. 2. vulgatam praecunt.

Plautus in Menaechmis. Act. V. Sc. 5. vs. 11. (in Ed. Both. 787.) *Atque eccum incedit; move. eccum* tuentur MSS. Heidelb.

Atque eccum incedit! Move formicinum gradum. Hirundo hirundininus. Idem in Rudente: *Ad hirundininum nidum visa est simia, ascensionem ut faceret, adoririer.* Aquila aquilinus, mustela mustelinus, quamvis in a desinant. Leo leonis leoninus: ovinus quoque ab ove, et
60 suinus a sue. Nam ovilla et suilla diminutiva sunt. In nus enim desinentia vel in na vel in num, si faciunt diminutiva, abjecta n duas assumunt l, ut unus ullus, una ulla, unum ullum, bonus bellus, bona bella, bonum bellum, geminus gemellus, gemina gemella, geminum gemellum, vinum villum. Sic ergo suina suilla, ovina ovilla. Inveniuntur quaedam in tinus penultimam corripientia, sed quae a primitivis non habent t, ut diu diutinus, cras crastinus, horno hornotinus, prius vel priscus pristinus. Nam Constantinus et Clementinus a primitivorum genitivis habent t, et matutinus a Matuta, quae Aurora intelligitur. Mediastinus autem a medio stando vel tenendo componi videtur. Fiscina corripit penultimam, quomodo fuscina. Cur igitur piscina producit? Quia hoc sine dubio derivatum est a pisce:

Erl. 1. MSS. Erl. 2. Lips. 3. *haec dum.* MSS. Lips. 2. Zwicc. 2. Luth. *haec cum.* Pro *move* legitur vulgo *movet.* Equidem MSS. Heidelb. Erl. 1. Lips. 3. secutus genuinam restitui lectionem.

Idem in Rudente. Act. III. Sc. 1. vs. 12. Post *visa est* addunt MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Lips. 1. Erl. 1. 2. *mihi.* Pro *adoririer* legitur vulgo, *admolirier.* Equidem secutus MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. Erl. 2. Zwicc. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. *adoririer* restitui. MS. Dresd. *adhoriri.* MS. Lips. 2. *ascensione adorier* (e corr. *adoririer*). Erl. 1. *adorier.* Lips. 3. *hirundinum,* quod et Cod. Dresd. ante corr. exhibebat.

mustela mustelinus, quamvis in a desinant. Putschius cum caeteris edidit ita: *mustela mustelinus; quae quamvis in ea desinant, tamen non habent a ante nus.* Equidem primum *quae* ejeci, auctoritate MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. Deinde omisi *tamen — nus* Codices secutus Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. MS. Heidelb. *desinent.*

§. 60. *et matutinus.* Vulgo *ut.* Ego Codd. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. secutus *et* reposui.

ergo piscina producit. Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. *producitur.* Syllabam *ur* e perperam intellecto interrogandi signo additam esse docet MS. Heidelb. Quare lubenter secutus sum MSS. Zwicc. Erl. 1. Luth.

§. 61. *Sin autem in er desinentia tertiae sunt.* Pro *r* e Codd. Lips. 1. 2. restitui *er*, et MSS. Lips. 2. 3. Dresd. Heidelb. secutus *sunt* edidi pro *sint.*

fiscina autem a fisco. An fiscus a fiscina, an neutrum a neutro, dubium est. Nam nec fuscina a fusco, nec pagina a pago, nec Mutina a muto, nec Ariminum ab Arimo derivata, cum sint primitiva, penultimam corripuerunt. Sin autem in er desinentia tertiae sunt declinationis, vel in ius facientia genitivum, accepta nus ipse nominativus facit derivativum, ut pater paternus, mater maternus, frater fraternus, ver vernus. Acer quoque, de cujus declinatione dubitatur, aceris acernus facit. Alter alternus: illa scilicet observata regula, quam superius diximus in mutis animalibus: ideoque anser anserinus dicimus, passer passerinus. Ab adverbiis quoque venientia in ra desinentibus r habent ante mus, infra infernus, extra externus, supra supernus. Ab aliis quoque adverbiis temporalibus inveniuntur quaedam r ante nus habentia, ut noctu nocturnus, diu diurnus, heri, alternitatis causa, hesternus, semper sempiternus. In teria etiam desinentia similiter faciunt derivativa, Fabrateria Fabraternus, Sabrateria Sabraternus. Aetas quoque aeternus. Antiquissimi tamen

61

XI 62

---

acer quoque, de cujus declinatione dubitatur, acernus facit. Hunc locum ita exhibent Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch.: *acer quoque arbor, de cujus declinatione dubitatur, cujus genitivus aceris, quod Solinus protulit in memorabilibus, acernus facit.* Equidem omnia, quae praeter recepta verba in Codd. vel Edd. adjiciuntur, e glossemate nata esse puto. In MS. Heidelb. legitur hic locus ita, ut a me editus est, nisi quod ab alia manu in margine haec adduntur: *arbos quod solinus protulit in memorabilibus.* Codd. variant in his ita, ut evinde quoque appareat, glossatori haec deberi. Plurimi omittunt *arbor*; alii *arbor* post *acer quoque*, alii *arbos* post *dubitatur* ponunt. *cujus genitivus* omittunt omnes. MSS. Dresd. Zwicc. Luth. Lips. 3. Erl. 1. Lips. 1. 2. pro eo exhibent *hujus aceris.* Erl. 2. *arbos, haec acer hujus aceris. quoque* post *Solinus* omittunt omnes. Edd. Ven. 1. 2. hunc locum ita proferunt: *acer quoque, de cujus declinatione dubitatur, acer, acri et acer aceris. Arbor hujus aceris, quod Solinus quoque protulit in memorabilibus.* Equidem non possum, quin statuam, ex loco, qui de declinatione hujus nominis agit, huc illa translata et textui adscripta esse.

alter alternus. Minus recte Codd. Zwicc. 2. Dresd. inserunt *alterius*; genitivus enim hoc quidem loco non curatur.

§. 62. *Sabrateria Sabraternus.* Vulgo *Sabateria Sabaternus*, quam scripturam falsam esse docent MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2 Lips. 1. 2. Erl. 2. Edd. Ven. 1. 2. MSS. Erl. 1. Dresd. omiserunt.

Antiquissimi. Ita MSS. Heidelb. Dresd. Zwicc. 1. aliique pro

aevitas et aeviternus dicebant ab aevo. Unde Varro in Pseudaenea: *Per aeviternam hominum domum, tellurem propero gradum.* Vetus praeterea veternus facit non solum veteranus, sed diversas habent significationes. Quercus etiam quernus, corylus colurnus, tacitus taciturnus, mensis mensurnus. Sic enim Cicero posuit pro menstruus in primo Rhetoricorum: *Pars quaedam aeternitatis cum alicujus annui, mensurni, diurni, nocturnive spatii certa significatione.* Ab hieme quoque vel imbre hibernus fit. In ia desinentia, n antecedente, mutant ia in us, et hujuscemodi formae faciunt derivativa, a primitivis tamen habentia n, ut Hispania Hispanus, Lavinia Lavinus, Hircania Hircanus, Mauritania Mauritanus, Campania Campanus. Dardanus vero proprium est, et primitivum, ideoque a correptam habet: abusive tamen poetae pro Dardanio ponunt Dardanum. Si vero ante ia aliam quam n habuerint consonantem, i longam habent ab eis derivata ante nus, ut Luceria Lucerinus, Nuceria Nucerinus, Placentia Placentinus, Ana-
63 gnia quoque, quia g ante n habet, Anagninus. Similiter Alexandria Alexandrinus, Numantia Numantinus, Aricia Aricinus: quae vero apud Graecos a nominibus urbium derivata in *της* desinunt, ea apud Latinos in tanus plerunque efferuntur, sicut supra diximus, ut *Νεαπολίτης*

---

antiqui, quod libri editi exhibent. Equidem falsum hoc puto, quia Ciceronem Noster illiusque aequales antiquos dicit. Iam vero Ciceronis aetate, praeter illos, qui antiqua et obsoleta verba captarent, nemo facile fuit, qui *aeviternus* diceret.

Pseudaenea. Vulgo, *Pseudonea.* Codd. variant. Nos Erl. 2. secuti sumus, qui habet *Pseudenea.* Erl. 1. *Pseudo aenea.* Dresd. *Seudoneam.* Lips. 2. *pseudoena.* Lips. 1. *seute denea*, cui voci superscriptum est *speudonea.* Lips. 3. *speudemona.* MS. Heidelb. et Edd. Ven. 1. 2. *pseudena.*

In primo Rhetoricorum (cap. 26.). Sic MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Heidelb. Vulgo, *de inventione rhetorica.*

nocturnive spatii. Ita unius MS. Lips. 2. auctoritate edidimus. Reliqui ad unum omnes pro *ve spatii* exhibent *vespertini.* Sic et Edd. Ven. 1. 2. Haec igitur lectio gravissimorum testium auctoritate confirmatur. Non nego, perquam invitum me unius Cod. Lipsiensis 2. auctoritate obstitisse Codd. Lutherii, Zwicc. Lips. 1. Heidelb. et Erl. 2. gravitati. Nec, id ut facerem, compelli potuissem, nisi lectio *vespertini* sensu com-

Neapolitanus, *Τριπολίτης* Tripolitanus. Similiter a Caralibus Caralitanus, a Salapia Salapitanus, a Gadibus Gaditanus, a Taurominio Tauromínitanus, a Cephaledio Cephaleditanus, a Drepano Drepanitanus. Gnus quoque vel gna vel gnum terminantia longam habent vocalem penultimam, ut a regno regnum, a sto stagnum, a bene benignus, a male malignus, abiegnus, privignus, Pelignus. Inveniuntur tamen auctoritate veterum, vel euphoniae causa, et maxime in propriis, quaedam non servantia supradictas regulas, ut Ligus Liguris Liguri-nus, non Ligurianus, censor censoris Censorinus, non Censorianus. Quamvis igitur, sicut ostendimus, diver- 64
sas habeant significationes supradictae formae nomina, tamen, quia maxima pars eorum apud Latinos possessivorum habent demonstrationem, ideo haec quoque inter possessivorum species posuimus: et sciendum, quod etiam in is et er terminantium derivativorum multa inveniuntur significationis possessivae apud nos, ut civilis, hostilis, caelestis, lunaris, castrensis, equester, pedester, paluster: quorum quia diversae et variae sunt formae et significationes, postea eas cum reliquis speciebus denominativorum per ordinem tractabimus. Nunc de comparativo videamus.

---

modo plane destitui videretur. Ald. *vespacii*. Libri Cic. editi *ve spatii*. Notat tamen Ernest. in MS. Cass. *vespertini*. Oblitus tamen est vir occupatissimus addere, utrum pro *ve spatii* positum an his interpositum sit. Sed multo magis mireris, ipsos Cic. libros ita legere; qua re hoc certe efficitur, ut haec lectio non sit vel ex errore Prisciani vel ex glossemate orta, sed profecto habeat, quo nitatur.

§. 63 *quae vero apud Graecos*. Quod libri editi his subjiciunt verbum substantivum *sunt*, Codicum auctoritate omisi.

abiegnus. Omisi Codd. auctoritate *ab abiete*, quod libri editi ante *abiegnus* ponunt.

§. 64. *habent*. Sic Codd. Vulgo *habet*. Mox omisi praepositionem *in* ante *er terminantium* Codd. jussu.

LIBER TERTIVS.

1 Comparativum est, quod cum positivi intellectu, vel
1 cum aliquo participe sensus positivi, magis, adverbium, significat: ut fortior, magis fortis; sapientior, magis sapiens; ulterior, magis ultra, quam ille, qui ultra est; interior, magis intra, quam ille, qui intus est. Hae autem comparationes, quae ad personas vel res, participes positivi fiunt, nascuntur a dictionibus carentibus casu, id est a verbis, ut detero deteris deterior, et ab adverbiis sive praepositionibus, ut extra exterior, intra interior, ultra ulterior, citra citerior, supra superior, infra inferior: nam superus et inferus, quamvis videantur eorum, id est superioris et inferioris esse positiva, tamen in usu superi pro caelestibus sive vivis, inferi autem pro manibus, accipi solent. Adeo autem non ad ipsa adverbia, sed ad personas vel res participes adverbiorum, hujuscemodi fiunt comparationes, quod na-

§. 3. *Plautus in Poenulo.* Act. V. Sc. 2. vs. 32. *Nullus me est hodie Punus Punior.* Putschius cum Ald. Bas. Colon. edidit ita: *Quin nullus est me Punus punior.* Receptam lectionem praestant MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Dresd. nisi quod in hoc litera ẽ, qua tertia persona verbi substantivi indicari solet, a librariis rasura deleta est.

Plautus in Trinummo. Act. IV. Sc. 2. vs. 146. *Ergo ipsus est.* Putschius edidit *ergon' ipsus es*, nescio qua auctoritate, nisi Priscianum ex ipsis Plauti libris correxit, quod temere fit. Scio ego etiam, *es* scribendum fuisse; an vero Priscianus vere scripserit, id haud scio. Codd. Luth. Heidelb. Dresd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. consentiunt in voce *est.* Item *ergo* pro *ergon'* iidem tuentur. *ab' hinc ab.* Putschius

scuntur ex his ipsis adverbia comparativa, quae cum magis ipsum positivum adverbium significant, ut ulterius magis ultra, citerius magis citra, exterius magis extra, sic et similia. Derivantur igitur comparativa a no- 2
minibus adjectivis, quae sumuntur ex accidentibus substantiae nominum. Accidentia autem sunt, quae ex qualitate vel quantitate animi vel corporis, vel extrinsecus forte evenientium trahuntur, quae possunt incrementa vel diminutiones accipere, per quae comparatio nascitur, sine quibus substantia intelligi potest, ea vero, nisi prior illa substantia intelligatur, esse non possunt. Si enim dicam homo vel lapis, substantiam demonstravi, cujus significatio nec augeri potest, nec minui: sin aliquod accidens homini vel lapidi proferam, tunc habet locum comparatio, ut homo prudens et prudentior, lapis niger et nigrior. Quamvis enim non sit prudens, potest homo intelligi, et lapis quamvis non sit niger, intelligitur lapis. Itaque adjectiva jure sunt appellata, 3
quia illis nominibus, quae substantiam demonstrant, adjiciuntur. Quamvis antiqui etiam in quibusdam gentilibus comparativis usi sunt, ut Punus punior. Plautus in Poenulo: *Nullus me est hodie Punus punior.* Et superlativis etiam in pronominibus, ut idem Plautus in Trinummo: *Ergo ipsus est? Ipsissimus! Ab' hinc ab oculis.* Fiunt autem comparativa a nominibus, verbis, participiis, ab adverbiis sive praepositionibus. A nominibus, ut clarus clarior, felix felicior. A verbis, detero deteris deterior, potior potiris, hic et haec potior et hoc potius potioris. Possumus tamen hoc etiam a no- 4

---

abi, quod Codices mei omnes damnant, receptum *ab* praestantes.

verbis, participiis. Singulis his dictionibus vulgo praeponunt singulas praepositiones *a*. Nos MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips 1. 2. Erl. 2. secuti delevimus. Zwicc. 1. sequens etiam *ab* omisit.

hoc potius potioris. Additur in libris editis *potissimus*. Sunt etiam Codd., qui hunc referant superlativum, inter quos Heidelb. Tamen delevi, quia in Codd. Dresd. Zwicc. Luth. non reperitur. Erl. 2. omisit *potior*, supra scriptum tamen ab alia manu habet. Nec tamen sola Codicum auctoritate commotus sum, ut *potissimum* omitterem, sed hac etiam ratione, quod hoc loco non de superlativo, sed de comparativo agitur, et sequens Terentii locus, tantum ut diversa significatio demonstretur, allegatur a Nostro.

mine potis accipere, quamvis significatio alia esse videatur, unde Terentius in Phormione: *Ubi tu dubites, quid sumas potissimum*, pro optimum. A participiis, indulgens indulgentior, amans amantior. Sed quando comparantur participia, transeunt in nominum significationem. Ab adverbiis sive praepositionibus, ut extra exterior, intra interior, ultra ulterior, citra citerior. Et sciendum, quod localia sunt haec adverbia sive praepositiones, ex quibus comparativa nascuntur nomina, et paene haec: extra exterior, intra interior, ultra ulterior, citra citerior: vetustissimi tamen etiam citer protulisse inveniuntur. Cato de agna pascenda: *Citer ager allegatus ad sacra erit.* Citimus quoque dicebant teste Capro. Exter quoque invenitur, ut Statius in XI. Thebaidos: *Sed quid apud tales, quis nec sua pignora curae?*

---

§. 4. *esse videatur.* Vulgo, *videatur esse.* Nos Codd. secuti sumus. MSS. Dresd. Erl. 1. (addito *ut*) 2. Lips. 2. post haec addunt, *potis potior potissimus* pro *optimus.* Lips. 1. in margine exhibet. Lips. 3. omittit *optimus.* Equidem glossematis loco habui.

unde Ter. in Phorm. Act. II. Sc. 2. vs. 29. Pro *unde* legitur vulgo *ut.* Codices sic, uti edidimus.

et paene haec. Putschius cum caeteris Edit. adjecit *sunt.* Codd. Heidelb. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. auctoritate exterminavi.

Citer ager allegatus ad sacra erit. Hic locus, qui a Nostro infra iterum Lib. XIV. §. 33. adducitur, varie in Edd. et Codd. scriptus legitur. Nam hoc quidem, quem nunc tractamus, loco *ager*, infra autem *agnus* exhibent Edd. Ven. Bas. Ald. Colon. et, quod mireris, Putsch. Codices tamen plerique sibi constant, nisi correctione aperta vel rasura vel litura corrupti. Major igitur Codicum pars *ager* tuetur. Lips. 2. nunc quidem *agnus*, infra *ager* praestat. Erl. 2. contra hoc, de quo agitur, loco *ager*, illic, e correctione tamen aperta, *agnus* refert. Ita et Lips. 1. et Dresd. Hic tamen infra litura minime dubia laborat. Maximae auctoritatis Codices Luth. et Heidelb. egregie sibi constant. Accedit, quod et Ger. Io. Vossius de Arte Gr. Lib. IV. Cap. 25. p. 256. a. receptam lectionem sine ulla haesitatione in medium affert, bonaeque notae Codicibus Vir magnus usum se esse testatur. Quae cum ita sint, dubitari nullo modo posse existimo, quin *ager* vera sit lectio. Sed huic voci sequens *alligatus* quomodo conveniat, equidem non video. Agnum *alligatum* dici non mirarer, at *agrum.* Ergo recepi lectionem Codd. Heidelb. et Lutherii, qui pro vulg. *alligatus* praestant *allegatus.* Hoc enim verbum hanc vim habere puto, ut idem significet, quod *lege constitutus, destinatus publice.* Iam vero

exter honos? Ex quo Virgilius in IV. Aeneidos: *Et nos fas extera quaerere regna.* Supra superior, infra inferior, post posterior, prope propior, ante anterior, penitus penitior. Apulejus in I. Hermagorae: *Visus est ei adulescens honesta forma, quasi ad nuptias exornatus, trahere se in penitiorem partem domus.* Fit autem comparatio vel ad unum vel ad plures tam sui generis quam alieni: quamvis Graeci, honoris causa suae gentis [magis], quam ratione veritatis, dicunt, non posse ad multos sui generis fieri comparationem. Alii autem dicunt, hanc esse rationem, propter quam non utuntur tali comparatione, quod, cum ad plures sui generis fit comparatio, superlativo possumus uti, ut fortissimus Graecorum Achilles, sed superlativus multo alios excellere significat, comparativus vero potest et parvo superantem

---

verba Catonis allegata hunc sensum habere videntur: *ager, qui citra est, sacrorum sumtus praebebit*, pabulo, nisi fallor, victimis alendis praebendo.

Statius in XI. Theb. vs. 435. 34. *Sed quid apud tales.* Sic Codd. et Edd. Statii libri editi nonnulli *quis* pro *quid*. *Quis nec sua pignora curae.* Vulgo, *quae non sua pignora curae.* Codd. variant. MS. Zwicc. 1. *qui* pro *quae*. Zwicc. 2. Erl. 2. Lips. 2. *quis*. Erl. 1. *nec quis*. Dresd. *tales nec*, omisso *quis* vel *quae*. Lips. 1. *quod* e corr. pro *quid;* super *nec* ab alia, ut videtur, manu positum est *quid*. Idem pro *curae* habuit *curae*. Nam super *a* scriptum ab correctore est *u*. *Nec* pro *non* omnes exhibent Codices. MS. Lips. 3. *quis nec sua*. Edd. Ven. 1. 2. *ne quis*.

Virg. in IV. Aen. vs. 350. Unus meorum *fuc* pro *fas*. Alius *extra* pro *extera*.

Visus est ei adolescens. MS. Heidelb. omisit *est*. Nonnulli Codd. pro *ei* habent *et*. Erl. 1. *adhulescens*. Heidelb. *adulescens*, quod recepi. Mox pro *in* Cod. Dresd. *ad*. Lips. 1. *trahesere*, e corr. laudabili *trahere se*.

§. 5. *honoris causa suae gentis magis, quam ratione.* Illud *magis* mihi suspectum est, nec tamen, cum Codicum auctoritate defendatur, tentare ausus sum. Certe in Codd. locum certum non habet. Nonnulli tamen, bini scilicet Erlangenses, Lips. 3. Edd. Ven. 1. 2., vulgatam tuentur. In Lips. 1. ab alia manu supra scriptum legitur. In Cod. Dresd. *magis* post *honoris* legitur. In Lips. 2. post *Graeci*. In MS. Heidelb. a correctore supra ad *Graeci* scriptum est. Notandum, *quam* significare apud Nostrum *et non*.

dicunt. Ita Codd. optimi. Edd. praeter Ven. 1. 2. *dicant*.

Graecorum. MSS. Luth. Lips. 2. *Grajorum*.

potest et parvo. MSS. Zwicc. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. *et* pro *etiam*.

demonstrare. Unde etiam diminutionem apud nos jure accipit, majusculus, minusculus, tardiusculus. Quid autem? quod accidit inter tres, vel quatuor, vel plures, non tamen ad totum genus fieri comparationem, et necesse est uti plurali suorum? ut si dicam: fortissimi fuerunt Graecorum Aiax, Diomedes, Agamemnon, Ulixes, omnibus tamen his fortior fuit Achilles. Virgilius in I. Aeneidos: *Pygmalion scelere ante alios immanior omnes,* ad omnes scleratos conferens Pygmalionem, comparativo est usus. Statius in VIII. *Et melior sis quae-*
6 *so deis,* Amphiaraus dicit ad Plutonem. Sunt igitur quae comparari possunt nomina vel secundae vel tertiae declinationis: et si sint secundae, mobilia sunt, id est, in a faciunt foeminina, et in um neutra, et vel in er, vel in us desinunt, et assumentia genitivo or faciunt comparativa, correpta tamen penultima i, ut tener teneri tenerior, niger nigri nigrior, clarus clari clarior, doctus docti doctior. Notandum tamen, quod sinisterior quasi a genitivo sinisteri videtur esse factum, cum in usu sinistri ubique reperiatur. Inveniuntur quaedam, quae quamvis sint accidentia, id est adjectiva, et eorum significatio exigat, ut faciant comparativa, tamen non ha-
7 bentur in usu frequenti. Sunt autem ea plerunque,

Quid autem? Plurimi Codd., nec ii pessimi, adjiciunt *est;* alii post *autem,* alii post *quid.*

uti plurali. Vulgo additum legitur *numero.* Omittunt MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Erl. 1. Erl. 2. *numero* punctis suppositis ut spurium notat.

Ulixes. Vulgo *Ulysses.* Codices mei omnes, ut edendum curavi. Sequens locus Virg. est Aen. Lib. I. versus 347.

Statius in VIII. est versus 120.

§. 6. *et vel in er vel in us desinunt.* Sic scripsi e Codd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Luth. Erl. 2. Heidelb. Vulgo, *vel in er et in us.* Edd. Ven. 1. 2. omittunt *vel,* exprimunt tamen *et.*

Notandum tamen. E Cod. Zwicc. 1. recepi *tamen,* quod in libris editis desideratur. Omisi autem, quod hi ponunt, *est.*

a genitivo sinisteri videtur. MSS. Lips. 2. Luth. Heidelb. *videatur.*

quaedam, quae quamvis. Omittit Lips. 1. *quae.* et mox pro *habentur* Lips. 1. 2. *habet.*

§. 7. *strenuus.* In libris editis haec addita reperiuntur: *Plerunque dixi, quia sunt anomala, quae non servant in comparativis regulam.* Eliminavi haec, quia pro glossemate importuno et maxime supervacaneo habeo. Primum enim voci *plerunque* substernitur vis, quam non habet. Deinde turbat nexum. Nam locus Plautinus nullo pacto separari debet a

quae vocales ante us habent, ut pius, arduus, egregius, dubius, strenuus: quamvis Plautus ex eo comparativum protulit strenuior in Epidico: *Nam strenuiori deterior si praedicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidae.* Et puto, hanc esse rationem, quod oportet comparativum una syllaba vincere genitivum positivi, nisi sint anomala, ut teneri tenerior, docti doctior. Si ergo haec, quae ante us vocalem habent, assumant genitivo or, necesse est inter duas vocales positam i transire in vim consonantis, quod in Latinis dictionibus semper fere patitur, cum inter duas vocales invenitur vim suam servantes. Hoc autem ideo dixi, quod u post q vel post g posita saepe ante i hoc non facit, quippe amittens vim suam, ut nequior, pinguior, quod nisi fiat, contingit, si in consonantem transeat i, pares esse syllabas genitivo positivi cum nominativo comparativi, vel hiatum intolerabilem fieri, tribus vocalibus per tres syllabas continue positis nulla consonante media, si dicamus pior, arduior: quod ne fiat, non sunt usi eorum comparativis. Plerique assumunt igitur magis adverbium, et usum 8
comparativi complent, ut magis pius hic quam ille. Vetustissimi tamen hujuscemodi comparativis est quando sunt usi. Cato dixit: *Quod iter longius arduiusque*

---

strenuus. Tum vero equidem non intelligo, quomodo sententia a glossatore proposita cum iis conciliari possit, quae mox auctor ipse inde a verbis *et puto hanc* cet. Denique expuli haec, quod sedem incertam in MSS. habent. Nam Cod. Lips. 2. Erl. 2. post locum Plautinum ea adeunt. Postremum Cod. Erl. 2. uncis inclusit, quod facere solet, ubi spuria declarari vult. MSS. Lips. 1. Heidelb. *et anomola.*

Plautus in Epidico. v. Ind. *de illius ore fiunt sordidae.* MS. Erl. 2. *de illius ore illae fiunt sordidae.* MSS. Lips. 2. Erl. 1. Zwicc. Heidelb. Dresd. Luth. Lips. 1. omittunt *ore*, nisi quod in his ab interpolatore, ut videtur, supra scriptum legitur. Quae cum ita sint, omittenda vox erat. Retinui tamen, cum quod vix abesse possit, deinde quod a MS. Erl. 2., optimo illo, exhibetur.

quippe amittens. Hanc lectionem praestant MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Luth. Dresd. Heidelb. pro *amittit*, quod vulgati libri ostentant. Mox *si dicamus* eorundem Codicum manuscriptorum auctoritate reposui pro, *ut si dicamus.*

§. 8. *Vetustissimi tamen hujuscemodi comparativis est quando sunt usi* Variant in his exprimendis libri tam scripti quam editi. Erl. 2. omittit *est quando.* Item Edd. Ven. 1. 2. MS. Lips. 1. ponit haec post *usi.* MS. Dresd. et Edd. Ald. Bas

erat a curia. Idem ad populum de triumpho: *asperrimo atque arduissimo aditu.* Pacuvius in Medo: *Mulier egregiissima forma.* Iuvenalis in quarto: *Egregius coenat meliusque miserrimus horum,* pro egregiius. M. Cato in oratione, ne quis iterum consul fiat: *Imperator laudem capit, exercitum industriorem facit.* C. Gracchus contra Quintum Aemilium Tuberonem: *Utrum inimicorum meorum factio, an magis sollicitudo te impulit, ut in me industriior sis, quam in te.* Idem Cato de Ptolomaeo minore, de Thermi quaestione: *Quantoque suam vitam superiorem atque ampliorem, atque antiquiorem animum inducent esse quam innoxiiorem.* Idem Cato de Macedonia liberanda: *Idque perpetuius atque firmius repsit.* Idem in Thermum: *Sed a benefactis ab optimis artibus fugit maxima fugella perpetuissimo curriculo.* Lucilius in XVI. ad Fundium: *Fundi delectat virtus te,*
II *villicus paulo strenuior si evaseris.* Sunt autem et alia
9

Colon. *tamen ejusmodi comparativis etiam.* Equidem hoc *etiam* auctoritate Cod. Lips. 2. omisi. Post *usi* legitur in Edd. plerisque *ut arduior arduius.* Haec a glossatore inserta esse videntur. Absunt enim a MSS. Luth. Lips. 1. Zwicc. 2. Erl. 2. Lips. 2. Edd. Ven. 1. 2. His auctoritatibus commotus expunxi.

asperrimo atque arduissimo aditu. MS. Dresd. ignorat priorem vocem et pro *arduissimo* scripsit *induissimo.* Idem MS. deinde addit haec: *Similiter invenimus et apud alios auctores hujuscemodi vel superlativa, ut egregiissima mulier, perpetuus perpetuissimus, strenuior.*

Pacuvius in Medo. Sic pro *Medea* edidi e MSS. Luth. Heidelb. MSS. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. *in medio.* Non numerandae ergo, sed ponderandae auctoritates.

Iuvenalis in IV. Sat. XI. vs. 12. Pro IV. MS. Dresd. III.

exercitum industriorem facit. Sic unius Cod. Erl. 2. auctoritate edidi. Vulgo, *meliorem et industriorem.* At vero cum in MSS. Heidelb. Erl. 1. Lips. 1. 2. 3. vox *et* omissa sit, *meliorem* glossema esse videtur.

contra Quintum Aemilium Tuberonem. Nomen Quinti unius Cod. Erl. 2. auctoritate praefixi. Plerique *contraque*, ita tamen, ut vox *que* scripturae compendio sola litera *q* prolata sit. Ita MSS. Dresd. Erl. 1. Heidelb. Lips. 1. 2. MS. Lips. 3. *contra quem.* In MS. Luth. *q* erasum est. Si emendare liceret Codices vel Priscianum etiam ipsum, scribendum esset *Aelius.* cf. Cic. Brut. 31. *Tubero.* Codd. *tybero.* Erl. 2. *tibero.* Hanc scripturam propterea notavi, quod ex ea etiam apparet, vocales *u* et *i* sono in pronunciatione affines fuisse.

sollicitudo. Vulgo, *solitudo patriae.* Vox *patriae* omittitur a

in us terminantia, ex quibus comparativa supradictam regulam non servant, et dicuntur inaequalia, quorum quaedam habent i brevem vocalem ante or, sicut alia quaedam eandem i loco consonantis: quaedam vero consonantem, ut bonus melior, juvenis junior pro juvenior, magnus major, malus pejor, parvus minor. Plus quoque videtur comparativum esse multi, sed singularis nominativus non invenitur nisi neutri generis, pluralis vero etiam communis, ut hi et hae plures, et haec plura. Antiqui tamen etiam pluria dicebant, unde Terentius in Phormione: *compluria*. Superlativus tamen ab hoc ipso omnium generum iuvenitur, plurimus plurima plurimum. Quae vero tertiae declinationis nomina faciunt comparativa, vel communia sunt in is desinentia, et faciunt neutra in e; vel in er sunt masculina facientia in is foeminina, et in e neutra, vel in er, es, ns, rs, x, communia trium generum, assumunt or dati-

---

MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. In MSS. Dresd. Erl. 1. pro *patriae* reperitur *patria*. Pro *solitudo* scribi jussi *sollicitudo* Codd. Erl. 1. 2. Lips. 2. 3. auctoritate. Ed. Ald. *sollitudo*. *Sollicitudo* h. l. curam honestam, *σιφωνικῶς* tamen, significare videtur. Illud tamen quaeritur, an non *factio* et *solitudo* invicem sibi opponantur.

a bene factis ab optimis artibus. Vulgo, *atque ab optimis*. MSS. Zwicc. Lips. 1. 2. 3. Luth. Dresd. Erl. deleri jubent *atque*, quod concitatiori orationi accommodatissimum esse videtur.

maxima fugella. In Edd. Ven. 1. 2. Ald. Colon. Bas. legitur *maxima flagella*. Quid sibi velit haec vox, equidem ignoro. Correxit jam Putsch. eamque, quam nos dedimus, recepit lectionem. Ger. Io. Vossius scripsit *fugela* Inst. Gr. IV, 27. p. 258. a. In Codd. Erl. 1. 2. Dresd. (e corr.) *flagella*, in MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Heidelb. *fugella*. In Lips. 3. *quam maxima*, quod dedit Putsch.

Lucil. XII. ad Fundium. Cod. Heidelb. *XVI*. MSS. Dresd. Lips. 3. Erl. 1. *Fundidum*. Pro *villicus* MS. Dresd. *villicujus*, Lips. 1. 2. Heidelb. Erl. 2. *vilicus*. Lips. 3. *remotus*. Edd. Ven. 1. 2. *evaseris*. Cf. Ger. Io. Vossii Inst. Gr. I. l. p. 258. *Fundi delectat virtus te, villicu' paulo strenuior si evaseris*. Pro *evaserit*, ut in Putsch. editione et in fragmentis a Dousa editis legitur, rescripsi *evaseris* secutus cum nostras Prisciani membranas tum veterem editionem Venetam.

§. 9. *pluralis vero etiam communis.* Sic Codd. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Vulgo *pluralis vero invenitur etiam*.

§. 10. *et faciunt neutra in e.* Ita Codd. Vulgo, *neutrum*. *communia trium generum.* Sic MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2.

vo correpta i penultima, et faciunt comparativum, ut hic et haec fortis et hoc forte, huic forti, hic et haec fortior et hoc fortius; hic acer et haec acris et hoc acre, huic acri, hic et haec acrior et hoc acrius; hic et haec et hoc pauper, et huic pauperi, hic et haec pauperior et hoc pauperius; hic et haec et hoc locuples, huic locupleti, hic et haec locupletior et hoc locupletius; hic et haec et hoc sapiens, huic sapienti, hic et haec sapientior et hoc sapientius; hic et haec et hoc iners, huic inerti, hic et haec inertior et hoc inertius; hic et haec et hoc audax, huic audaci, hic et haec audacior et hoc
11 audacius. Et sciendum, quod omnia in or desinentia
c. comparativa communis sunt generis, et mutantia or in us faciunt neutrum, excepto uno: quod solum cum sit a positivo, quantum ad suam vocem fixo, servavit ejus genus, hic senex, huic seni, hic senior: quamvis hoc quoque vetustissimi commune accipientes, hic et haec senex proferebant. Pomponius in epigrammate, quod M. Varro in libris qui sunt de Lingua Latina refert: *Tua amica senex est.* Invenitur etiam a nequam, quod est indeclinabile trium generum, tam comparativum quam superlativum, ut nequam nequior nequissimus. Ab adverbiis vero derivata in ra desinentibus mutant ra in er, et accepta ior faciunt comparativum, ut extra exterior, intra interior, ultra ulterior, citra citerior, infra inferior, supra superior. Similiter in erior faciunt post et ante, posterior et anterior: prope vero propior facit,
12 et detero deterior. A saepe adverbio positivum vel comparativum nomen non legi, superlativum posuit Cato Nepos de actionibus ad populum, ne lex sua abrogetur: *Facite vobis in mentem veniat, Quirites, ex aere alieno in hac civitate et in aliis omnibus propter diem atque foenus saepissimam discordiam fuisse.* Prior et primus, quaeritur, an sit comparativus et superlativus: et di-

---

Erl. 2. In libris editis: *duum vel trium generum sunt communia et assumunt* rel. *or dativo* scripsi Codices secutus pro *in dativo.*

§. 11. *Et sciendum.* Sic Codd. Vulgo, *et sciendum est.* Mox pro *neutra* scripsi e Cod. Zwicc. 1. et aliis *neutrum.*

Faciunt post et ante. Vulgo, *post et ante faciunt comparativum.* Omisi ultimam vocem et transposui priora Codd. Luth. Erl. 1. Lips. 2. Erl. 2. Lips. 1. auctoritate.

cunt quidam, quod, cum ordinis sint, differentiam numeri significant: sicut enim alter de duobus, et alius de multis dicitur, sic prior de duobus, et primus de multis solet dici. Invenitur tamen saepe prior pro melior positum, et tunc sine dubio habet vim comparativi: et primus pro optimus, et tunc superlativi significationem obtinet. Virgilius in VIII. *Et primos juvenum tot miserit Orco*, primos posuit pro optimos. Quidam autem 13
non absurde confirmant, quod in numeris quoque potest prior esse comparativus, unde ablativo jungitur, et primus superlativus, cum ad multos comparatur, et semper genitivum sequitur: et quod prior, sicut omnes comparativi, vel ad sui generis, vel ad alieni aliquem comparatur etiam, cum numerum significat, ut prior Turnus quam Aeneas movit bellum; primus autem, sicut omnes superlativi, ad multos sui generis conjungitur, ut Virgilius in II. Aen. *Primus se, Danaum magna comitante caterva, Androgeos offert nobis.* Et, quod omnibus est rationabilius, in or desinens commune, in us facit neutrum, quod in nullis aliis nisi in comparativis invenitur; et videtur a pridem adverbio nasci, quod abjecta dem accipit or, et facit comparativum prior, sed i corripuit, quia in nullo comparativo i ante or produci potest. In superlativo vero servavit productionem accepta mus primus; ex quo aliud adverbium nascitur *primo*, vel prime, unde Terentius in Andria compositum dixit: *Adprime in vita esse utile.* Magnifi- 14
centior, et magnificentissimus, et munificentior, et munificentissimus, cum videantur a positivo magnificens et munificens derivari, ut eminens eminentior eminentissimus, haec in usu non sunt, sed pro his magnificus et munificus, ex quibus comparativum vel superlativum, et ex similibus secundum praedictam regulam derivari invenio apud vetustissimos. M. Cato contra Ther-

---

§. 12. *Cato Nepos de actionibus ad populum.* Pro *ad* Codd. Dresd. Lips. 3. *apud* populum. Cum his Codd. consentiunt Edd. Ven. 1. 2. Nos vulgatam gravissimorum Codicum auctoritate et usu loquendi confirmatam retinuimus. Virgilii locus est Aen. IX, 785. Vulgo *VIII.* Heidelb. verum exhibet numerum.

§. 13. *ut Virg. in II. Aen.* E Codd. ego adjeci *ut* et *Aen.* Est versus 570. Locus Terentii ex Andria reperitur Act. I. Sc. 1. v. 34. *Adprime* e Codd. edidi pro *apprime.*

mum: *De Ptolomaeo rege optimo atque beneficissimo.* Terentius in Phormione: *Quidnam arbitrare nescio, at qui mirificissimus.* Attius in IX. Didascalion: *magnificissimi excelsissimi honore.* Cum igitur comparativa proprie ad positivum fieri soleant, invenitur tamen saepe comparativus pro positivo per se positus, ut Virgilius in V. Aeneidos: *Comites senioris Acestae*, pro senis. Est quando pro positivo positus comparativus minus significat, et nulli comparatur, ut: *Tristior atque oculos lacrimis suffusa nitentes.* Tristior enim hic ex parte tristis significat. Et: *Iam senior, sed cruda deo viridisque senectus.* Est quando ad contraria comparatur, et minus positivo significat, ut, mare Ponticum dulcius est quam caetera. Hic enim non ad dulcia, sed amara facta comparatione, ostendit, parvum aliquid dulcedinis

---

§. 14. *De Ptolomaeo rege optimo atque beneficissimo.* Pro *atque* libri editi *et*. Nos Codd. Luth. Erl. 2. Lips. 1. 3. Heidelb. lectionem recepimus, cui et Ger. Io. Vossius l. l, p. 255. a. calculum suum adjecit. Edd. Ven. 1. 2. pro *Thermum* paulo ante legunt *Herinium*. Sequens locus Terentii invenitur in Act. V. Sc. VI. vs. 31.

Attius in IX. Didascalion. Libri editi: *Accius in XI. Διδασκαλικῶν.* Primum notandum est, nullum meorum Codicum nomen auctoris ita scriptum referre, ut edendum curavimus. Scribunt vel *Accius* vel *Actius*. Numerus autem libri, cujus allegatur locus, e Codd. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Heidelb. sumptus. Hi enim librum nonum referunt. Nomen operis, quod latinis literis expressi, suppeditaverunt MSS. Lips. 1. 2. Zwicc. 1. Erl. 2. Dresd. Luth. MS. Heidelb. *didascalicon*. Dignae sunt, quae ad hunc locum conferantur, doctae Friderici Osanni, Viri clarissimi, disputationes de Attio vel Atejo, quas inseruit Analectis Criticis Berol. 1816. p. 62 seqq.

magnificissimi excelsissimi honore. Libri et scripti et editi valde inter se discrepant. Edd. Ven. 1. 2. *et magnificissime excellentissimeque honore*; quam lectionem Ger. Io. Vossius l. l. approbat. Ald. Colon. Bas. *et magnificissime excellissimeque obnoxe*, quae lectio nec Codicum auctoritate defenditur, nec sensum fundit. Putsch. priora retinens, pro *obnoxe* scripsit *honore*. Cod. Dresd. *et magnificissime excellissime, excellentissimique honore*. MSS. Zwicc. Luth. consentiunt cum Dresd. praeterquam quod vocem non geminant. MS. Lips. 2. *Magnificissime excellentissimeque honore*. Erl. 1. *et — excellissimeque honore*. Erl. 2. *et — et excellentissime excellentissimique honore*. MS. Lips. 3. *excelsissime excelsissimeque honore*. MS. Heidelb. *excellissime excellissimique*. Lips. 1. *magnificissimi, excelsissimi honore*. Ego hujus Codi-

quam cetera habere Ponticum mare. Est quando superlativo comparativus comparatur, ut Achilles fortissimo Trojanorum Hectore fortior fuit. Est quando comparativus ad comparativum comparatur, ut fortior Achilles Hectore, fortiore Patroclo. Homerus in Alpha Odysseae: *εἰ κεινόν γ' Ἰθάκηνδε ἱδοίατο νοστήσαντα πάντες κ' ἀρησαίατ' ἐλαφρύτεροι πόδας εἶναι ἢ ἀφνειότεροι χρυσοῖό τε ἐσθῆτός τε.* Cicero Philippicarum II. *Quis interpretari potest? impudentiorne, qui in senatu? an improbior, qui in Dolobellam? an impurior, qui patre audiente? an crudelior, qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris?* Et sciendum, quod apud Latinos diminutionem 16
quoque accipiunt quaedam comparativorum, ut supra diximus, quod apud Graecos non invenitur, ut grandiusculus, minusculus, majusculus, meliusculus. Omnia

---

cis lectionem in textum recepi. Nam ex hac omnium optime explicari potest, unde orta sit falsa lectio *excellissime*, et cur postea in Codd. e correctione bis scripta sit vox, sed ita ut altero loco emendata appareat. Denique Ger. etiam Vossius l. l. hanc se lectionem in suis dicit reperisse membranis. Restitui autem genitivum, quia cum Cod. illo Lips., per se quidem jam sat gravi teste, in hac forma, qui ejus formae vestigia servaverunt, consentiunt caeteri Codices. Nemo denique, puto, erit, qui me, quod particulam *que* post *excelsissimi* omisi, reprehendat, cum vix dubitari possit, e correctione additam eam esse, aut quia duo adjectiva sine conjunctione juxta se posita displicebant, aut quia glossator vocem alteram, quam intruserat, priori nectere vellet.

per se positus. Lips. 3. *sine aliqua adjunctione. Virg. in V. Aen.* v. 301.

minus significat. Vulgo, *minus eo significat.* Omittunt *eo* MSS. Lips. 1. 2. 3. Mox, *ut, Tristior*, posui pro *ut Virg. in primo Aen. Tristior.* Codd. omittunt, partim etiam Edd. Ven. 1. 2. quae habent, *ut Virg.* Notissimus enim est versus. *Et jam senior.* Vulgo, *Idem in VI.* Nos Codicum lectionem reponendam curavimus. Est versus 601.

§. 15. *dulcius est quam cetera.* Nescio, cur libri editi omnes *est*, quod ego ex Codd. reposui, omiserint. Post *cetera* addunt Codd. *maria parvum aliquid.* Sic Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. Vulgo, *parum aliquid.* Post *dulcedinis* Zwicc. 1. *sed magis.*

Alpha Odysseae vs. 162 seqq. Codd. Lips. 1. Luth. Zwicc. Erl. 2. *Odisseae* per *i.* Erl. 1. *Odissae.* Dresd. *Odyssace.*

Cic. Phil. II. est cap. 38. Pro *impudentior* reperitur in MS. Erl. 2. *imprudentior.* Pro *Dolabellam* omnes mei Codd. et iam Edd. Ven. 1. 2. *Dolobellum.* MS. Heidelb. *dolobellam*, quam scripturam secutus sum.

tamen haec a comparativi neutro adjectione culus invenio fieri, ut grandius grandiusculus, melius meliusculus: sic cetera, quae sunt similia. Tam et quam adverbia tum comparativo vel superlativo adjiciuntur, cum duo vel plures comparativi vel superlativi diversae significationis positi inter se aequantur, vel iidem geminantur, ut tam justior quam felicior Aeneas Hectore. Cicero pro Deiotaro: *Istam inquam dextram non tam in bellis neque in praeliis, quam in promissis et fide firmio-*
17 *rem:* bis enim firmiorem intelligendum est. Minus autem adverbium est quando cum positivo junctum contrariae significationis comparativum demonstrat, ut minus stultus, pro prudentior. Terent. in Eunucho: *Hoc nemo fuit minus ineptus,* pro prudentior. Est tamen quando pro non adverbio ponitur, ut minus bonus, pro malus. Magis quoque adverbium non solum positivo, sed etiam comparativo jungitur, quando ipse comparativus, vel ad se, vel ad alium comparatur, ut Achilles Aenea fortior magis quam justior: et Ajax Ulixe fortior magis quam Diomede. Et comparativus quidem gradus ablativo casui adjungitur utriusque numeri, interdum tamen etiam nominativo, quando quam adverbium sequitur. Superlativus autem genitivo plurali vel singulari, quando ipsum nomen singulare multitudinem significat, ut fortissimus gentis.

---

§. 17. *magis quam Diomede.* MSS. Erl. 1. Lips. 3. *magis quam Diomedes.*

Superlativus autem. Libri impressi *vero.* Quod nos dedimus, praestantissimi Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Erl. 2. Lips. 2. exhibent. Mox eorundem Codicum auctoritate omisi *jungitur*, quod in libris editis post *singulari* legitur, et delevi majorem interpunctionem in antecedentibus post *sequitur* in libris impressis positam.

§. 18. *Fortissimus fuit Graecorum Achilles, id est fortis super omnes Graecos.* Adjeci ex Edd. Ven. 1. 2. MSS. Lips. 1. Erl. 2. Luth. *fuit.* Deinde transposui vocem *fortis*, quae in libris editis in fine posita est, Codd. Zwicc. 2. Luth. Erl. 2. Lips. 3. id facere suadentibus.

in quas pauca desinunt. Non adjecissem *desinunt*, quae vox in Edd. Colon. Bas. Ald. Putsch. desideratur, nisi consensu MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Edd. Ven. 1. 2. coactus fuissem.

mobilia sunt, id est. Post *sunt* additum in libris editis legitur *per tria genera.* Nemo, glossema esse, negabit, qui usum

Superlativum est, quod vel ad plures sui generis III
comparatum superponitur omnibus, vel per se prola- 18
tum, intellectum habet cum valde adverbio positivi, ut fortissimus fuit Graecorum Achilles, id est fortis super omnes Graecos: sin autem dicam fortissimus Hercules fuit, non adjiciens quorum, intelligo valde fortis. Tale est apud Ciceronem pro Marco Marcello, *simillimum deo judico*, pro valde similem deo. Et sciendum, quod ex iisdem formis, sive terminationibus supradictarum in comparativis partium orationis, fiunt etiam superlativa. Sunt igitur formae superlativorum VIII. Duae quidem, in quas pleraque desinunt superlativa, rimus et simus: sex vero, in quas pauca desinunt, limus, ximus, timus, remus, fimus, nimus. Et omnia superlativa mobilia sunt, id est mutatione us in a faciunt foeminina, et in um neutra. In er igitur desi- 19
nentia positiva cum sint adjectiva, sive secundae seu tertiae declinationis, accepta rimus faciunt superlativum, ut pulcher pulcherrimus, miser miserrimus, pauper pauperrimus, acer acerrimus. Excipiuntur dextimus et sinistimus, pro dexterrimus et sinisterrimus. Salustius in Iugurtino: *Silla cum equitatu apud dextimos, in sinistra parte Mallius cum funditoribus.* In us vero terminantia secundae declinationis assumunt genitivo s et simus, et faciunt superlativum, ut clarus clari

---

Prisciani et Grammaticorum teneat. Recte igitur MSS. Zwicc. 2. Luth. Lips. 1. omiserunt, quos secuti sumus. Zwicc. 1. supra scriptum habet, ab alia, ut videtur, manu.

in a faciunt foeminina et in um. Pro *et* Ald. Colon. Bas. Putsch. habent *a*. MSS. Lips. 2. 3. Dresd. Zwicc. 1. Luth. Erl. 2. eam, quam expressimus, praebuerunt lectionem. Edd. Ven. 1. 2. neque *a* neque *et* habent.

§. 19. *Salustius in Iugurtino.* Est caput centesimum. *Manlius.* Edd. Bas. Colon. Ald. Ven. 1. 2. addunt *curabat*, quod neque in MSS. neque apud Cortium legitur. Putschius jam expunxerat. Scripsi *Salustius* per unam *l*, quia Codd. mei nomen ita exprimunt. Pro *Iugurthino* eandem ob causam scripsi *Iugurtino* per t, non per th. Nullam enim causam video, cur per *th* proferendum sit, cum Graecorum in hac causa nulla sit auctoritas. Tum in nomine *Silla* expunxi vocalem *y* et Latinam *i* posui, propterea, quod Codices in his rebus unice sequendos esse puto. Denique eorundem Codd. auctoritate posui *Mallius*, quoniam sic hoc nomen pronunciatum fuisse arbitror. Ita et MSS. Dresd. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2.

clarissimus, doctus docti doctissimus, perditus perditi perditissimus, exceptis anomalis, id est inaequalibus, quae sunt, bonus optimus, malus pessimus, magnus maximus, parvus minimus, multus plurimus. Excipitur etiam maturrimus, cujus cum positivus sit maturus, tamen quasi a nominativo matur, qui nunc in usu non est, nascatur, in er desinentium regulam servavit, id est in rimus terminatur. Invenitur tamen etiam maturissimus secundum analogiam in us terminantium. Cicero ad Herennium in quinto: *Quibus virtutibus omnem tueri vitam possint, eas in aetate maturissima velint comparare.* Nuperrimus etiam proferebant antiquissimi. Unde adverbium posuit Cicero in tertio ad Herennium: *Et quoniam nuperrime dictum facile memoriae mandatur.* Qui superlativus magis ab adverbio in er desinente videtur nasci. Nomen enim positivum in us

---

Zwicc. Heidelb. Haec scriptura reperitur etiam in Edd. Ven. 1. 2. Vellem notasset Cortius, quomodo in Codd. hoc nomen scriptum reperisset.

multus plurimus. Addunt Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. Ven. 1. 2. *haec autem inaequalia sunt.* Non reperi haec verba in MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 2. Heidelb. In Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 3. pro *autem* legitur *enim.* In Lips. 1. supra scripta sunt. Equidem textu expuli, cum otiosa sint, et glossematis speciem referant.

quasi nascatur. Tres meorum Codd. *nascitur.* Mox post *desinentium* MS. Zwicc. 1. addit *nominum.* Pro *servavit* Lips. 3. *servat.* Pro *terminatur* Erl. 1. *terminantur.*

Cicero ad Herennium Libro V. Est Lib. IV. Cap. 17. Editiones omnes *libro quarto*, nescio, qua auctoritate, scriptum exhibent. Codices mei omnes consentiunt in numero quinto. Et recte quidem. Constat enim inter viros doctos, Libros ad Herennium in Codicibus in sex libros descriptos reperiri.

§. 20. *nuperrimus etiam.* Post haec MS. Dresd. addit: *superlativum antiquissimi a nuper adverbio proferebant.*

Cic. in tertio ad Herennium. Cap. X. *Et quoniam nuperrime dictum.* Addunt Edd. Ald. Colon. Bas. Putsch. Ven. 1. 2. *est.* Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. aeque ignorant ac Ciceronis libri editi.

cujus accusativum Plautus profert. Act. III. Sc. 5. vs. 60. Vulgo, *cujus accusativum protulit Plautus.* Ut nos edidimus, scribi jubent MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 3. Erl. 1.

captum. MS. Lips. 2. *captivum.* Post *hominem* delevi conjunctionem *et*, quoniam abest a MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. et Edd. Ven. 1. 2. Post *bene* addunt MSS. Dresd. Lips. 3. *dixit.*

desinit, ut Capro videtur, nuperus, cujus accusativum Plautus profert in Captivis: *Recens captum hominem, nuperum et novitium.* Et bene. Ut enim super superus, sic nuper nuperus debet esse. Livius in Odissia: *Inferus an superus tibi fert deus funera Ulixe.* Tertiae vero declinationis nomina, quae habent superlativum, absque in er desinentibus, de quibus supra dictum est, cetera genitivo assumunt simus, ut locuples locupletis locupletissimus, vilis vilissimus, sapiens sapientis sapientissimus, iners inertis inertissimus, concors concordis concordissimus, audax audacis audacissimus. Excipiuntur haec, facillimus, difficillimus, gracillimus, humillimus, simillimus, dissimillimus, agillimus: quorum, cum in is desinunt, positivi, abjecta is et addita limus, faciunt superlativos. Excipiuntur etiam in bris desinentia: ris 21
enim in er mutant, et accepta rimus faciunt superlati-

Ut enim super superus, sic nuper nuperus. Ita MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Vulgo, *ut enim superus, sic nuper nuperus debet esse.*

Livius in Odissia. Pro vulgato *Odyssea* edidi *Odissia* secundum MSS. Luth. Heidelb. Erl. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. MSS. Dresd. Lips. 3. *Odissa.* Hanc vero nominis scripturam ad Romani sermonis formas compositam, quo poema illud antiquissimum inscriptum fuisse putandum est, per totum Prisciani opus servabo, cum plurimorum Codd. auctoritate satis, ut videtur, confirmata sit. Festus etiam Grammaticus scribit *Odissia;* certus enim sum, in Codd. hujus auctoris pro *y*, quod libros editos occupavit, *i* scriptum exstare. Sequentem locum tractavit etiam Godofredus Hermannus in opere laudatissimo, Elementa doctrinae metricae, p. 624. Decimi libri versus sequentes esse, l. l. dicit vir summus, metroque Saturnio, quamvis bonum versum heroicum praebeant, aptari posse contendit. Jam vero notanda est lectionis varietas. MS. Lips. 1., quem Hermannus D. Iacobi codicem nominavit, *fere* pro *fert.* Dresd. rasura corruptus est, ita ut ante *fert* duae literae deletae sint. Zwicc. 1. *munera* pro *funera.* MS. Dresd. pro *Ulixes* legit *Ulixe.* Recte, puto. Ergo hanc lectionem expressi.

vilis vilissimus. Inserunt his Edd. genit. *vilis.* Abest a MSS. Zwicc. 1. Heidelb. Lips. 2. Erl. 2. Luth. Et ubique fere, cum sono non discrepat, omittitur ab Nostro vox, quae repetenda erat.

cum in is desinunt. Sic MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Mox eadem de causa *superlativos.* Singularem, quem libri editi exhibent, mutavi in pluralem *superlativos.* Nam MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb. scribi sic jubent.

vum, salubris saluberrimus, celebris celeberrimus. Cicero in secundo ad Herennium: *Locus quaeritur, celebris an desertus.* Ovidius tamen saluber dixit et celeber in IV. Fastorum: *Phoebe saluber ades.* et: *Circus erit pompa celeber numeroque deorum.* Ergo magis secundum analogiam in er terminantium faciunt superlativum. Etiam veterrimus notandum; quod, cum in us desinat ejus positivus, tamen formam in er terminantium servat in superlativo, veterrimus, quasi a veter positivo: quod Capri quoque approbat autoritas, et usus antiquissimorum. Ennius: *Cum veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo:* cujus etiam comparativum veterior protulit Plautus in Bacchidibus: *Senem tibi dedo illum veterio-*
IV *rem lapide, ut lenitum reddas.* In ximus duo desinunt; unum anomalum a positivo in us desinente secundae declinationis, magnus major maximus; alterum ab adverbio, prope propior proximus, quod tamen quando

---

§. 21. Locus e Cic. allegatus invenitur in Auct. ad Her. Lib. II, 4. Ovidii vero verba leguntur in Fast. Lib. IV. vs. 391. Remed. 704.

cum in us desinat ejus positivus. Ita haec verba Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. auctoritate transposui, cum in Edd. *ejus positivus* ante *desinat* positum sit.

Ennius. Lips. 3. ante *Ennius et inquit* posuit.

Plautus in Bacchidibus Act. V. Sc. 2. vs. 30. Hic quoque locus argumento esse potest, Priscianum locos veterum scriptorum, inprimis Comicorum, parum diligenter referre, ita ut plura, quae ad sententiam ipsius confirmandam nihil facere viderentur, omittere non dubitaret. Maxima est in verbis sequentibus Codicum varietas. Erl. 1. *sedem* pro *senem.* Plurimi, ut MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Heidelb. Erl. 2. Edd. Colon. Bas. Ald. Ven. 1. 2., *lapide.* Zwicc. e glossemate *lepide.* MS. Dresd. *lapidem.* Erl. 1. *lepidum.* Putsch. *lepide.* Pro *lenitum* Ald. *ut leni, tum.* Edd. Ven. *lepidum.* MS. Lips. 1. *lenitum.* Sed *um* punctis distinctum et supra additum est signum, quod compendium scripturae *τοῦ er* esse videtur.

Ulpianus in libro XXV. ad edictum: Si quis proximior cognatus nasceretur. Ita vitiosissime Priscianus, siquidem MSSis fides habenda est. Duplicis enim erroris arguitur Noster et convincitur a JCtis. Primum numerus XXV. falsus est: deinde vero etiam vox *nasceretur* damnanda. Sed si vel maxime hoc constat, neque jure eum levitatis nomine hoc loco taxari dubitari ullo modo potest, tamen in ipso textu nihil mutandum. Nolui ergo sequi Putschium, qui pro numero XXV. dedit XLVI. Ad veritatem quidem recte; sed perperam, si hanc

pro cognato accipitur, positivi significationem habet; ideoque a legis latoribus etiam comparative profertur, apud quos saepe invenitur proximiores, id est propiores cognati, ut Ulpianus in libro XXV. ad edictum: *si quis proximior cognatus nasceretur.* Vegetius Renatus Rei Militaris libro primo: *Sed latera eorum subducantur ab hostibus, ne possint vulnus accipere, et proximior dextra sit, quae plagam possit inferre.* Nec mirum, cum apud Graecos quoque inveniuntur hujuscemodi, ut Aristoteles ἀπὸ τοῦ ἔσχατος ἐσχατώτατος dicit, cum ἔσχατος, id est extremus, sit superlativus. In timus desinit unum 22
anomalum, optimus, et ab adverbiis sive praepositionibus derivata haec: intra interior intimus, ultra ulterior ultimus, citra citerior citimus. Cicero de Republica in sexto, *ex quibus erat ea minima, quae ultima a caelo, citima a terris, luce lucebat aliena.* Afranius tamen etiam positivum ejus citer protulit in Patella, teste Aruntio,

---

rationem ad crisis leges exigas. Codd. enim omnes XXV. De toto loco, cum Godeschalkium, Jureconsultum nostrae urbis celeberrimum, consuluissem, is pro sua cum in omnes tum in me etiam benevolentia haec mihi rescripsit. „Locus Ulpiani, quem laudat Prisc., servatus est in leg. I. §. 8. π. *Unde cognati* (Pand. L. 38. tit. 8.): atque haec quidem lex, teste Cod. Digest. Florentino, haudquaquam in Libro XXV., uti Prisc. scripsit, sed potius in L. XLVI. ad Edictum locum suum habet. Docet autem fragmentum, quod in leg. I. π. *Unde cognati* servatum est, locum a Prisc. laudatum esse depravatum. Nam verba Ulpiani ita sonant: Si quis proximior cognatus *nasci speretur*, in ea conditione est, ut dici debeat, obstare eum sequentibus.“ Hactenus vir eruditissimus. Haec autem eo gratiora Prisciani editori sunt, quo certius demonstrant, Priscianum ipsum centies memoria lapsum, neque, quicquid erroris in scriptis ejus deprehenditur, librariorum culpae tribuendum esse. MS. Heidelb. *ut ad edictum.*

Vegetius Renatus. vid. Ind. MS. Lips. 1. *Vegetinus.* MS. Erl. 2. pro *et* habet supra scriptum *ut*, quod MS. Heidelb. textui inseruit. Dresd. *dextera.* Erl. 1. Lips. 1. *quam* pro *quae.* In MS. Erl. 1. *plagam* supra scriptum est. Mox pro *dixit* MS. Heidelb. *δετρετ*, ex quo librarii eruditionem possis admirari.

§. 22. *ultima a caelo, citima a terris.* Ita Edd. Ven. 1. 2. Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 2. pro vulg. *ultima coelo, citima terris.* MSS. Dresd. Heidelb. *ultima a coelo, citima terris.*

lucebat. MS. Dresd. *lucebit.* Pro *Patella* MS. Zwicc. 1. *Pa-*

et praeterea dextimus et sinistimus. Extimus quoque pro extremus dicebant antiqui. Varro *περὶ Αἰρέσεων: Porro inde ab uno quoque compito ternae viae oriuntur, ex quibus singulae exitum ad coelos habent proprium, a primo compito dextimam viam munit Epicurus.* Coelius in primo Historiarum: *dextimos in dextris scuta jubet habere.* Salustius in Iugurtino, ut supra diximus: *Silla cum equitatu apud dextimos, in sinistra parte Mallius cum funditoribus.* Plinius in sexto Naturalis Historiae: *Dyrrachium, Canusium Apuliae extimam.* In remus, quae sola forma e habuit longam in penultima, cum omnis forma superlativi i correptam habeat ante mus, ut pulcherrimus, doctissimus, sapientissimus, maximus, ulti-
23 mus. Ab adverbiis sive praepositionibus venientia desinunt haec, extra exterior extremus, supra superior supremus, post posterior postremus. Ex quo apparet, neque a supero neque a postero fieri comparativos sive superlativos, sicut neque ab infero infimus, quando solum in fimus desinit, sed ab adverbio infra inferior infimus. Nam si essent a nomine supero, postero, infero, servassent regulam in us terminantium secundae declinationis, quae in simus proferunt superlativum, et facerent superissimus, inferissimus, et cetera. In nimus unum anomalum desinit, parvus minor minimus. In rimus a verbo unum invenitur detero, deterior deterrimus, et
24 unum anomalum plurimus. In simus etiam unum anomalum invenitur, pessimus. Nam novissimus videtur

---

telleeta. Codd. Luth. Lips. 2. Heidelb. Erl. 2. *patellea.* Ita et Edd. Ven. 1. 2. Lips. 1. *Patelle,* e corr. *a.*

Varro περὶ Αἰρέσεων: — ad coelos. Ita Cod. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. Reliqui libri et editi et scripti *ac telos,* quod synonymum mihi valde frigere videtur. In MS. Heidelb. explicatur, *i. e. finem sive perfectionem. Epicurus* vulgo trahitur ad sequens *Coelius* et scribitur *Epicurius.* Nos MSS. Erl. 1. Heidelb. auctoritate et Putschii exemplo Varronis locum hoc nomine claudimus, ita ut ad *munit* pertineat. Caeterum post *proprium* virgulam posuimus, ut ad *exitum* referatur.

Coelius. Lips. 1. *Celejus.* Lips. 2. *Caecilius.* Erl. 1. *in hystoriarum.*

Plinius in VI. Nat. Hist. Hunc locum quaerenti mihi non repertus est.

e habuit longam in penultima. Vulgo, *penultimam.* Ut nos edidimus, MSS. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Heidelb. Lips. 1. scribi jubent.

secundum analogiam a novo factum. Ab eo autem quod est ante anterior, superlativum in usu non inveni. A pene autem adverbio superlativum in simus protulit Plautus in Mostellaria: *Ita mea consilia pervortit penissime?* Item ab eo quod est penitus adverbio superlativo usus est. Idem in Persa: *Furtivam adductam ex Arabia penitissima.* Sciendum tamen, quod etiam nomen invenitur, hic penitus, hujus peniti, ex quo magis superlativus gradus nascitur. Plautus in Asinaria: *Etiamne age quaeso hercule, usque ex penitis faucibus.* Illud quoque notandum, quod omnia et comparativa et superlativa duarum excedunt numerum syllabarum, exceptis prior et primus, et anomalis his, minor et major, peior et plus. Nec mirum, cum positiva quoque, ex quibus nascuntur comparativa et superlativa, bisyllaba sint: vel eo plus per genitivos, et vel unam vel duas assumentia syllabas faciunt supradictos gradus, ut ditis ditior ditissimus, clarus clarior clarissimus, niger nigrior nigerrimus, utilis utilior utilissimus, similis similior simillimus, infra inferior infimus. Superlativus vero comparativum est quando superat una syllaba; ut quando in simus finitur, justior justissimus, et quando in rimus superlativus finitur, si positivi nominativus et genitivus pares habeant syllabas, ut teter tetri tetrior teterrimus; acer acris acrior acerrimus. Est quando par est, velut in limus terminans, agilior agillimus, facilior facillimus. Est quando una vincitur syllaba, ut

---

§. 23. *si essent a nomine.* Ita Codd. mei omnes. Vulgo, *nominibus.*

desinit parvus. Vulgo *ut parvus.* Codd. omittunt.

§. 24. *Plautus in Mostellaria.* Act. III. Sc. 1. vs. 127. *ita.* Sic Codd. mei omnes. Vulgo *ita ne. Pervortit.* Hanc scripturam exhibent praestantiores Codd. omnes, Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. Dresd. Erl. 2. Heidelb.

Idem in Persa. Act. IV. Sc. 3. vs. 71.

Plautus in Asinaria. Act. I. Sc. 1, 28. *hercule.* Ita Codd. mei fere omnes. Exhibent enim *herculeusque.* Vulgo *hercle.*

exceptis prior et primus. Vulgo, *exceptis his, prior et primus.* Non opus est pronomine demonstrativo, et recte omittitur a MSS. Erl. 2. Lips. 1. Zwicc. 2. Luth. Heidelb.

§. 25. *si pares habeant.* Ita Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 2. Heidelb. Vulgo *habeat.* Dresd. et Lips. 3. *habent.*

Est quando par est. Ed. Bas. *et.* Ut nos, Codices. Mox ante

quando in fimus, vel timus, vel remus desinit: inferior infimus, ulterior ultimus, exterior extremus vel extimus. Varro in Orthographia: *Ergo inter solis stationem, et sidera septem exporrecta jacet tellus, huic extima fluctu Oceani interior Neptuno cingitur ora.* Plautus in Truculento: *Bona perdidi, mala repperi, factus sum extimus a vobis.*

V 26 Diminutivum est, quod diminutionem primitivi sui absolute demonstrat, ut rex regulus, id est parvus rex. Ideo autem positum est absolute, quia comparativa quoque non solum augent, sed etiam est quando minuunt vim primitivorum; sed non absolute. Ad aliquid enim omnimodo fit comparatio, ut brevior dicitur ad brevem, et angustior ad angustum. Unde quamvis in his quoque comparativis inveniantur quaedam diminutiva apud Latinos, ut superius docuimus, non possunt tamen esse absoluta, cum a comparativis sint derivata, et ipsa quoque comparationem significent, ut majusculus, minusculus. Necesse est enim, ad aliquid ea comparari, ut Terentius in Eunucho: *Thais quam ego sum majuscula est*, id est, parvo major quam ego. Alia autem diminutiva, id est omnia, quae non a comparativis derivantur, ex sese habent diminutionem, et nulli comparantur, ut regulus, tantulus. Solent autem diminutiva vel necessariae significationis causa proferri, ut Salust. in Iugurtino: *Postquam reguli in unum*

---

timus et remus Codicum jussu omisimus praepositionem *in*, quam libri editi exhibent.

extremus vel extimus. Transposui has voces MSSorum Codd. Zwicc. Luth. Dresd. Lips. 1. Erl. 2. auctoritate. Libri editi *extimus vel extremus.*

Orthographia. Zwicc. 2. *cosmographia.* Erl. 2. *corographia.* Utrumque ad notionem vocis reddendam satis aptum, quippe significat descriptionem mundi, at ex aperta hoc loco correctione. MS. Heidelb. supra scriptum habet *vel cosmo.*

Plautus in Truculento fragm. *factus sum*, addit MS. Lips. 1. *quasi.*

§. 26. *sed non absolute.* Addunt libri editi et scripti aliquot, *ut majusculus parvo major, quam ille, qui magnus est.* Haec ex paulo post sequentibus huc transscripta sunt, et tantum abest, ut sententiam propositam h. l. illustrent vel confirment, ut potius importune interrumpant nexum. Recte igitur omiserunt MSS. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Lips. 1. Erl. 1. 2. Luth. tantum quod hic in margine ab alia manu addita refert.

convenere. Reguli, id est parvi reges: vel urbanitatis, ut Iuvenalis in IV. Satira: *Unde fit, ut malim fraterculus esse Gigantum:* vel adulationis, et maxime puerorum, ut Catulaster, Antoniaster, patritiolus, Sergiolus. De- 27
rivantur igitur pleraque ab appellativis, pauca etiam a propriis, et servant genera primitivorum plerunque, et saepe inveniuntur diminutivorum diminutiva, in diversas desinentia formas, ut homo, homuncio, homunculus, homullus, homullulus. Sunt igitur formae diminutivorum masculini generis hae, culus, ulus absque c, olus, ellus, xillus, illus absque x, ullus, cio, aster, leus, tulus. Culus, ut igniculus; ulus absque c, tantulus; olus, Sergiolus, capreolus; ellus, agellus; illus, x antecedente, paxillus; absque x, codicillus; ullus, homullus; cio, homuncio; aster, parasitaster; leus, aculeus, eculeus; tulus, nepotulus. Plautus in Milite Glorioso: *Si te salvum hinc amittimus venerium nepotulum.* Foeminini autem generis hae, cula, ula absque c, ola, ella, xilla, illa absque x, ulla: ut anicula, silvula, unciola, capella, maxilla, anguilla, ulla. Neutrorum quoque sunt formae hae: culum, ulum sine c, olum, ellum, illum, cum x, et sine eo, ulum; ut corpusculum, corculum. Plautus in Casina, *Meum corculum, melculum, verculum.* Sine c, capitulum, laureolum, Lucellum, villum, vexillum, ullum. Et sciendum, quod 28
nomina tertiae vel quartae vel quintae declinationis ple-

Terentius in Eunucho. Act. III. Sc. 3. vs. 21.

urbanitatis. Addunt Edd. *causa.* Omiserunt omnes mei Codd. tantum quod Luth. supra scriptum habet. Post *adulationis* eandem ob causam omisi eandem vocem, quae in Edd. apposita legitur.

Iuvenalis in IV. Satira. vs. 98. Iuvenalis libri editi pro *Gigantum* habent *Gigantis.*

§. 27. *Plautus in Milite Glorioso.* Act. V. Sc. 1. vs. 20. Lips. 1. *gloriose.* Sic MS. Zwicc. 1., notante etiam Godofr. Hermanno l. l., *fest* pro *fert* in loco Livii Odissiae supra laudato.

amittimus. Lips. 3. *admittimus.* Dresd. *amittemus.*

ulla. Addunt MSS. Dresd. Zwicc. 1. 2. Lips. 3. ante *ulla, una.*

Plautus in Casina. Act. IV. Sc. 4. vs. 11. *melculum.* Editi Plauti libri *melliculum.*

Sine c. Libri editi ante haec verba apponunt *ulum,* quod MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. omittunt.

raque, non tamen omnia, ut quidam putaverunt, diminutivorum masculina in culus, foeminina in cula, neutra in culum terminant. A primae vero vel secundae declinationis nominibus nullum invenitur diminutivum, in has desinens formas, nisi a primitivo habeat c, ut Graecus Graeculus, furca furcula. Earum igitur quoque formarum, ut possim, regulas coner exponere. Monosyllaba in s desinentia vocali antecedente, cujuscunque sint generis, et in er omnia, quae sunt tertiae declinationis, et in us neutra, nominativo assumunt in masculino culus, in foeminino cula, in neutro culum, ut flos flosculus, mas masculus, mus musculus, plus plusculus, os osculum: quod quamvis sit formae diminutivae, tamen, quia aliam habuit significationem, fecit
29 ex sese aliud diminutivum oscillum. Similiter faciunt in er terminantia diminutivum, ut frater fraterculus,

---

§. 28. *ut possim, — coner.* Ita MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. Erl. 1. Reliqui MSS. cum Edd. *potero, — conabor.* Codd. auctoritate induxi rariorem loquendi modum.

§. 29. *Plautus in Cistellaria: Tum tu igitur.* Haec verba in Codicibus Cistellariae, qualis nunc quidem exstat, non reperiri, notaverunt et Plauti interpretes et Lexicographi sub voce *matercula.* De lectionis igitur varietate difficile est judicium. Equidem officio meo ita satisfecisse puto, ut, quam plurimi iique optimi praestant Codices lectionem, in textum receperim. Edd. Ald. Putsch. Colon. Bas. *tun' tu ne.* MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Lips. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. *tum* et pro *tune* exhibent *tu.* MS. Lips. 1. *tunc.*

Lucanus in III. vs. 724. Miror, Putschium quoque cum reliquis editoribus errorem in numero propagasse, quem antiquissima Veneta jam sustulerat et quem MSS. optimi dudum damnaverunt, pro vulgato *IV.* tertium ponentes.

Iuvenalis in tertio. Est Satira III. vs. 97.

Plautus in Cist. Hic quoque locus non reperitur in ejusdem nominis fabula. Asterisco ergo notavit hoc nomen Ed. Colon. MS. Dresd. *Cestellaria. Cum extortis talis cum todillis crusculis.* Magna est hoc loco librorum et scriptorum et editorum lectionis varietas. Putschius Edd. Colon. Bas. secutus edidit, *cum extortis talis cum crocotillis crusculis.* Haec est lectio, quae Festi auctoritate confirmatur. Haec vero auctoritas nullius fere est momenti, cum Festus ipse sibi repugnet. Nam duplici modo ab eo allegatur hic locus. Vide Fest. s. v. *Succrotilla* et sub v. *Todi.* Nihil igitur mirum, me ab Festo discedere ausum pro *todillis*, quod ille habet, *todinis* posuisse. Nec tamen temere, sed, quod plurimi procul dubio est, MSSorum auctoritate nostra lectio defenditur.

pater paterculus: quod et proprium invenitur: mulier muliercula, pauper pauperculus paupercula pauperculum, mater matercula. Plautus in Cistellaria: *Tum tu igitur mea matercula?* Excipitur venter ventriculus. Lucanus in III. *Qua jam non medius descendit in ilia venter.* Iuvenalis in tertio: *Infra ventriculum tenui distantia rima.* Sic etiam in us neutra, munus munusculum, corpus corpusculum, opus opusculum, crus crusculum. Plautus in Cistellaria: *Cum extortis talis, cum todinis crusculis.* Similiter tus tusculum. Idem in Aulularia: *Nunc tusculum emi hoc, et coronas floreas.* Necnon et comparativa ejusdem generis et ejusdem terminationis similiter faciunt diminutiva, sed mobilia, ut majus majusculus majuscula majusculum, grandius grandiusculus grandiuscula grandiusculum, celerius celeriusculus celeriuscula celeriusculum. Unde Cicero adver-

---

Cod. Lips. 1. *totinis*, e correctione autem aperta, *todillis*. MS. Erl. 2. *todinis*. Lips. 3. *dordinis*. Zwicc. 2. *tortinis*. Erl. 1. *totinis*. MS. Heidelb. *todinis*. Nota interlinearis haec profert: *todus genus parvissimae avis tibias habens perexiguas*. Reliqui, Dresd. scilicet, Zwicc. 1. Luth. Lips. 2., *tortis*, quod ex interpretatione natum puto. Erl. 1. ad explicandam vocem notat, *totus est avis*. Edd. Ven. 1. 2. Ald. *torcinis*, quod nihili esse apparet. Caeterum formam *todinus*, per i longam, congrue et ex analogia factam esse, nemo negabit, qui legerit ea, quae Priscianus ipse de nominibus adjectivis Lib. II. inde a §. 59. tradit. Nam uti *porcus porcinus*, ita et *todus todinus* recte dicitur. Notandum denique est, loco laudato, sub voce todi scilicet, Festum fabulae Plauti, ex qua desumptus est hic versus, Syri nomen imponere.

Plautus in Aulul. Est Act. II. Sc. 8. vs. 15.

ejusdem generis et ejusdem terminationis. Ita MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Vulgo, *ejusdem generis terminationisque.*

sed mobilia. In omnibus Edd. et plerisque MSS. additur, *id est masculini et foeminini et neutri generis.* Haec a glossatore addita esse, tam certus sum, quam qui certissimus. Omiserunt duo meorum Codd., Lips. 2. et Lips. 3. Reliqui exhibent; nec tamen haec facillima sine varietate. Erl. 1. omittit primum *et*. Dresd. *neutri* ponit ante *foeminini* et pro hoc posuit *foemini*.

majuscula majusculum. Addunt libri editi: *minus minusculus, minuscula, minusculum.* Absunt haec, quibus facile carere possis, a MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Lutherius tamen in margine adscripta refert, ita ut glossatoris manum etiamnum agnoscere possis.

bium celeriuscule protulit ad Herennium in III. lib. Artis Rhetoricae: *Strenue quod volumus ostendere factum, celeriuscule dicemus.* Sicut a saepius comparativo saepiuscule. Plautus in Casina: *Ut nubat mihi, illud quidem volebam, cum nostro villico saepiuscule peccas.* Plus quoque quamvis a masculino vel foeminino comparativo non veniat, facit tamen, ut superius ostendimus, plusculus pluscula plusculum, unde Terentius in Hecyra: *Primum dies compluscules.* Et in Phormione: *Tum pluscula supellectile opus est.* Lepus quoque, quod solum in us masculinum, sive ἐπίκοινον dissyllabum Latinum tertiae declinationis est, assumit nominativo culus, et facit diminutivum, ut lepus lepusculus. Cicero de signis: *Si minus ejusmodi quippiam venari potuerant, illa quidem certe pro lepusculis capiebantur.* Ad hanc formam etiam positiva, in or desinentia, mutant or in us, et acceptâ culus faciunt diminutiva, rumor rumusculus. Cicero pro Cluentio: *Qui imperitorum hominum rumusculos au-*

Locus Ciceronis ad Herennium reperitur in libro III. cap. 14.

sicut a saepius comparativo. Haec est MSSorum nostrorum lectio, quam propter Codicum consensum vulgatae, *sic a saepius quoque* et rel., praeferre non dubitavimus. Edd. Ven. omittunt *quoque.* In caeteris cum vulgata consentiunt.

Plautus in Casina. Act. III. Sc. 5. vs. 53. *Ut nubat mihi.* Vulgo, *ut nubas.* Nostram lectionem praestant MSS. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Luth. Heidelb. correctus *nubas. illud quidem volebam.* Vulgo, *volebam quidem.* Ego MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Heidelb. secutus sum. Ita et editi Plauti libri. In diversissimam lectionem delata est Ed. Ven. 1. *ut jubet mihi illud quod volebam.* MS. Lips. 1. *quidam* punctis suppositis et linea transversim ducta, ut spurium, notavit, et supra scripsit *quod.* Pro *saepiuscule* Edd. Plauti *saepicule.* Ita et legendum esse videtur. At vero hoc quoque exemplum docet, non injuria Grammaticos ob vitiata scriptorum exempla, quibus usi, sint ab Heindorfio notari ad Cic. de Nat. Deor. II. 32.

comparativo. Ita Codices nostri. Vulgo, *comparativis.*

Unde Terentius in Hecyra. Act. I. Sc. 2. vs. 102. *Unde* MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. Heidelb. Vulgo *ut.* Edd. Ven. 1. 2. prò *compluscules* exhibent *plusculos.*

Et in Phormione. Act. IV. Sc. 3. vs. 60. *Tum.* Lips. 3. *tunc.*

ἐπίκοινον. Ed. Ven. 2. *ἐπίθετον.* Heidelb. *epichenon.*

et facit diminutivum, ut lepus lepusculus. Frequentes Codices, Zwicc. scilicet 1. 2. Heidelb. Erl. 1. 2. Dresd. Luth. Lips. 1. 2., et Edd. Ven. 1. 2. ita, ut nos edidimus, legunt. Vulgo omissum est *ut lepus.* Nec negari quidem potest, neminem

cipant. Vel assumunt culus vel cula, amator amatorculus, soror sororcula. Plautus in Poenulo: *Vix aegre que amatorculos invenimus.* Idem in Cistellar.: *Germana mea sororcula.* In is vero, vel in e desinentia omnia, vel in ns monosyllaba, vel in rs dativo corripientia i, assumunt supradictas syllabas, et faciunt diminutivum, ut ignis igni igniculus, testis testi testiculus, navis navi navicula, avis avi avicula, cutis cuti cuticula, clavis clavi clavicula, rete reti reticulum, fons fonti fonticulus, mons monti monticulus, pons ponti ponticulus, lens lenti lenticula, pars parti particula, [dulcis dulci dulciculus dulcicula dulciculum,] securis securi securicula. Plautus in Rudente: *Post altrinsecus est securicula ancipes.* [Cicero in III. Tusculanarum: *Dulciculae potionis aliquid videamus.*] Similiter fidis fidi fidicula. Idem in II. de Natura Deorum: *Si platani fidiculas ferrent numerose sonantes.* Nam si esset fides in hac quoque significatione, ut Servio placet, non fidi-

---

facile desideraturum esse, si absit. Sed Codd. consensui parendum esse videbatur. Lips. 3. *ut lepusculus. Cicero de signis.* v. Ind.

illa quidem certe. MS. Dresd. *illae.*

§. 50. *Cicero pro Cluentio.* Cap. 38. *Qui imperitorum — aucupantur.* Parum diligenter locos veterum scriptorum a Prisciano allegatos esse, his quoque locis docere potest. Caute igitur et circumspecte adhibendi sunt Grammaticorum libelli ad emaculandos scriptorum libros. Verendum est enim vel maxime, ne, nisi prudenter hoc institueris, plus naevorum adspergas, quam detergas. Pro *qui* MS. Dresd. *quod.* Pro *aucupantur*, quod Edd. vulgatae habent, nostri MSS. et Edd. Ven. 1 2. exhibent *aucupant.* Idque hac auctoritate feroces recepimus. MS. Dresd. *occupant.*

Plautus in Poenulo. Act. I. Sc. 2. vs. 27. Sequentem Plauti locum in Cistellaria, qualis nunc quidem circumfertur, non legi, jam dudum notaverunt Editores.

omnia. Codd. nonnulli *nomina.*

dulcis dulci dulciculus — a — um. Hoc exemplum nominis adjectivi hoc loco allatum valde offendit, cum tantum de substantivis sermo sit. Accedit, quod in Codd. non magis, quam locus e Dispp. Tusc. allegatus, incertam sedem habet, et in nonnullis MSS. mediis istis substantivorum formis insertum reperitur. Eliminassem e textu, nisi Codicum auctoritas obstitisset, haec verba tuentium. Uncis igitur ea inclusisse satis habui. Locus Ciceronis reperitur in Libri III. Cap. 19.

Plautus in Rudente. Act. IV. Sc. 4. vs. 114.

Idem in II. de Nat. Deor. Cap. 8. Pro *ferrent*, quod Lips. e

31 cula fecisset, sed fidecula. Et cum omnia hujuscemodi diminutiva tam penultimam quam antepenultimam corripiunt, cuticula i antepenultimam producit. Iuvenalis: *Combibet aestivum contracta cuticula solem.* Quod eum facere metri necessitas compulit. Quatuor enim breves habens dictio in heroico poni non aliter poterat: quamvis Virgilius in hujuscemodi nominibus, id est quatuor breves habentibus, soleat proceleusmaticos ponere, ut *Labat ariete crebro.* Excipitur lapis, quod lapillus facit diminutivum, anguis anguilla. Unguis ungula facit: quae tametsi formam habere videntur dimi-
VI nutivi, significatione tamen non sunt diminutiva. Se-
32 cundum supradictam formam quartae quoque declinationis nomina faciunt diminutivum. Us enim vel u nominativi in i convertunt correptam, et accipiunt in masculino culus, in foeminino cula, in neutro culum, ut currus curriculus: dicitur tamen et hoc curriculum: versus versiculus, artus articulus, fluctus flucticulus, anus anicula, cornu corniculum, genu geniculum. Excipitur ab acu aculeus. In x omnia vel in

---

auctoritate propugnatur, alii *terrent*, ut Dresd. Heidelb. Erl. 1. 2. Lips. 1. 3. Luth. *numerosa.* Libri Cic. editi *numerose.* Edd. Ven. 1. 2. *innumerosa.* Equidem auctoritate MS. Heidelb. *numerosae* praestantis adverbium posui. In Lips. 1. supra *idem Plautus* (quis credat!) scriptum reperitur.

§. 31. *antepenultimam corripiunt.* Posui Codd. Zwicc. Heidelb. Luth. Dresd. Lips. Erl. auctoritate pro conjunctivo indicativum. Nam *cum* h. l. idem est, quod *dum* (während); nullo vero modo causalis est conjunctio.

Iuvenalis. XI, 203. *combibet aestivum.* Edd. Ald. Ven. 1. 2. Colon. Bas. Putsch. *cum bibet.* Edd. Bas. Colon. *aestatum.* Edd. Ald. Ven. Putsch., ut nos, *aestivum.* Lectio, quam recepimus, reperitur in MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Mox pro *aliter non* posui Codd. auctoritate *non aliter.*

Labat ariete crebro. Aen. II. 492. Ante haec in Edd. leguntur *genua labant.* Absunt a MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 2. Lips. 1. 2. Heidelb. In uno vel altero Cod. legitur *proceleusmaticum*, recte, ut mihi quidem videtur.

Excipitur lapis, quod lapillus facit diminutivum. Sic MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 2. Lips. 1. 3. Heidelb. Reliqui, qui ad librorum vulgatorum sententiam vel prope accedunt vel plane transeunt, in quibus haec leguntur, *lapis lapillus, quod lapidiculus facere debuit diminutivum*, inter semet ipsi discrepant. Nemo etiam facile negabit, glossematis speciem ea, quae a libris adduntur, referre.

as supra syllabam, vel in t desinentia, genitivi extremam terminationem, id est is in u convertunt, et accepta lus la lum, faciunt diminutiva, ut rex regis regulus, codex codicis codiculus, et ex eo codicillus, haec fornax fornacis fornacula, fax facis facula, cervix cervicis cervicula, adolescens adolescentis adolescentulus, caput capitis capitulum. In es productam desinentia 53
foeminina tertiae declinationis vel quintae, abjecta s, assumunt cula, et faciunt diminutiva, et servant e productam, ut vulpes vulpecula, nubes nubecula, dies diecula, res recula. Plautus in Cistellaria: *Siquidem impetres pro copia, pro recula.* Vepres veprecula. Cicero pro Sextio, *vepreculis extracta nitedula.* Excipitur merces, cujus is genitivi in ula conversa, facit diminutivum mercedula. Cicero de oratore primo: *Infidi homines mercedula adducti ministros se praebent in judiciis oratoribus.* Et apes, cujus diminutivum pro e longa i habuit, apicula. Plautus in Curculione: *Ego nam apicularum opera congestum non feram?* In us terminans 54
unum tertiae declinationis commune trium generum

---

§. 52. *Secundum supra dictam formam.* Haec in Edd. Colon. Bas. ad praecedentia pessime trahuntur. Putschius jam Prisciano hanc maculam abstersit. Ego Codices meos hac quoque in re, ut debui, secutus sum.

ab acu aculeus. Vulgo additur *domus domuncula.* Sed MSSi et Editiones antiquissimae tantopere in his vocibus exprimendis dissentiunt, ut hic dissensus luculentissime doceat, ab glossatore adjecta esse. Expuli igitur auctoritate etiam MS. Heidelb. Ne tamen temere fecisse videar, notabo lectionis varietatem. In Edd. Ven. 1. 2. ante *acu* leguntur. MS. Dresd. *a domo domuncula.* Luth. *a domu domuncula.* Erl. 2. *a domus [domu] domuncula.* Zwicc. 1. *excipitur domus domuncula, nam deberet esse domicula.* In hoc Codice ut glossema apparet. Taedet reliquorum etiam Codd. diversitatem notare.

§. 53. *Plautus in Cistellaria: Siquidem — recula.* Non reperiuntur haec verba in ea, quae hodieque superest, Plauti Cistellaria.

Cic. pro Sextio. Est Cap. 59. Sequens Cic. locus reperitur in Lib. I. de orat. Cap. 45. Ernestius pro *infidi*, quod apud Nostrum Codd. meorum omnium et quotquot vidi Editionum auctoritate legitur, edidit *infimi.*

Plautus in Curculione. Act. I. Sc. 1. vs. 10. *Ego nam.* Ita scribendum mihi erat propter consensum MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Sed Edd. Ven. 1. 2. *nomen. congestum.* Putsch. cum Edd. Colon. Bas. Ald. *congesta.* Quem nos edidimus singularem praestant MSS. plerique et Edd.

abjecta s, assumit lus in diminutivo, ut vetus vetulus, foemininum vetula, neutrum vetulum. Persius: *Tun' vetule auriculis alienis colligis escas?* Iuvenalis in primo: *Vetulae vesica beatae.* Sus quoque commune, abjecta s, et assumpta cula facit diminutivum sucula. Plautus in Rudente: *Quin tu i directa cum sucula et porculis.* In o desinentia, si faciunt diminutiva, convertant o in un, et accipiunt culus vel cula, ut tiro tirunculus. Iuvenalis in IV.: *Nec frustum capreae subducere, nec latus Afrae novit avis noster tirunculus, ac rudis omni tempore.* Latro latrunculus, carbo carbunculus. Cicero ad Herennium in IV.: *Aut si Prometheus cum mortalibus ignem dividere vellet, ipse a vicinis testula ambulans, carbunculos corrogaret.* Pedo pedunculus, curculio cur-

---

Ven. 1. 2. MS. Heidelb. tuetur vulgatam. Lips. 1. *congestam.* Erl. 1. *operam.* MS. Lips. 3. *Ergo nomen apicularum congestum non feram.*

§. 34. *Persius:* I. 22. *Tun' vetule. vetule* posui pro *vetulae.* Ita MSS. Erl. 1. 2. Lips. 1. Plurimi Codd. pro *tune* vel *tun'* habent *tum*, quod et Edd. Ven. 1. 2. exhibent. At vero Codd. Zwicc. 1. Erl. 1. Heidelb. ponunt *tune*, ut dubitare non possis, quomodo legendum sit. MS. Heidelb. tuetur quidem *vetulae*, is vero et *aescam* ponit, ut dubitare non liceat, in hoc Cod. *e* et *ae* saepe confusas esse. Pro *escam*, quod Edd. Ald. Bas. Colon. et Putschiana quoque habent, reposui *escas* ex MSS. Lips. 1. Erl. 2. et Edd. Ven. 1. 2. Ita et editi Persii libri.

Iuvenalis in primo. vs. 39.

Plautus in Rudente. Act. IV. 4. 126. Codicum in hoc loco magna est varietas. Nos Putschium et MS. Zwicc. 1. secuti sumus. MS. Lips. 2. *Sucula quin tu die recta* et rel. Erl. 2. *Quin tu die recta.* Erl. 1. *Sucula quinta die recta.* Dresd. *sucula protulit quinta porrecta.* Lips. 1. *Sucula quin tu die recta.* MS. Heidelb. *quin tu die recta.* Lips. 3. *sutula quinto die et recta curricula cum porculis.* Luth. *Sucula quin tu die recta.* Ed. Ven. 1. *quinto die recta.*

Iuvenalis in IV. Est Sat. XI. vs. 142 seqq. Hunc, quem posuimus numerum, dederunt MSS. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Vulgo *III. Nec frustum.* Ita Lips. 1. Heidelb. Lips. 2. hic tamen e correctione. MSS. Dresd. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. *fructum. capreae.* Ita Lips. 1. 2. Erl. 1. Dresd. Reliqui cum Edd. Bas. Colon. Ven. Putsch. *caprae.*

ac rudis omni. Vulgo, *et novus omni.* Ita Putschius quoque. Quam dedimus lectionem, debemus MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb.

Cic. ad Herennium in IV. Cap. 6. *testula.* MS. Dresd. *cestula.* Ita et MS. Zwicc. 1. e correctione. In Ed. Ern. *cum testa.*

Plautus in Rudente. Act. V. Sc. 2. vs. 38. Pro *curculiunculos*

culiunculus. Plautus in Rudente: *curculiunculos minutos fabulare.* Virgo virguncula. Iuvenalis in II.: *Tuna cum virguncula Iuno.* Ratio ratiuncula. Terentius in Phormione; *Erat ei de ratiuncula.* Offensio offensiuncula. Cicero pro Plancio: *Ista in aedilitate offensiuncula accepta.* Item lolligo lolliguncula. Plautus in Casina: *Emitto sepiolas lepidas lolliguncula.* Homo homunculus. Plautus in Rudente: *Homunculi quanti estis, ejecti, ut natant.* Dicitur tamen et homuncio et homullus et homullulus. Idem in eadem: *Homullus ex argilla et luto fictus.* Leno lenunculus vel lenulus. Plautus in Poenulo: *Sic dedero e militari tetigero lenunculum.* Idem in eadem: *Ita ut coepi hoc dicere lenule de illa pugna.* Similiter facit diminutionem fur furunculus.

---

non unus Cdd. *gorgulhunculos.* In MS. Heidelb. nota interbaeari haec traduntur super *corculio* scripta: nocens frugibus vermis; quod paene nihil est aliud nisi guttur; gurgulio autem est meatus in gutture, qui partes capitis petit.

Iuven. in II. Sat. XIII, 40.

Terentius in Phormione. Act. I. Sc. 1. vs. 2.

Cicero pro Plancio. Cap. 21.

Plautus in Casina. Act. II. Sc. 2. vs. 58. *Emitto.* Facile praevideo fore, ut hac recepta lectione in gravissimas incurram reprehensiones. Nam praestantiorem *emitto*, quam Edd. Colon. Bas. Ald. Putsch. et Editiones Plauti habent, expuli et pejorem, sensu, si contextum consulueris, plane destitutam, reduxi. At vero, quod in hac causa plurimum valet, Codices mei omnes unanimi consensu, nulla lectionis varietate, scribi sic imperant. Et huic ponderi haud leve momentum addunt Edd. Ven. 1. 2. Ergo ob hanc lectionem aut librarii notandi sunt, aut Priscianus ipse erroris arguendus est. Cujus illum non unus locus reum facit, ita ut jure meritoque a scriptorum, quos allegavit, Editoribus gravissime objurgatus esse videatur.

Plautus in Rudente. Act. I. Sc. 2. vs. 66.

Idem in eadem (fragmentum): *Homullus ex argilla et luto fictus.* Ita Codd. Lath. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. Heidelb. Duo Codd. Dresd. Erl. 2. pro *fictus* legunt *factus.* Vulgo, *Homullulus et ex argilla et ex luto fictus.* Edd. Ven. 1. 2. Ald. *Homulus.*

Plautus in Poenulo. Act. V. Sc. 5. vs. 7. *Sic dedero e militari — lenunculum.* Aliter propter Codicum consensum scribere nec dubui nec potui. *Ad* unum omnes *dedero* et *emilitari.* Sic Lath. Zwicc. 1. 2 Dresd. Lips. 1 2. Erl. 1. 2. Ia et Edd. Ven. 1. 2. MSS. Heidelb. *Si* (e luculenta corr pro *sic*) *dedero.* Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. *Sic tortorem aere militari* et rel. In illo *e militari* supplendum esse videtur *more, modo, ratione* vel tale quid.

Idem in eadem. Act. II. Sc. 1. vss. 23. *ita ut coepi hoc.* Plauti

Cicero in Pisonem: *Olim furunculus, nunc vero etiam*
35 *rapax.* In nus, sive habeant ante n aliam consonantem, sive non: et in lus, si non habeant geminatam l, et in er secundae declinationis nomina duplicant l ante us in diminutivis, ut asinus asellus, geminus gemellus, bonus bellus, pugnus pugillus, agnus agnellus, quod ideo servavit n, ut sit differentia inter agri diminutivum, quod est agellus. Anulus anellus, oculus ocellus, populus popellus, catulus catellus, tener tenellus, liber libellus. Et sciendum, quod omnia e habent penultimam absque pugillo, nisi primitiva penultimam habeant natura productam in omni genere. Tunc enim servant primitivi vocalem, ut unus una unum, ullus ulla ullum, vi-
36 num villum. Excipitur unum in lus desinens, paulus, quod non geminavit l in diminutivo. Nec mirum, cum au diphthongus post se geminari consonantem prohiberet. Facit igitur paulus paululus, et ex hoc pauxillus et pauxillulus. Quas formas servant et foemininum et neutrum ejus, paula paulula, pauxilla pauxillula, paulum paululum, pauxillum pauxillulum. Similiter velum vexillum facit diminutivum. Et puto ideo haec assumpsisse x, quia haec in lus vel la vel lum desinentium primitivorum facientium diminutiva penultimam natura longam habent, paulum pauxillum, velum vexillum. Ideo mala quoque, assumpta x, facit maxilla, et

---

Edd. *occoepi.* Hoc omittitur in MSS. Zwicc. 1. Lips. 2. Luth. Erl. 1. MSS. Erl. 2. Lips. 1. Heidelb. addunt *hoc.* Retinui ergo. Edd. Ven. 1. 2. *coepi hoc.*

Cicero in Pisonem. Cap. 27. Hic locus inde a *Similiter facit diminutionem — rapax* propter sedem in MSS. vexatus est. MSS. Zwicc. 1. 2. Dresd. Luth. Lips. 1. Erl. 1. Edd. Ven. 1. 2. ponunt post *homullulus*, ex quo illud incommodi nascitur, quod locus Plautinus, qui ad probandam formae illius veritatem allegatur, disjungitur ab eo, cui inservit. Quare secutus sum Codd. Lips. 2. Erl. 2. et quo in Edd. Colon. Bas. Ald. Putsch. posita sunt haec verba loco reliqui. Si quis suspecta habuerit, ego non adversarer.

§. 36. *prohiberet.* Vulgo *prohibeat*, quod vereor ne propterea etiam falsum sit, quia antecessit *geminavit.* Secutus ergo sum MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb.

et ex hoc. MS. Lips. ignorat.

vel la vel lum desinentium MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Vulgo, *in la, in lum.*

Ideo mala quoque, assumpta x, facit. Vulgo, *ideoque mala as-*

talus taxillus. Pomponius: *Interim dum contemplor oc-*
cam, taxillos perdidi. Quae vero geminant l ante us vel
a vel um, in ulus ula ulum faciunt iterum diminutiva,
ut homullus homullulus, pauxillus pauxillulus, pauxilla
pauxillula, pauxillum pauxillulum. Foeminina quoque 57
in na desinentia, sive habeant ante n aliam consonan-
tem, sive non, geminant l in diminutivis ante a, ut ca-
tena catella, asina asella, gemina gemella, columna co-
lumnella. Excipitur rana ranunculus. Eandem formant 58
in la quoque desinentia, vel ra servant, ut fabula fabel-
la, tabula tabella, libra libella, capra capella, umbra
umbella, sacer sacra sacrum, sacellus sacella sacellum,
puer puera, antiqui, ex quo puella; tener tenera tene-
rum, tenellus tenella tenellum, miser misera miserum,
misellus misella misellum. Excipiuntur in ra desinen-
tia, quae nec a masculinis in er desinentibus fiunt, nec
habent ante r aliam in eadem syllaba consonantem, ut
ara arula, terra terrula, litera literula. Neutra quoque VII
in num desinentia geminant in diminutione l ante um, 38
et si g habent ante n in penultima syllaba diminutivi i,
non e, accipiunt, ut tignum tigillum, signum sigillum.
Alia vero e habent in penultima, nisi sit, quod superius
docuimus, penultima primitivi naturaliter longa, ut bo-
num bellum, geminum gemellum, scamnum scamel-
lum. Apulejus tamen in L. Hermagorae: *Verum infirma*

---

sumpsit x cum facit. Nostram lectionem vulgatae praebere, id qui neget, nemo facile erit, nisi qui Priscianum intactum reliquerit. Confirmatur etiam MSS. auctoritate Erl. 2. Lips. 3. Omnes pro *que* praebent *quoque*. Reliqui variant. Zwicc. 1. Dresd. Heidelb. Lips. 1. *assumpsit x. maxilla facit.* Lips. 2. *assumit x, maxilla.* Haec lectio simplicitate commendatur. MSS. Luth. Zwicc. *assumpsit x et facit maxilla.*

§. 57. *Excipitur rana ranunculus.* Addunt Edd. praeter Ven. 1. 2. veterimus *luna lunula.* Expuli haec verba MSSorum mandato, omnium quidem in hac re consentientium. Mox *antiqui* scripsi pro *antique* MSS. Luth. Dresd. Heidelb. auctoritate.

§. 58. *scamellum.* Ita MSS. Zwicc. 1. 2. Erl. 2. Lips. 1. Heidelb. pro *scamnellum*, quod falsum est. Mox *scamillorum* dedi pro *scamnillorum* auctoritate MSS. Erl. 2. Heidelb. Ed. Ald. MSS. Lips. 2. Luth. *scamullorum*, quod haud dubie idem pronunciatione valet, quod *scamillorum*. Ger. Jo. Voss. Lib. I. p. 261. scribit *scamillorum* sine ulla haesitatione. Possime Putschius *scamnellorum*.

scamillorum, obice fultae fores. Quae vero in um desinunt, i penultima antecedente, mutata i ultima genitivi in o, et accepta lum, faciunt diminutivum, ut negotium negotiolum. Plautus in Cistellar.: *Datores bellissimi negotioli, senecis, soletis esse.* Similiter in illum vel ellum, faciunt diminutiva in lum vel in xum desinentia, ut tantulum tantillum, lucrum lucellum, cerebrum cerebellum, flabrum flabellum, flagrum flagellum,
39 castrum castellum, sacrum sacellum. Et scire debemus, quod ellus vel illus desinentia diminutiva, si a dissyllabis derivantur, assumunt unam syllabam, ut agnus agnellus, liber libellus, culter cultellus, paulus pauxillus. Similiter foeminina ella vel illa terminantia, capra capella, libra libella, umbra umbella, paula pauxilla; sicut etiam neutra ellum vel illum exeuntia, tignum tigillum, signum sigillum, lucrum lucellum. Excipiuntur a desinentibus in nus, vel na, vel num, quae nullam habent consonantem antecedentem in eadem syl-
8 laba ante n, venientia, ut a bono, uno, vino derivata. Haec enim pares habent syllabas primitivis, bonus bona bonum, bellus bella bellum, unus una unum, ullus alla ullum, vinum villum. Notandum etiam pannus, quod

---

ut negotium negotiolum. Edd. Ald. Ven. 1. 2. Bas. Colon. Putsch, post *ut* ponunt *pallium palliolum.* Expunxi, non solum quod inf a §. 41. idem exemplum in medium affertur, sed etiam quod a Codd. Lips. 3. Heidelb. abest et in MSS. Lips. 1. Luth. ab aliena manu supra scripta conspiciuntur, et quod denique in his duabus vocibus varietas lectionis reperitur. MS. Erl. 1. *ut a pallium palliolum.* Erl. 2. *pallium pallii palliolum.* Dresd. *paulum paulioli,* — *Datores bellissimi negotioli, senecis, soletis esse.* Ita edidi secundum Codices meos, qui infra Lib. VI. Cap. 18. §. 94. hunc locum rectius, quam hic, exhibent. Edd. Ald. Colon. Bas. exhibent *seneces.* Putsch. *senicis.* Edd. Ven. 1. 2. *foenices vos.* MS. Zwicc. 2. *vos* post *bellissimi.* Heidelb. Zwicc. 1. *senicis.* Luth. *foenices vos.* Lips. 2. *foenices vos.* Erl. 2. *soletis esse Phoenices.* Erl. 1. *datores bellissimos felices soletis esse.* Dresd. *bellissimos foenices,* omisso *vos.* Lips. 1. ante correctionem, quam expertus est: *bellis simis — aeni et ces solet is.* Post correct. *bellissimis vos vos negotioli senicis esse.* Lips. 3. *bellisimos negociolli fenices soletis esse.* — §. 39. *quod ellus vel illus.* Ita MSS. Vulgo *in ellus et in.* Saepius MSS. praeposit. *in* ejusmodi in formulis deleri jussérunt. *Iuvenalis in II.* Est Sat. VI. vs. 259. Mirari satis non possum, omnes omnino Codices vocem *panniculas* ponere ante *urit*, et postponere *bombycinus.* At vero panniculus *i* brevem ha-

panniculus facit. Iuvenalis in II. *Quarum delicias etiam bombycinus urit panniculus.* A trisyllabis quoque venientia diminutiva, quae geminant l, pares habent syllabas primitivis, ut oculus ocellus, catulus catellus, geminus gemellus, fabula fabella, tabula tabella. Excipiuntur, quae in primitivis ante n aliam habent in eadem syllaba consonantem. Haec enim unam addunt syllabam diminutivis, sicut etiam dissyllaba ejusdem terminationis, ut columna columnella, sicut agna agnella, tignum tigillum. In us desinentia secundae declinationis nomina, e vel i antecedentibus, mutant us in o, et accepta lus, faciunt diminutiva, ut urceus urceolus. [Iuvenalis in primo: *Urceoli sex.*] Alveus alveolus, luteus luteolus, malleus malleolus, aureus aureolus. Plautus in Epidico: *Lunulam atque anellum aureolum.* Capreolus quoque videtur a nominativo capreus esse, cujus foemininum in usu est caprea. Nam capra a capro fit, ex quibus capellus et capella fiunt diminutiva. I quoque antecedente, filius filiolus, gladius gladiolus, Sergius Sergiolus, Tullius Tulliolus, Patritius Patritiolus. Excipitur Antonius, quod Antoniaster facit diminutivum. Cicero pro Vareno: *Lucius ille Septimius diceret*

---

bet. Id quidem verum est, hunc versum in Edd. Iuvenalis aliter legi, cum *quarum* antecedentem versum claudat, et pro *etiam* legatur *et*, ita ut *bombycinus* ad hunc ipsum versum pertineat, non ad alterum, ut hoc quidem loco. Fieri potuit, ut Priscianus tantum *panniculus urit* scripserit, reliqua vero postea addita sint.

syllabas primitivis. Vulgo *syllabas suis primitivis.* Nos Codd. secuti sumus.

§. 40. *Iuvenalis in primo: Urceoli sex.* Hunc locum uncis inclusi propterea, quod a quatuor Codd. optimis, Lips. 1. (nisi quod ex luculentissima corr. ab glossatore supra scriptum habet) Erl. 2. Lips. 2. Heidelb., plane omittitur et in Codd. Luth. Lips. 3. infra §. 41. alienissimo loco adglutinatur.

Plautus in Epidico. Act. V. Sc. 1. vs. 31. *Lunulam atque anellum.* Ita MSS. Lips. 1. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. Erl. 2. Heidelb. MS. Dresd. *lunam.* Lips. 2. Dresd. *anulum.* Edd. Ven. 1. 2. *Lunulam et anulum.* Ald. *Lunulam et annulum.* Putsch. *Lunulam et anellum.* Quam in textum recepimus lectionem, editi etiam Plauti libri exhibent.

gladius gladiolus. Sequitur in Edd. Ven. 1. 2. Ald. Colon. Bas. Putsch. *a propriis.* Delevi Codd. auctoritate Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. In Lips. 1. supra scriptum est. Abundat glossema.

Cic. pro Vareno. Est fragmentum orationis deperditae. *Lucius.*

etenim est ad Lucii Crassi eloquentiam gravis, et vehemens, et volubilis. Erucius hic noster Antoniaster est.

41 Foeminina quoque e vel i ante a habentia in ola faciunt diminutiva, ut laurea laureola, uncia unciola, filia filiola, Tullia Tulliola, lutea luteola. Virgilius in Bucolico: *Mollia luteola pingit vaccinia calta.* Iuvenalis in I. *Unciolam Proculejus habet, sed Gillo deunceem.* Neutra e vel i ante um habentia in diminutivis o habent ante lum, ut luteum luteolum, pallium palliolum. Iuvenalis in I. *Dorida nullo cultam palliolo.* Laureum laureolum. Iuvenalis in III. *Laureolum velox etiam bene Lentulus egit.* Alia vero omnia in us terminantia supradictae declinationis nomina, abjecta s, accipiunt lus, et faciunt diminutiva, ut tantus tantulus, ventus ventulus, servus servulus, parvus parvulus, Graecus Graecu-

42 lus, paucus pauculus, primus primulus. Foeminina quoque in a desinentia consonante ante posita in um, neutra in ula et in ulum faciunt diminutivum, ut sylva sylvula, luna lunula. Plautus in Epidico: *Lunulam atque anellum aureolum.* Rubicunda rubicundula, lingua lingula, et per concisionem ligula; puella puellula, serra serrula. Cicero pro Cluentio: *Ex omni parte dentatam et tortuosam venire serrulam.* Aqua similiter aquula. Plautus in Curculione: *Ne, quod hic agimus, herus percipiat fieri mea Planesium, mane suffundam aquulam.* Similiter anima animula, equa equula. Plautus in Cistellaria:

Plures Codd. *Lucillius.* *Erucius* varie in libris et scriptis et editis scribitur. Lips. 3. *eruditius.* Erl. 1. *Erutius.* Dresd. omittit. MS. Lips. 2. *Ericius.* Lips. 1. *heruditius.* Post *Antoniaster* adjeci *est* e Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb. Ita hoc fragmentum etiam apud Ern. legitur.

§. 41. *Virg. in Bucolico.* II. vs. 50. *Iuven. in I.* Est vs. 40. *Iuvenalis in primo.* Sat. III, 94. 95. *Iuvenalis in tertio.* vide Ind.

§. 42. *Cicero pro Cluentio.* Cap. 64. *Plautus in Curculione.* Act. I. Sc. 3. vs. 3. Septem Codd. omittunt *ne.* Unus Lips. 1. *neque.* Illud *ne* haustum fortasse est ab ultima syllaba nominis fabulae, quod proxime antecedit. Sed ne sic quidem sanus e Codd. restitui poterit locus. Nam illi ad unum omnes *perspiciet* futurum, non subjunctivum ponentes. Quae cum ita sint, omnium rectissime Edd. Ven. 1. 2. cum MS. Heidelb. ita legunt: *Quae hic agimus, herus perspiciet.* Equidem hanc auctoritatem secutus essem, nisi Cod. Lips. suum *neque* obtulisset.

Adhinnire equulam possum, ego hanc si detur sola soli. Area arcula, mensa mensula. Plautus in Mostell. *Cedo mihi speculum, et cum ornamentis arculam.* Idem in eadem: *Age accumbe igitur, cedo aquam manibus, puere, appone hic mensulam.* In ulum, primum primulum, tantum tantulum. Et haec tamen et in olus desinentia una syllaba vincunt sua primitiva. In aster, et cio, et 45
leus, satis pauca inveniuntur in usu diminutiva, et fere haec: Antonius Antoniaster, surdus surdaster. Cicero in Tuscul. V. *Erat surdaster M. Crassus.* Parasitus parasitaster, catulus catulaster, homo homuncio, senex senecio. Afranius in Prodito: *Tu senecionem hunc satis est si servat anus.* In leus, equus equuleus. Cicero in Verrem de signis: *Equuleos argenteos nobiles quique maximi fuerant aufert.* Haec acus hic aculeus, oculus oculeus. Usi sunt auctores etiam quibusdam Graecis diminutivis, ut Terentius: *Aedepol Syrisce te curasti molliter.* Inveniuntur multa propria sive appellativa, quae 44
cum non sint diminutiva, formas tamen habent diminutivorum, ut caniculus, aniculus, Metellus, Camillus, Tibullus, frivolus frivola frivolum, tabula, Camilla, vinculum, periculum. Et sciendum, quod pauca inveniuntur diminutiva, quae non servant genera primitivorum, ut haec rana, hic ranunculus: hic canis, haec canicula: scutum vel scuta, id est forma rotunda, scutula et scutella. Lucilius in V. *Scutam ligneolam*

Plautus in Cist. Est ex fragmentis. *Plautus in Mostellaria.* Act. I. Sc. 3. Sequens locus est ex eodem actu, eademque sc. vs. 150.

Et haec tamen. Apposui *et* e Codd. meis.

§. 43. *Inveniuntur.* Ita Codd. Vulgo *reperiuntur.*

Cic. Tusc. Disp. V. Cap. 40.

Afranius in Prodito. Sic scripsi e Codd. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. MS. Lips. 3. *Prodico.* Ita et Putschius. Edd. Colon. Bas. Ald. *Proclito.*

Cicero in Verrem de signis. Actio IV. Cap. 20. Pro *quique* MS. Zwicc. 2. *quoque.* Lips. 1. *quia.*

Terentius. Adelphi Act. V. Sc. 1. vs. 1.

§. 44. *scutum vel scuta.* Ita Codd. Vulgo, *hoc scutum vel haec scuta.*

Lucilius in V. Ita Codd. Zwicc. 1. Luth. Heidelb. Lips. 2. et alii. Edd. etiam Ven. 1. 2. MS. Lips. 3. *in tertio.* Vulgo *in VI.* Pro *Lucilius* MSS. Erl. 1. 2. Lips. 3. Edd. Ven. 1.

in cerebro infixit. Hic qualus, hoc quaxillum, pistrinum pistrilla, haec acus, hic aculeus. Et praeterea anguis anguilla, unguis ungula, nubes nubilum: quae magis denominativa sunt existimanda quam diminutiva. Quippe non habent diminutivorum significationem, sed formam tantum. Praeterea panus panicula. Lucilius in IX. *Intus modo stet rectus subteminis panus.* Probus etiam ponit hoc glandium, haec glandula; pars est intestinorum. Ensis ensiculus ensicula; praeterea haec beta, malva, hic betaceus, malvaceus.

---

2. *Lucius.* MS. Dresd. *Lutiolus.* Pro *scutam* MSS. Dresd. Erl. 1. *scutulam.*

in cerebro. Ita MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. Heidelb. MS. Dresd. *in cerebrum.* MS. Lips. 2. *infinxit.* Post haec sequuntur in Edd. *dies diecula.* Omisi Codicum meorum omnium auctoritate.

panus panicula. Edd. Ald. Ven. 1. 1. Colon. Bas. Putsch. *panus panula vel panicula.* Nos Codd. Lips. 1. 2. 3. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Dresd. secuti *panula vel* omisimus. In scriptura vocis *panicula* duces Codd. Lips. 2. Erl. 1. secuti sumus. Reliqui fere omnes, Lips. 1. Erl. 2. Luth. Heidelb., *panucula.*

Lucilius in IX. Vulgo *VIII.* Ego Codd. Erl. 2. Zwicc. 2. Lips. 1. vestigiis insistere non dubitavi. Lips. 3. *in III. Intus modo stet rectus subtemine panus.* In Edd. Colon. Bas. pro *modo, verò.* Edd. Ven. 1. 2. *modo vero* conjungunt. *Modo pro vero* praestant MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. *subteminis* scripsi pro *subtemine*, secutus in hac re praestantiores MSS. Lips. 1. Erl. 1. Heidelb. Luth. nisi quod in hoc e supra scriptum est. MS. Lips. 3. *subremine.* MS. Lips. 2. *sub tecmine.* Dresd. *sub tegmine.* Erl. 2. *sub tenue.* Edd. Ven. 1. 2. *sub tegmine.* Charis. Lib. I. p. 82. ed. Putsch. *Subtegminis pannus.* Ibi legitur etiam *Lucilius in quarto.* Ger. Jo. Voss. Inst. A. G. Lib. IV. Cap. 29. omisso *intus* ita hunc versum allegat *modo stet rectus subtemine panus.*

LIBER QVARTVS.

Denominativum appellatur a voce primitivi sic nominatum, non ab aliqua speciali significatione, sicut suprádictae species. Habet igitur generalem nominationem omnium formarum, quae a nomine derivantur. Nam patronymica et possessiva et comparativa et superlativa et diminutiva, praeter verbalia et adverbialia, et ea, quae ex praepositionibus fiunt, et maxima parte denominativa sunt, id est, a nominibus derivantur. Sed tamen specialem significationem habent. Unde in illorum formis quoque sunt quaedam, quae, cum non habent significationem eorum, denominativa jure appellantur, ut Timarchides proprium, Aemilianus quoque, Nobilior, Maximus, Catulus. Haec enim denominativa sunt dicenda, cum significationem suarum non servent formarum, et sint propria; de quibus tamen sufficienter, 1 1

Lib. IV. Cap. I. §. 1. *appellatur.* Ita Codd. mss. mei omnes et Edd. Ven. 1. 2. Vulgo, *appellant.* Ad *primitivi* duo meorum MSS. addunt *sui.*

Sed tamen specialem significationem habent. Haec, quae in Edd. omnibus praeter Putschianam desiderantur, ego non ex illa, sed ex MSS. Luth. Lips. 1. 2. 5. Dresd. Zwicc. 2. Erl. 1. 2. in textum recepi. Miror, unde Putschius hauserit, cum Vir eruditissimus membranis, vel raro, vel non optimis usus esse videatur. Illud tamen magis etiam miror, haec verba ab Edd. Ven. 1. 2., quarum prior ad optimorum Codd. fidem facta est, abesse.

servant. Vulgo *servant.* Quae lectio quomodo cum sequente subjunctivo conciliari commode possit, equidem non video. Cupidissime igitur, quod membranae Zwicc. Luth. Erl. Lips. efflorebant, arripui, et Prisciano, bono illi capiti, restitui.

cum de iis tractabatur, monstravimus. Habent igitur denominativa formas plurimas, et diversas significationes: quae quia late sunt confusae, generali eas nominatione artium scriptores nuncupaverunt denominativa: et quia multae inveniuntur formae communes tam denominativis quam verbalibus, necnon etiam participialibus et adverbialibus, non incongruum esse existimo, de his quoque in loco una tractare. Sunt igitur formales denominativorum terminationes, sive verbalium hae: ia, ut durus duritia, prudens prudentia, sapiens sapientia. A, consonante antecedente, cantus cantilena; e, cubo cubile, sedeo sedile; i, a fruge frugi, a nihilo nihili: quae tamen magis obliqui sunt suprapositorum nominativorum, ut de nominativo et genitivo tractantes in sexto libro docebimus. O, ut cicer Cicero. V, tono tonitru. Al, cervix cervical, tribunus tribunal. Il, vigilo vigil, pugillus pugil. Vl, exulo exul, praesulo praesul. Am, nequis nequam. Vm, oliva olivetum, rosa rosetum, tendo tentorium, sto stabulum, praesideo praesidium. En, solor solamen. Ar, lacus lacunar, calx calcar, caedo Caesar. Er, eques equester, macies macer. Or, senatus senator, amo amator. Vr, satio vel saturo satur, murmuro murmur. As, primus primas, optimus optimas, civis civitas, probus probitas,

---

late sunt confusae. Ita MSS. Zwicc. 2. Erl. 2. Lips. 5. Hanc lectionem MS. etiam Lips. 1., antequam correctus erat, exhibebat. In Cod. Dresd. *et*, ab eadem tamen, ut videtur, manu, suprascriptum est. Recepi hanc lectionem, quippe quam vulgatae praestare puto, quamvis haec neque sensu bono, neque Codicum manu exaratorum auctoritate, nec denique Editorum patrocinio destituta sit. At vero, cum *denominativorum* classi hoc nomen propterea impositum sit, quia voces complectitur, quae propter significationum diversitatem angustis communis nominis limitibus comprehendi facile non possint, quarum ergo significationes *late confusae*, hoc est, ex omnibus significationum generibus mixtae sunt, recte mihi hanc lectionem recepisse videor.

in loco una tractare. Parum aberam, quin ad *loco* adderem *hoc*, quod MSS. Lips. 2. Erl. 2., boni, ut censeo, Codices, praestant. Abstinui tamen, quia reliqui optimae notae Codices *hoc* ignorant, neque in antiquissimis etiam Editionibus ullum hujus vocis apparet vestigium, et e glossemate ortam non injuria suspicari possis. At vero, quod mei omnes Codices et Edd. Ven. 1. 2. praestant *una*, non potui non quin reponerem, cum facile appareat, imperitiae maximae importunissimam hanc

Arpinum Arpinas. Es correpta, pes pedes, equus eques, tego teges. Er producta, ut pauper pauperies, acus acies, sepio sepes, struo strues, sterno strages. Is, aedes aedilis, rex regalis, penetro penetrabilis, amo amabilis, Athenae Atheniensis, Sicilia Siciliensis. Os, lepus lepos, custodio custos. Vs pura, occido occiduus, et ab assideo vel ab asse, ut quibusdam placet, assiduus. Vs diversis consonantibus antepositis, saxum saxosus, spuma spumosus, vito vitabundus. Et a participiis, versus, saltus, quando quartae sunt declinationis: et ab adverbiis, supra vel super superus, infra inferus, extra externus, hodie hodiernus. In x, fur furax, capio capax, audeo audax, verto vertex. In duas consonantes, ut Picenum Picens, Tyburtum Tyburs.

Ergo in a desinentia denominativa i habent brevem ante a, vel l, vel n, vel r, ut sapientia, acrimonia, cautela, suadela, tonstrina, armatura. Inveniuntur tamen in verbalibus etiam alias consonantes ante a habentia, sed quae a verbis accipiunt, ut scribo scriba, convivo conviva, colligo collega. Secundae igitur declinationis nomina in us desinentia, e antecedente, quotcunque sint syllabarum, nisi sint regionum nomina, quae derivantur ex his. Alia vero, quacunque consonante ante us posita, tantum dissyllaba, et quae in is

---

correctionem acceptam referendam *esse*, quam Putschium quoque Prisciano obtrudere non dubitasse jure meritoque miramur. MS. Lips. 5. omittit *in loco*. Non male.

§. 2. *Sunt igitur — terminationes — hae : ia.* Quatuor meorum Codd. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. singulis terminationibus anteponunt praepositionem *in*, quam Edd. quoque Ven. 1. 2. in textum receperunt. Cum vero a reliquis Codicibus et Editionibus unanimi repudietur consensu et, ex correctione additam esse, verosimillimum sit, ego etiam a vulgato textu discedere nolui, quamvis *in x* infra ab omnibus Codd. et Editionibus parum, ut videtur, constanter positum sit.

O, ut cicer Cicero. Vulgo, *o, a cicere Cicero.* Recte, puto, absunt haec a MSS. Heidelb. Luth. In hoc enim tantum in margine ab alia quidem manu adscripta leguntur. Reliqui tamen, caeterorum Codd. auctoritate commotus, scripsi autem *ut cicer* pro *a cicere*, cum Codd. illud exhibeant.

Es correpta. Vulgo, *es correptam*, quod quomodo defendi possit, equidem non video. Tamen in hac levi quoque re Codd. consuluimus, veramque lectionem restituimus non solum hoc loco, sed mox, *er producta* pro *producta*m, et deinde, *us pura* pro *us puram* ponentes.

desinentia tertiae declinationis similem habent nominativo genitivum, quae secundae quidem sunt, genitivo; quae vero tertiae, dativo assumunt tia, ut amicus amici amicitia, inimicus inimici inimicitia, pudicus pudici pudicitia, laetus laeti laetitia, durus duri duritia, moestus moesti moestitia, stultus stulti stultitia, segnis segni segnitia, tristis tristi tristitia, i tam penultima quam antepenultima ubique correpta. Alia vero supradictis casibus assumunt a penultima i ubique in his quoque correpta, ut controversus controversi controversia, ignavus ignavi ignavia, violentus violenti violentia, superbus superbi superbia, modestus modesti modestia; miser quoque, quamvis in er desinat, miseri miseria facit; astutus astuti astutia. Similiter regionum nomina pleraque, Italus Itali Italia, Gallus Galli Gallia, Sicanus Sicani Sicania, colonus coloni colonia, Hispanus Hispani Hispania, Dardanus Dardani Dardania, Tuscus Tusci Tuscia, Graecus Graeci Graecia, Teucrus vel Teucer
4 Teucri Teucria. Similiter faciunt tertiae declinationis nomina sive participia, quae una syllaba vincunt genitivo nominativum. Assumunt enim dativo a penultima i ubique, sicut supradictum est, correpta: negligens negligenti negligentia, prudens prudenti prudentia, misericors misericordi misericordia, iners inerti inertia, inops inopi inopia, jus juri injuria, nomen nomini ignominia, Caesar Caesari Caesaria. Inveniuntur tamen quaedam, quae in monia desinunt, a nominibus sive

---

§. 4. *queror querimonia.* Edd. Ald. Colon. Bas. Putsch. *queror queri querimonia.* Edd. Ven. 1. 2. *queror queres querimonia.* Codices manu scripti, alii *quereris*, alii *queri*, alii, ut Lips. 1. Heidelb., omittunt. Hos ego non temere secutus esse videbor, deleta voce, quam ex glossemate natam esse, nemo facile dubitet.

Cicero in Verrem primo (cap. 17.): *Quare significat Glabrionis.* Pessime procul dubio fecisse multis ego videbor, quod in textum receperim lectionem ab ipsius Ciceronis verbis et consilio alienissimam. Sed hi reputent, hoc quoque loco, non quid Cicero dixerit, sed quid Priscianus scripserit, requiri. Jam vero cum Codices mei omnes, diversarum quamvis sint familiarum, denique Editiones etiam antiquissimae Ven. 1. 2. in hac lectione, inepta sane, consentiant, equidem quin, vel invitus, eam admitterem, non potui. Ergo etiam quod post *acrimoniam* in Edd. vulgatis legitur, *ceperis* iisdem jubentibus MSS. omisi.

verbis derivata, castus casti castimonia, parco parsi parsimonia, queror querimonia, acer acri acrimonia. Cicero in Verrem primo: *Quare significat Glabrionis patris vim et acrimoniam.* Consonante vero antecedente, in a desinentia denominativa seu verbalia formas habent tres, la, na, ra. La, e longa antecedente, fautus cauti cautela, tutus tuti tutela, acutus acuti acutela, custos custodi custodela, mandatum mandati mandatela, cliens clienti clientela. Et nota, quod omnia extremam vocalem, si secundae sint, genitivi, sin tertiae, dativi in e longam convertentia, assumunt la. Quae vero a verbis fiunt secundae conjugationis, a secunda persona abjiciunt a, et assumunt la, candeo candes candela, suadeo suades Suadela. Horatius in Epistolarum primo: *Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.* Na vero desinentia denominativa sive verbalia, de quibus jam diximus, cum de possessivis nus vel na vel num desinentibus tractabamus, omnimodo longam habent penultimam, vel natura, vel positione, officium officina, medicus mediuina, rex regis regina, leo leaena, doctrix doctrina, tonstrix tonstrina, coquus coquina et culina, cantus cautilena, far farina, luceo lucerna, lux lucis Lucina, lateo laterna. Nam Mutina, sagana, pagina non videntur esse derivativa. Sagana enim et saga idem significant. Ra autem terminantia omnia participiis foeminini futuri temporis simulem habent formam, unde penultima quoque u sine dubio producitur, scriptura,

---

acutus acuti acutela. Haec lectio, quae non solum in Edd. omnibus, sed etiam in Codd. praestantissimis, Lips. 1. Erl. 1. 2. Dresd., reperitur, vexatur a nonnullis libris MSS. nec iis contemnendis, Lips. 2. Zwicc. 2. Luth. qui *cutis cuti cutela* referunt. In MS. Heidelb. lectio recepta ab eadem, ut videtur, manu supra scripta conspicitur. Non a vulgata non discessimus, quippe satis tuta. Vox *acutela* addenda erit Lexicis vulgaris.

§. 5. *Horatius in Epistolarum primo.* Ep. VI. vs. 38. Mox pro *vel culina* scripsi *et culina*, sensu id et MSS. postulantibus. *sagana, pagina.* Vulgo, *sagana vel saga.* Pessime id quidem. Quid enim, die quaeso, hic *vel saga?* Recte plurimi MSS. omittunt. MS Heidelb. docet, unde orta sit lectio inepta, e glossemate scilicet, nam haec profert nota interlinearis: *id ipsum quod et saga.* Paulo post reposui Codd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Luth. Erl. 2. auctoritate *derivativa* pro *derivata*.

§. 6. *scriptura, genuina.* Vulgo interponitur, *creatura, textura.*

censura, tonsura, usura, litura, natura, armatura. Et sciendum, quod supradictae omnes formae, id est in a desinentes, proprie sunt foeminini generis. Inveniuntur tamen pauca verbalia, ut supra dictum est, masculina sive communia, consonantes verborum servantia, ut scribo, hic scriba, lego, hic collega, fugio, hic et haec perfuga, assequor assecla, advenio advena, conve-
II nio convena, convivo conviva. In e desinentia deriva-
7 tiva neutra sunt, ut sedile, monile, cubile, utile: et quia pleraque a communibus in is terminantibus nascuntur, melius cum illis tractabuntur. In i duo sunt denominativa, ut plerisque videtur, indeclinabilia, frugi, nihili, a fruge, nihilo. Quidam enim figurate frugi dativum, et nihili genitivum, ut ante dictum est, cum aliis omnibus conjungi casibus non irrationabiliter dicunt, sicut mancipi et nec mancipi, et cordi, et hujusmodi, et illiusmodi, et similia. In o masculina quidem, et communia pauca inveniuntur derivativa, ut a cicere Cicero, ab eo quod est catus, Cato, et a capite Capito, et a labe Labeo, a latendo latro, a leniendo leno, a comedendo comedo, a palpando palpo, ab epulando
8 epulo. Cicero de oratore, *Tres viros Epulones:* Foeminina vero plurima derivativa inveniuntur, modo in io, modo in go, modo in do desinentia, et pene omnia rerum sunt incorporalium. In io igitur terminantia plerunque a participiis fiunt praeteriti temporis, quorum genitivus, assumpta o et correpta i, facit hujuscemodi nomina, oratus orati oratio, accusatus accusati accusatio, status stati statio, datus dati datio, nexus nexi ne-

---

Utramque vocem Codices aut plane omittunt, aut in margine additam, aut correctione corrupti referunt. Post *natura* omisi etiam *natura*. Mox in Edd. legitur *masculina vel communia*. Ego e Codd. reposui *sive*, sensu id requirente.

§. 7. *frugi, nihili, a fruge, nihilo.* Ita Codd. Editiones *a fruge frugi, a nihilo nihili.* Mox pro *sicut mancipi et nec mancipi* Editiones male ponunt *neu mancipi.* Nam Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. hanc, quam recepimus, lectionem exhibent. Plures MSS. Lips. 2. Erl. 2. Luth. e corr. *ne mancipi.* Erl. 1. *et non* e corr. Lips. 1. 3. *et ne.* Dresd. *mancipi et cordi*, omisso *nec mancipi.*

Cic. de Oratore. Lib. III. Cap. 19.

§. 8. *hujuscemodi* scripsi pro *hujusmodi.* Mox *actus acti actio* ex Codd. Erl. 1. Dresd. reposui pro *auctus aucti auctio.* MS. Zwicc. 1. et Edd. Ven. 1. 2. *acutus acuti acutio*, quae, nisi

xio, abolitus aboliti abolitio, actus acti actio, lectus lecti lectio, perfectus perfecti perfectio, munitus muniti munitio, haustus hausti haustio. Internectus autem internecti internecio fecit euphoniae causa abjecta t. In 9
go vero desinentia, sive sint derivativa, seu primitiva vel composita, penultimam producunt, vel natura, vel positione, ut virago, compago, Carthago, sartago, caligo, uligo, rubigo, ferrugo, erugo, virgo, margo, fuligo. Excipitur unum ligo, cujus penultima corripitur, nec mirum, cum sit masculinum, et solum dissyllabum vocalem ante go habens. In do desinentia derivativa tam a nominibus quam a verbis vel participiis veniunt. Haec quoque modo e longam, vel i: modo tu habent ante do, ut acris acredo, dulcis dulcedo, intercapio intercapedo, torpeo torpedo, libet libido, cupio cupido, formido formidas formido formidinis, quod ideo fecit simile nomen verbale primitivo verbo, quod ipsa positio verbi talem habuit formam. In tudo, fortitudo, magnitudo, habitudo. Et sciendum, quod e productam ante do habentia, si a nominibus derivantur, extremae syllabae terminationes in e convertunt, et accipiunt do, ut dulcis dulcedo, acris acredo: sin a verbis secundarum terminationes personarum in e productam similiter vertunt, et accepta do, faciunt supradictae formae derivativum, ut intercapio intercapis intercapedo, torpeo torpes torpedo. Similiter i ante do habentia extre- 10
mas syllabas secundae vel tertiae personae in i longam convertunt, et accipiunt do, ut cupio cupis cupido, libet libido. Excipitur formido propter supradictam cau-

---

temere adscita et efficta est vox, Lexicis inseronda est. Ante Edd. Ven. 1. 2. pro *abolitus — abolitio, oblitus obliti oblitio. internecio fecit euphoniae causa.* Vulgo *facit.* Ut nos, MSS. complures, Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Ad sensum etiam aptius. Quod post *abjecta t* addunt Edd. Ven. *primitivi*, id quamvis Codd. nonnullorum auctoritate commendetur, ut glossatoris additamentum repudiavi.

§. 9. *penultimam.* Singularem posui pro plurali ducibus MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. *Vocalem ante go.* Per se intelligitur, esse i vocalem. Importuna glossatorum sedulitas adscripsit, et propterea legitur in Edd. *vocalem i ante go.* Mox *ideo fecit* secundum MSS. Luth. Zwicc. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. scripsi pro *facit.* Infra *vertunt* Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 2. secutus reposui pro *convertunt.*

am. In tudo vero desinentia, si a nominibus veniunt secundae declinationis, non a participiis vel participialibus, genitivo; sin tertiae, dativo assumunt tudo, i antepenultima correpta, ut amplius ampli amplitudo, magnus magni magnitudo, firmus firmi firmitudo, longus longi longitudo, celsus celsi celsitudo, multus multi multitudo, solus soli solitudo, similis simili similitudo, suavis suavi suavitudo, fortis forti fortitudo. Sin a participiis vel participialibus in tus desinentibus derivantur, abjecta s assumunt do, ut habitus habitudo. A testa quoque sive testu testudo, quod est corporale. Necnon omnia in do desinentia, quamvis non sint derivativa penultimam u habentia, producunt eam natura, vel positione, ut hirundo, arundo, hiru-
11 do. In u derivativa pauca invenies, a specus specu, pecus pecu, testa testu, tonitrus tonitru, cornus cornu. Nec interest aliquid inter primitivorum et derivativorum significationem, ideoque dubium, an sint derivativa dicenda. In al desinentia denominativa, si primitiva eorum penultimam natura vel positione habuerint productam, ea quoque longam habent penultimam, cervix cervicis cervical, tribunus tribunal, vectus vectigal, lupercus lupercal; sin illa brevem, ea quoque

---

§. 10. *arundo.* Vulgo *harundo.*

§. 12. *Quaedam enim vocalem i habent — περιεκτικά.* Hic locus in Codicibus et Editionibus aliis aliter legitur. Consentiunt quidem inter se Edd. Ald. Putsch. Colon. Bas. at vero ab iis dissentiunt MSS. Auctoritate igitur legitima prorsus destituta est lectio, quam illae exhibent. Satis sit diversitatem notasse. Ab initio hic locus in Edd. laudatis ita legitur: *Quaedam enim vocalem habent e longam ante tum, quaedam i correptam ante um, e, ut olivetum* et rel. Sed haec lectio propterea ferri nullo modo potest, quod disjungit ea, quae nectenda sunt tam rei natura, quam scriptoris consilio. Jungenda enim et uno sub titulo ponenda sunt denominativa seu derivativa, quae consonantes ante um habent, sive sit illa t, sive l, sive alia quaedam. Cum vero haec secundum vulgatam lectionem diversis locis posita, eaque, quae t consonantem ante um habent, iis, quae vocalem i habent ante um, praemissa sint, illud etiam incommodi inde natum est, quod verba, *consonantes ante um habentia derivativa diversas habent formas*, parte eorum deinde tantum posita, non recte se habent. Nihil ergo equidem dubitavi Codicis optimi Lips. 2. sequi auctoritatem, cum hic lectionem exhiberet et sententiae loci et consilio auctoris aptissi-

correptam, ut torus toral, animus vel anima animal. In il vel in ul desinentia, sive a nominibus, seu a verbis derivata sint, fiunt abjectione extremarum vocalium, sive syllabarum primitivi, ut pugillus pugil, vigilo vigil, consulo consul, exulo exul, praesulo praesul. In am unum invenitur trium generum commune, quod derivatur a nequeo nequis nequam. In um desinentia de- 12
rivativa, sive etiam composita, diversas habent formas. Quaedam enim vocalem i habent ante um, quaedam consonantes. I, ut augurium, solarium, pomarium, savium, odium, remedium, connubium, palladium, officium, convivium, exilium, consilium, indicium, meritorium, praesidium, domicilium. Consonantes ante quoque um habentia diversas habent formas. Quaedam enim e longam habent ante tum, ut olivetum, vinetum, coryletum, rosetum, dumetum, quercetum, esculetum, mirtetum; quamvis foeminino genere Plautus in Vidularia protulit: *Nescio qui servus e mirteta prosiluit.* Quae sunt continentia vel comprehensiva, id est περιεκτικά. Alia in bulum desinunt, quae forma similis est 13
diminutivis, et veniunt a nominibus vel verbis, ut cuna cunabulum, Vesta vel vestis vestibulum, tus turis turibulum, voco vocabulum, concilio conciliabulum, sto

---

mam. Ita vero factum est, ut, quae vulgo posteriori loco leguntur, apud nos quidem priori exhibeantur, nec tamen quemquam fore puto, qui, commode sic legi posse, neget. Nostra lectio confirmatur et Edd. Ven. 1. 2. auctoritate. *savium.* Ita pro *suavium* secundum plures Codd. scripsi. Quod in Edd. additur *basium*, ut glossema, quod antecedens explicaret, Codd. auctoritate expuli. Mox pro *concubium* posui *connubium*, cum illud a MSS. plerisque absit. Post *meritorium* eadem de causa omisi *municipium*. Pro *myrtetum* posui *mirtetum*. Locus Plauti ex deperditis est. Reposui *qui servus* pro *quis servus*, cum nonnulli Codd., inter quos Heidelb., hanc lectionem praestantiorem procul dubio exhiberent. Causam turbati loci quaerenti haec fortasse maxime probabilis videatur, quod librarii, vim pronominis *quae* non satis capientes, post hoc ea, quae antecedere debebant, ponenda esse putaverunt.

§. 13. *Alia in bulum desinunt.* Cod. Lips. 2. auctoritate exterminavi *enim* post *alia*, et pro *assimilis*, quod in Edd. legitur, posui *similia*.

voco vocabulum, concilio conciliabulum. Vulgo hic secunda verbi persona interponitur, qua cum vix opus esse videatur, jubentibus nonnullis MSS. abstinui.

stabulum, pasco pabulum, prosto prostibulum, patior vel pateo patibulum. Et attendendum, quod penultima in omnibus corripitur; antepenultima vero, si i habeat, corripitur, ut vestibulum, prostibulum, patibulum. Sin vero a, producitur, ut cunabulum, vocabulum, conciliabulum, pabulum. Excipitur stabulum, quod corripit a. Nec mirum, cum verbum quoque stabulo stabulas eandem corripuit syllabam, et stabilis, et status, et quaecunque a verbo sto stas derivata fuerint. Excipitur stamen et statura, quod tam nomen quam participium est. Lucanus in sexto: *Laxant rumpentes stamina Parcas.* Idem in VII. *Vanaque percussit pontum Symplegas inanem, et statura redit.* Staturus quoque et staturum producuntur, quamvis status stata statum corripiantur. Idem in decimo: *Zephyros quoque vana vetustas his*
III *ascripsit aquis, quorum stata tempora flatus.* Inveniun-
14 tur etiam quaedam in culum desinentia, quae a secunda derivantur persona, ut devertis deverticulum, verris verriculum, perior periris, unde peritus, periculum, oras oraculum, propugnas propugnaculum, obstas obstaculum, miraris miraculum, perpendis perpendiculum. A simplici quoque, quod in usu non est, specio specis speculum, pro speciculum, per syncopam ci euphoniae causa. Similiter a fero fers ferculum. Alia vero in mentum desinunt, quae plerunque a verbis veniunt, ut vestio vestis vestimentum, hortor hortaris hortamentum, orno ornas ornamentum, sacro sacras sacramentum, fundo fundas fundamentum, moneo mones monimentum, alo alis alimentum, increscо incrementum.

---

attendendum. Ita Codd. mei omnes. Vulgo, *animadvertendum.*

vestibulum, prostibulum. Edd. his duobus exemplis interponunt tertium, *turibulum.* MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. auctoritate omisi. *Sin vero.* Ita MSS. Luth. Zwicc. et alii. Vulgo, *si vero.*

sto stas derivata. Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. secutus omisi *nomina,* quod Edd. post *stas* ponunt.

Luc. in VIo. vs. 777. *Parcas.* Ita Codd. Lips. 1. 2. Dresd. Heidelb. Erl. 1. 2. Luth. Ita et Putschius. Reliquae Edd. *Parcae.* MS. Dresd. pro *laxant* exhibet *lassant.*

Idem in septimo. Est Lib. II. vs. 718. *Vanaque.* Ita Codd. mei omnes; ita et Putschius. Edd. Ven. 1. 2. cum Colon. Bas. *unaque.* Illud vero mirum, quod non solum Codd. sed etiam Edd. in numero libri constituendo variant. MS. Dresd.

Et sciendum, quod antepenultimam productam habent 15
vel correptam, prout sint penultimae syllabae praeteriti
temporis eorum verborum, ex quibus derivantur, ornavi
vel ornatus ornamentum, monui monitus monimen-
tum, alui alitus alimentum, increvi incretus incremen-
tum, munivi munitus munimentum, fulcivi fulcimen-
tum. In monium etiam inveniuntur derivativa, i correpta antecedente, ut patri patrimonium, matri matrimonium, testi testimonium. Sunt alia in um participiis similia, ut factum, dictum, tectum, visum; alia quae a verbis derivantur o in um convertentia, regno regnum, stagno stagnum, velo velum, vado vadum. In en desi- 16
nentia derivativa in antecedente paene omnia verbalia sunt et neutra; et si sint a prima conjugatione, a longam habent penultimam, ut solor solaris solamen, foro foras foramen, curvo curvas curvamen, oblecto oblectas oblectamen, purgo purgas purgamen, irrito irritas irritamen, ligo ligas ligamen. Sin a secunda vel tertia, i habent correptam, ut moneo mones monimen, rego regis regimen, tego tegis tegimen, et per concisionem tegmen, a specio specis vel specie specimen; vel u productam, si in uo desinit verbum, acuo acumen, fluo flumen, nuo numen; numen enim est dei nutus. Unde Virgilius in primo: *Meo sine numine venti*, id est sine meo nutu. Luo lumen, quo omnia abluuntur, id est purgantur a tenebris. A verbis vero quartae conjuga- 17
tionis venientia i productam habent, ut munio munimen, lenio lenimen, molior molimen. Pauca inveniuntur in en derivativa generis masculini, a pectendo pecten,

---

Idem in quinto. MS. Heidelb. et Edd. Ven. 1. 2. *Idem in quarto. Idem in decimo.* Est vers. 240.

§. 14. *a secunda derivantur persona.* Addunt Edd. *verborum*, quod, cum a nonnullis MSS. absit, omittendum putavi. *devertis deverticulum.* Ita e MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Erl. scripsi pro *divertio diverticulum*, quod a Putschio in textum receptum esse jure mireris.

§. 16. *si in uo desinit verbum.* Vulgo, *desinat.* Nullam equidem nec video, nec in MSS. reperire potui causam, cur subjunctivus hoc loco ponendus esset. Praetuli ergo indicativum. Mox bis scripsi vocem *numen* secundum Codd. Dresd. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Sequens Virgilii locus reperitur in Aen. Lib. I. vs. 133. Expunxi vocem *Aen.* quam Edd. addunt, cum Codices id me facere juberent.

§. 17. *a pectendo — a canendo.* Edd. *a pecto — a cano.* Nos

a filo filamen, quod per syncopam i flamen dicimus. A canendo tamen composita masculina sunt, quae in cen desinentia i correptam habent penultimam, tubicen, cornicen, fidicen. Excipitur unum tibicen, quod ideo solum i productam habuit penultimam, quod synaeresis facta est duorum ii brevium in unam longam. Debuit enim i geminari, quia solet plerunque in compositione a in i converti, ut cado incido, facio inficio, jacio injicio, rejicio, amicus inimicus, tuba tubicen. Sic ergo tibia tibiicen faciebat, ex quo factum est tibicen. Nec solum i, sed aliae quoque vocales in multis dictionibus, sic solent ex duabus syllabis in unam longam transire, ut bijugae bigae, quadrijugae quadrigae, biuni bini. Et e contrario una longa in duas breves saepe solet temporibus dividi, admittier pro admitti, fieri pro firi vel fire, quod magis analogum est. Unde Virgil. in IV. Georgicon: *At suffire thymo, cerasque recidere*
18 *inanes, quis dubitet.* In ar desinentia derivativa si consonantem habeant ante ar, penultima syllaba producitur; sin vocalem, corripitur, ut caesus Caesar, lacus lacunar, lupa lupanar, laqueus autem laquear. In er derivativa a nominibus pleraque s et t habent ante er, ut eques equester, pedes pedester, silva silvester, campus campester, apium apiaster, olea oleaster. Et sciendum, quod a habent ante ster, cum in nomine primae positionis nulla sit consonans inter vocales penultimae et ultimae syllabae, ut apium apiaster, olea oleaster. Diminutiva quoque hujuscemodi formae, de quibus jam diximus, a habent ante ster, parasitaster, surdaster, Antoniaster, Catulaster. Alia vero omnia e habent ante

---

Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. secuti veram lectionem reposuimus.

tubicen, cornicen. Edd. addunt *liricen*, quod a Codd. plerisque abest. Mox *duorum* secundum MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. Erl. 1. pro *duarum* scripsi.

Virg. in quarto Georg. Est versus 241.

§. 18. *s et t* Codd. Zwicc. 1. 2. Dresd. Luth. Lips. 2. Erl. 2. Vulgo *st.*

consonantem. Singularem numerum pro plurali, quem Edd. exhibent, restitui e MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Sequens Horatii locus reperitur in Serm. I, 8. vs. 5. Deinde post *in or et* omisi ante *ur* MSS. auctoritate praepositionem *in.*

§. 19. *dictatus dictator, tonsus tonsor.* Edd. *dictator, quaestus*

ster, excepto paluster, et haec quidem denominativa sunt. Sunt autem verbalia, quae verborum consonantem servant ante er, rubeo ruber. Horatius in primo Sermonum: *Obscoenoque ruber porrectus ab inguine palus.* Piget piger, macero macer. In or et ur a verbis invenio fieri abjectione o, ut coloro color, laboro labor, honoro honor, decoro decor, adoro ador, murmuro murmur, auguro augur, saturo satur: hoc tamen facit et foemininum satura, et neutrum saturum. Alia vero in or desinentia assumunt verbo r, amo amor, furo, unde furens, furor. Alia a nominibus vel participiis in us de- 19
sinentibus fiunt, mutatione us in or, senatus senator, dictatus dictator, tonsus tonsor. In as pleraque denominativa sunt, quorum primitiva, si sint secundae declinationis, genitivo, sin tertiae, dativo assumunt tas, i penultima ubique correpta, probus probi probitas, novus novi novitas, bonus boni bonitas, mendicus mendici mendicitas, asper asperi asperitas, prosper vel prosperus prosperitas, integer integri integritas, sincerus sinceri sinceritas, sedulus seduli sedulitas, timidus timidi timiditas. Et notandum, quod, quae in genitivo duplicant i, extremam mutant in e euphoniae causa, ut pius pii pietas, medius medii medietas, anxius anxii anxietas, socius socii societas. Liber quoque excipitur, quod nominativo assumpsit tas, non genitivo, ut liber libertas. Tertiae vero declinationis nomina dativo, sicut superius diximus, assumunt tas, capax capaci capacitas, tenax tenaci tenacitas, rapax rapaci rapacitas, procax procaci procacitas, felix felici felicitas, affinis affini affinitas, infideli infidelitas, celeri celeritas, au-

---

quaestor, tonsus tonsor. Omisi *quaestus quaestor*, cum MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. id suaderent. Mox post *extremam* omisi *eorum* vel *earum*, nam utrumque et scripti et impressi libri, alii hoc, alii illud, exhibent, cum sensus id minime requirere, grammatica autem prorsus damnare videatur.

Tertiae vero declinationis nomina dativo, sicut superius diximus. Edd. Colon. Bas. Putsch. *dativo* ponunt post *diximus* et pro *superius* receperunt *supra.* Illud a MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. et Edd. Ven. 1. 2. hoc a MSS. Zwicc. 1. 2. damnatur. Duo meorum Codd. post *dativo* addunt, *non genitivo.*

infideli infidelitas, celeri celeritas, auctori auctoritas. Singulis his exemplis sui nominativi justo praemittuntur loco in edi-

20 ctori auctoritas. Excipiuntur pauca, quae b vel p sine s habent ante er: haec enim nominativo assumunt tas, ut puber pubertas, uber ubertas, pauper paupertas. Sed hoc possumus etiam in secundae declinationis nominibus observare, ut supradictum est. Unde liber libertas facit; asper autem et prosper, quia s habent ante p, asperitas et prosperitas faciunt. Saluber et salubris facit nominativum, ideoque salubritas, et celeber vel celebris celebritas. Vetus quoque, quod unum trium generum in us desinens invenitur, nominativo assumit tas, vetustas. Excipiuntur etiam haec, quae in or desinentia mutaverunt or in es, et assumpserunt tas, major majestas,
IV honor honestas. Sunt alia in as denominativa, quae
21 plerunque similia sunt accusativo plurali primitivorum suorum, et sunt communia, ut primas, optimas, Ravennas, Capenas, Crotonias, Arpinas, Pontias, Larias, quae

---

tionibus vulgatis, *infidelis, celer, auctor*, in quibus omittendis equidem eo fidentius MSS. Lips. 1. Luth. Zwicc. 1. 2. secutus sum, cum Prisciano talem inconcinnitatem (nam in antecedentibus nominativos apposuerat,) amari probe sciam.

§. 20. *unde liber libertas.* In Edd. desideratur *facit*, quod ego e MSSis Codicibus Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. adjeci.

§. 21. *Cato Censorius.* Nonnulli Codd. *Censorinus.* Nihil tamen, puto, mutandum. Cod. Heidelb. inter lineas haec refert: *Censores dicebantur judices morum et patrimoniorum.*

haeredem sacra non sequuntur. Haec est lectio Codicum MSSorum Luth. Erl. 1. Lips. 2. 3. Editionum Ven. 1. 2. Ald. Colon. Bas. Putsch. MS. Dresd. *sequitur.* MS. Erl. 2. *non consequuntur.* At vero a MSS. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. abest *non* et pro *sequuntur* legitur *consequuntur.* Cf. Lib. VII. §. 60. In tanta lectionis diversitate, reique ipsius, quae tractatur, obscuritate, cum ipse, quid statuendum esset, incertus haererem, literas dedi ad Virum humanitate pariter ac literarum Latinarum scientia insignem, Godeschalkium, Iurisconsultum nostrae urbis celeberrimum, qui haec mecum communicavit: „Equidem probam rectamque censeo lectionem *non*. Quippe fuit apud Romanos juris certi, sacra privata, quae ut perpetua essent, decemvirali lege cautum fuerat, semper haeredem sequi. Quare si Priscianus, vel Cato potius retulisset, municipis Arpinatis, qui mortuus esset, sacra haeredem sequi, vereor, ne, quod per se intelligeretur nemoque ignoraret, doceret, cum hocce jure omnes uterentur cives Romani. Adstipulor itaque iis, qui Arpinates singulari jure usos, et in isto municipio hunc morem obtinuisse censent, ut sacrorum onus non transiret in haeredes. Quod ne temere dixisse videar, duobus utar testibus. Primus

ideo in fine habent circumflexum accentum, quia per syncopam proferuntur. Perfecta enim eorum inveniuntur apud antiquissimos in tis desinentia, hic et haec primatis, optimatis, Arpinatis: unde neutra quoque eorum in *e* desinunt, primate, optimate, Arpinate, et ablativus in i, more eorum, quae in is desinentia, cum sint communis generis, et faciant in e neutrum, in i terminant ablativum, a primati, optimati, Arpinati. Et testis ejus est Caper, qui diversorum de hujuscemodi nominibus ponit usus auctorum, confirmans, tam in is, quam in as hujuscemodi nomina solere proferri. Cato Censorius in primo Originum: *Sed lucus Capenatis*, Idem in secundo: *Si quis mortuus est Arpinatis, ejus haeredem sacra non sequuntur.* Ibidem: *Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Laebius Tusculanus dedicavit dictator Latinus. Hi populi communiter Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Po-*

---

prodeat Ge. d'Arnaud, qui in Variis Conject. Libro II. Cap. I. p. 214 seqq. ita scribit: Quoniam vero nulla universalis adquisitio haereditate frequentior, ideo potissimum sacra haereditario jure transire dicuntur, et propterea tanquam peculiare quid observavit Cato Origg. Lib. II. teste Prisc. Libro IV. p. 629.: Si quis mortuus est Arpinatis, eius haeredem sacra non sequuntur. Alter testis est Frid. Carolus de Savigny, qui in commentatione de sacris privatis Romanorum (Zeitschrift für geschichtliche Rechtsw. Tom. II. Fasc. III. Berol. 1816. Num. XV. p. 366.) ita docet: In Arpinum galt aus unbekannten Gründen das eigne Recht, dafs die Sacra auf die Erben nicht übergiengen." Hactenus Godeschalkius, in cujus viri doctissimi sententia eo lubentius acquievi, cum mihi etiam haec ratio verosimillima sit. Nam cum municipes secundum Festum p. 324. (Gothofr. Gervasii. 1602. 4.) ii dicantur, *qui participes fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus praeterquam de suffragio ferendo aut magistratu capiendo*: haud dubie eos sacrorum etiam privatorum jure usos esse, statuendum est. Lectionem ergo vulgatam retinui; item *est*, quamvis auctoritas Codicum complurium *esset* poni jubeat.

Egerius Laebius auctoritate Codicum Luth. et Heidelb. edidi pro *Agerius Lebius*, quod editiones Ald. Colon. Bas. Putsch. dant. In nomine *Egerius* Codices mei tantum non omnes consentiunt; nec nisi tres *Egregius* errore non inextricabili exhibent. Pro *Laebius* vel *Lebius* MS. Lips. 2. et Edd. Ven. 1. 2. *Libius*. MS. Dresd. *Lepius*. MSS. Erl. 1. 2. *Lebius*.

Tiburtis. Unus meorum Codd. Dresd. *Tiburtinus*, e correctione, puto. Hoc enim nomen antiquissimi *Tiburtis*, antiqui *Tibars*, recentiores *Tiburtinus* protulerunt.

metinus, Ardeatis, Rutulus. Ardeatis dixit pro eo, quod nunc dicimus Ardeas. Titinnius in Psaltria: *Fe-*
22 *rentinatis populus Graeca studet,* pro Ferentinas. Non est igitur dubium, quod, cum in omnibus, quae penultimam habent circumflexam, si patiantur syncopam, eundem servamus accentum in ultima, ut fumavit fumat, cupivit cupit, audivit audit, produce produc, illicce illic, isticce istic; idque omnibus placet artium scriptoribus, qui de accentibus scripserunt; debent haec quoque idem servare, cum, ti subtracta, penultima vocalis, quae circumflectebatur in dictione perfecta, id est a, invenitur ultima in concisione habens eundem accentum. Inveniuntur tamen etiam propria differentiae causa circumflexa, ut Lenas Lenatis, Menas Menatis, ne accusativi plurales menae, genus est piscis, et lenae, quod foemininum est lenonis, esse putentur. In es correptam pauca inveniuntur denominativa, equus eques, pes pedes, et verbalia tego teges, mergo merges. In es productam verbalia reperi a praesenti, vel praeterito tempore. A praesenti, sepio sepes, luo lues, struo strues, macero macies, luxurio luxuries, illuo illuvies: a prae-

---

pro eo, quod. Vulgo *pro ea, quod.* Receptam lectionem praestant MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Zwicc. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2.

Titinnius in Psaltria. Codd. Lips. 1. 3. *Saltria.*

§. 22. *de accentibus.* Praetuli hanc lectionem vulgatae *de accentu,* cum illa a tribus Codicum meorum exhibeatur, et Noster ipse suum libellum *de accentibus* inscripserit. Secutus ergo in hoc priores scriptores esse videtur. Mox pro *debeant* e Cod. Erl. 2. *debent* recepi. Deinde pro subjunctivo *inveniatur* indicativum *invenitur* restitui e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Illud *cum* enim, a quo pendet verbum, hoc quidem loco significat *quandoquidem* vel *siquidem:* tum vero semper a Nostro cum indicativo conjungitur, nisi lectio ab Editoribus temere aevi serioris usum non respicientibus mutata sit. Mihi quidem propter Codicum consensum sexcenties indicativus reducendus fuit.

differentiae causa circumflexa. Edd. omnes et Codices plures: *differentiae causae in fine circumflexa.* Omisi ego *in fine,* non solum quod absunt haec a MSS. Zwicc. 1. Lips. 2. Erl. 2. sed etiam quod per se hoc intellĭgitur, facileque patet, e glossemate haec addita esse.

genus est piscis. Vulgo praefixum legis relativum *quod.* Hoc

terito rupi rupes. In is denominativa sive verbalia 25
multas et diversas habent formas. Alia enim in alis, alia in elis, alia in ilis, alia in ulis finiuntur, ut curialis, fidelis, virilis, docilis, curulis; alia vero in ris, a longa antecedente, Apollinaris, scholaris. Alia in ensis, ut Atheniensis, Catinensis. Alia duas habent consonantes ante is, ut agrestis, caelestis, salubris, muliebris, Samnis, insignis. Ergo in alis desinentia, vel ale, si sint a nominibus primae declinationis, assumunt nominativo primitivorum lis, vel le, et producunt a penultimam, ut curia curialis, memoria memorialis, pluvia pluvialis, mensa mensale, via vialis: sin secundae, extremam i genitivi, sin tertiae, is mutant in a longam, et assumunt lis, Mercurius Mercurii Mercurialis, fluvius fluvii fluvialis, neutrum neutri neutralis, liber liberi liberalis, theatrum theatri theatralis, judicium judicii judicialis, Martius Martii Martialis, fatum fati fatalis, genitus geniti genitalis, caput capitis capitalis, virgo virginis virginalis, cardo cardinis cardinalis, hospes hospitis hospitalis, navis navis navalis, dos dotis dotalis, flos floris floralis, corpus corporis corporalis, coelebs coelibis coelibalis, mors mortis mortalis, juve-

---

tamen omissum est a MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Ergo exturbandum fuit.

In es productam. Accusativum *correptam* et mox *productam* pro vulgato ablativo *correpta*, *producta* ponendum esse, Codices mei omnes clamant. Unde ortus sit error, scripturae compendium *corr*, quo usus est Cod. Heidelb., docet: idem vero mox *producta*, ut clare videre possis, quomodo prius legendum sit.

vel praeterito. Libri editi inserunt praepositionem *a*, quam, cum frustra requiras in Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. Lips. 1. aliisque, omittendam esse duxi.

§. 25. *curulis.* Cod. Heidelb. interlineari nota haec docet: *sella, quae ante consules portabatur in senatu.*

Apollinaris, scholaris. Libri impressi *ut ab Apolline Apollinaris, a schola scholaris.* Quo minus hanc lectionem reciperem, obstitit major Codicum auctoritas Zwicc. 1. 2. Lips. 1. Dresd. Erl. 1. 2. Heidelb. In Cod. Luth. ab aliena manu supra scripta leguntur, ut appareat, e glossemate orta esse. Notandum, Codices plerosque *scolaris* exhibere.

extremam i genitivi. Pessime vulgo, *extremam in genitivi.* Putschius recte sustulit hoc vitium. Nos Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. secuti sumus.

nis Iuvenalis; (invenitur et juvenilis) princeps principis principalis, municeps municipis municipalis, crinis crinalis, vox vocis vocalis. Sin a quartae declinationis nominibus derivantur, abjecta s; sin a quintae, es, ex nominativo assumunt alis, manus manualis, census censualis, species specialis. Verbalia quoque a prima conjugatione inveniuntur in alis, penetro penetralis: in elis pauca inveniuntur denominativa, ut fidus fidi fidelis, crudus crudi crudelis, patruus patrui patruelis, frater fratris fratruelis. Et nota, quod omnia extremam i genitivi in e productam mutantia assumpserunt lis; frater vero fratris, is in u conversa, assumpsit elis. I longam habent omnia in ilis, quae a nominibus derivantur, necnon in ile neutra, sive ex eis in ilis fiant, sive non habeant aliud ante se genus; sed a quacunque orationis parte nascuntur, ut aedes aedilis, senex senilis, anus anilis, puer puerilis, vir virilis, scurra scurrilis, civis civilis, servus servilis, quintus quintilis, sextus sextilis, gens gentilis, hostis hostilis, subtel subtilis. Excipitur par paris parilis, exilis etiam a graeco ἐξίτηλος factum, denominativorum servavit regulam. Similiter neutra producunt penultimam, ovile, monile, cubile, sedile. Nam in ilis desinentia verbalia sive participialia corripiunt eandem i penultimam, ut fero fertilis, utor utilis, futio, ex quo compositum effutio, futilis,

---

invenitur et juvenilis. Libri vulgati inserunt *tamen*, quod desideratur in Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. Lips. 1. Ergo ego etiam omisi.

crinis crinalis. Vulgo, *crinis crinis crinalis.* Ignorant alterum *crinis* Codices manuscripti. Expunxi igitur. Nec solet Noster casus, qui sono non differunt, geminare.

sin a quintae, es, ex nominativo. In libris editis haec ita leguntur: *sin a quintae, s abjecta nominativo.* Primum igitur Codicum meorum auctoritate pro *s* restitui *es*, deinde ejeci vocem e glossemate additam *abjecta.* Denique in textum reduxi e Codd. Dresd. Heidelb. Luth. Zwicc. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. praepositionem *ex.*

§. 24. *sive ex eis in ilis.* Vulgo, *sive ex eis, quae desinunt in ilis.* MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. omittunt *quae desinunt.* MSS. Zwicc. 2. Lips. 2. non solum haec, sed etiam *in ilis.* Hoc secutus essem, nisi reliquorum Codicum, inter quos praestantissimi, auctoritas obstaret. Mox *nascuntur* scripsi pro *nascantur*, quod perperam, puto, libri editi receperunt. Nam *nascuntur* non pertinet ad praecedens *sive.* Igitur semicolo disjunxi ea, quae inde a *sed* sequuntur, ab

volo volatilis, textus textilis, altus vel altus altilis, fictus fictilis. A pare etiam derivativum, quod a verbo paro nascitur, unde comparo comparas, (proprie enim pares sunt, qui inter se possunt comparari) verbalium regulam servavit. Ovidius in septimo Metamorphoseon: *Arte suum parili revirescere posse parentem.* Caetera quoque 26
omnia i penultimam corripiunt, et si sint a verbis primae conjugationis, a longam habent ante penultimam, ut amo amas amabilis, penetro penetras penetrabilis, paro paras parabilis, tracto tractas tractabilis, laudo laudas laudabilis, aequo aequas aequabilis, praedico praedicas praedicabilis, lacrimo lacrimas lacrimabilis, quasso quassas quassabilis, miror miraris mirabilis. Excipitur stabilis, quod solum antepenultimam a corripuit. Lucanus in V. *Quam non e stabili, tremulo sed culmine cuncta, despiceret.* Quae vero a verbis secundae, vel tertiae, vel quar- 27
tae conjugationis nascuntur, si habeant antepenultimam i, eam quoque corripiunt, ut doceo docibilis, credo credibilis, utor utibilis, sentio sensibilis, audio audibilis. Sciendum tamen, quod plurima nascuntur ex his conjugationibus, quae antepenultimam i non habent, ut docilis, habilis, flebilis, nubilis, volubilis, utilis, et quod quaedam ex praesenti, quaedam ex praeterito, quaedam ex futuro derivantur. Ex praesenti, doceo docibilis, habeo habilis, volvo volubilis, utor utilis et uti-

---

antecedentibus. Codices mei tantum non omnes indicativum praestant.

§. 26. *Ovidius in VII. Metam.* vs. 305. Putschius posuit *in octavo.* Miror, Virum eruditum tam negligenter scriptorem suum tractare potuisse. Ipsi Codd. damnant hunc numerum. Equidem pro vulgato *reviviscere* recepi e Codd. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. *revirescere.* Negari tamen non potest, hanc vocem in nonnullis Prisciani Codicibus manu exaratis reperiri.

§. 27. *si habeant.* Ita MSS. pro vulgato indicativo *habent.*

credo credibilis. Interponunt Edd. omnes *credis*, sicuti mox post *utor, utilis*, deinde post *sentio, sensi*, denique *audio* post *audio.* Haec omnia, cum a MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. absint, omisi.

Et quod quaedam. Sic scripsi secundum MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 2. Erl. 2. pro vulgato, *et quaedam.* Quod MS. Lips. 1. addit *et sciendum*, hoc, cum e glossemate natum haud temere suspiceris, jure. puto, meritoque praeterii.

doceo docibilis. Ita plerique MSS. et Edd. omnes, quotquot oculis usurpavi. Plures tamen sunt MSS. qui *docilis* exhibeant, quod fortasse e scripturae compendio originem duxit. Sequens

bilis. Ex praeterito plausi plausibilis, sensi sensibilis vel sensilis. Lucretius in secundo: *Ex insensibili ne credas sensile nasci.* Ex futuro, flebo flebilis, unde e ante b productam habuit. In aris desinentia derivantur a nominibus sive verbis, quorum extrema syllaba incipit ab l, vel alia consonante, vel a vocali aliqua pura. Fiunt autem a genitivo nominum, sive a positione verborum sic. Quaecunque litera sive literae sequantur l vel aliam consonantem, ex qua postrema incipiat syllaba genitivi, transeunt in a longam, et assumunt ris: vel, si a vocali incipit, ipsa extrema mutatur in a longam, et assumunt ris, populus populi popularis, singulus singuli singularis, Apollo Apollinis Apollinaris, consul consulis consularis, miles militis militaris, schola scholae scholaris, Latium Latii Latiaris, familia familiae familiaris, peculium peculii peculiaris, molo molis vel mola molae molaris. Sic etiam neutra in are finita, velum veli velare. Iuvenalis: *Et pegma*
28 *et pueros, inde ad velaria raptos.* In ensis desinentia, si sint a nominibus primae vel secundae declinationis, mutant extremam partem nominativi singularis vel pluralis in en, et assumunt sis ut Cirtha Cirthensis, Olbia Olbiensis, Sardinia Sardiniensis, Hispania Hispaniensis, Catina Catinensis, Enna Ennensis, Minturnae Minturnensis, castrum castrensis, forum forensis, Ilium Ilien-

---

Lucretii locus exstat in libro II. vs. 888. Ibi *gigni* legitur pro *nasci*, quod Codices mei et Editiones Prisciani ad unam omnes repudiaverunt.

fiunt autem. Ita MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. Erl. 2. Vulgo *et fiunt.* Mox *singulus* pro *singulis* secundum Codices edidi.

Juvenalis. Est satira IV. vs. 122.

§. 28. *Olbia Olbiensis.* Ita unius Cod. Zwicc. 2. auctoritate scripsi, pro *oliva olivensis*, quod Putschium quoque recepisse satis mirari non possis. Primum enim nihili est illa lectio; deinde jure quaeras, qua auctoritate commendetur. Codices enim non *oliva*, sed *olvia* exhibent, et nonnulli, ut Erl. 1., *olivia.* Rectius igitur Edd. Ven. 1. 2. *olivia* et *oliviensis*, quam Ald. cum pedissequis.

Alice Aliciensis. Erl. 2. *Ethalice, Ethalicensis.* Lips. 1. *Athalicensis.* Heidelb. *halyce, halyciensis.* Zwicc. 1. *et alice.* Sed *et* locum habere nullo modo potest; pertinet ergo ad nomen.

abjiciunt extremam s genitivi. Addidi ex MSS. Dresd. Lips. 1. 3. Zwicc. 2. *extremam.*

et assumpta stis vel stris. Addunt libri impressi: *faciunt denominativa.* Quae cum a MSS. Luth. Dresd. Zwicc. 2. Lips.

sis, Locri Locrensis, Cremona Cremonensis, Utica Uticensis, Hostia Hostiensis, Athenae Atheniensis, euphoniae causa i habuit antepenultimam, Alice Aliciensis. Sin vero tertiae sint declinationis, abjiciunt extremam s genitivi, et assumunt ensis, ut pistor pistoris pistoriensis, Carthago Carthaginis Carthaginiensis. Quae vero duas consonantes habent ante is, vel a nominativo fiunt primitivorum, vel a genitivo: et a nominativo quidem derivata abjiciunt extremam literam, et assumunt bris, salus salubris, mulier muliebris; a genitivo vero, mutata extrema ejus parte in e, et assumpta stis vel stris, ager agri agrestis, coelum coeli coelestis, terra terrestris. In tis quoque inveniuntur denominativa, sed antique prolata, penultimam natura vel positione longam habentia, ut Samnitis pro Samnis, sic Laurentis quoque pro Laurens, Tiburtis pro Tibur, teste Capro. Sic Quiritis pro Quiris, et Caeritis vel Caeretis pro Caeres; qui tamen nominativi nunc in usu non sunt. Unde Virgilius in X. *Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis.* Invenitur tamen et correptam i habens penultimam apud eundem: *Est ingens gelidum lucus prope Caeritis annem.* Et Horatius similiter in primo Epistolarum: *Quid deceat, quid non obliti Caerite cera digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulixis*, nisi pro Caerete, quod est nomen oppidi, e penultima in i conversa protulerunt.

---

1. 3. Erl. 1. 2. abessent, ego quoque omittenda esse duxi, mutata interpunctione, ita ut majorem ante *a genitivo* tollerem, et semicolon ponerem, quo posito, hoc additamentum per se concidit.

§. 29. Locus Virg. reperitur in Lib. X. vs. 183. *Qui tamen nominativi nunc in usu non sunt.* His annectit MS. Erl. 2. haec: *alpheus tamen avitus in Io excellentium curis posuit pro quiris: Marite, si sanguis curis sabina si sedes placet in me ora convertas manus. Unde Virgilius de Sabinis loquens: Priscique quirites pro curites.* Item rel. Quorum omnium MS. Dresd. nihil nisi haec istis verbis addit: *Alpheus tamen avitus in* 1. *excelle. Unde* rel. Sequens versus Virgilii reperitur in Aen. Lib. V. 597. Horatii locus exstat in Epist. Lib. I. vs. 63. *Ulixis* scripsi e Codd. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. Dresd. pro *Ulyssei.*

nisi pro Caerete. Non pauca vitia Aldinam et pedissequas editiones in Prisciani libros intulisse, hic etiam locus docet, cum in his legatur vitiosissime, *nisi forte pro Caerete.* Quanto rectius jam antea Edd. Ven. 1. 2. omisso illo *forte*, quod non solum MSS. omnes, sed etiam sermo purus et Latinus damnant. Utinam Putschius, ut debebat, Editiones illas Ve-

Livius ab urbe condita XLI. lib.: *Lanuvini, Caeritesque anguem jubatum apparuisse nuntiaverunt.* In os tam denominativa quam verbalia pauca inveniuntur, lepus lepos, competo compes, et mutatione e in o compos, cu-
30 stodio custos, do dos. In us terminantium diversae sunt formae, tam denominativorum quam verbalium, ex quibus multas jam diximus, cum de possessivis tractabamus, id est de his, quas a Graecis accepimus formis possessivorum, et Latinis in ius vel nus desinenti-
VI bus. Nunc ergo dicamus de reliquis in us terminantibus, quae diversas, sicut dictum est, habent formas. Alia enim in ius exeunt, ut nuncius, patricius; alia in uus divisas, arduus, vacuus; alia in bus, orbus, probus, superbus; alia in cus, arcus, lucus, parcus; alia in quus, aequus, obliquus; alia in dus, providus, invidus, lividus, vividus, praedabundus, furibundus, loquendus, sequendus; alia in lus, patulus, anniculus, bibulus, credulus; alia in rus, sonorus, honorus; alia in sus, cursus, usus, spumosus, saxosus; alia in tus, togatus, palliatus, motus; alia in stus, venustus, angu-
31 stus, moestus, quaestus. In ius desinentia sive a nominibus, sive a verbis derivata, servant ante ius primitivorum suorum consonantes, ex quibus incipiunt ultimae vel penultimae syllabae: sed tum penultimae, cum et ipsa penultima in vocalem desinit, et ultima a vocali incipit, ut servus servi Servius, servilis Servilius, agellus agelli Agellius, silva Silvius, virgula Virgilius, Mars Martis Martius, nuncio nuncius, saucio saucius, scio scius. Sic Apulejus in primo Hermagorae, et Pacuvius in Teucro: *Postquam defessus perrogitando advenas de gnatis, neque quemquam invenit scium.* unde nescio quoque nescius. exceptis in

---

netas in consilium adhibuisset, quantum vitiorum earum opo et auctoritate sustulisset! Livii locus legitur in Lib. XLI. Cap. 21. Pro *nunciarunt* Cod. Zwicc. 2. auctoritate edidi *nunciaverunt.* MS. Erl. 1. *denunciaverunt.*

§. 30. *ex quibus multas jam.* Vulgo, *jam multa.* Lectionem vulgatam falsam esse, non solum constructio et grammatica clamat, sed etiam Edd. Ven. 1. 2. et MSS. Luth. Dresd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. confirmant. Nec tam apertum vitium Putschius correxit. Mox *et Latinis in ius vel nus desinentibus* scribi jussi Codicum auctoritate motus. Libri editi exhibent: *et de Latinis in rius vel in nus.*

cius desinentibus: illa enim assumunt, si sint nomina ex quibus derivantur vel participia secundae declinationis, genitivo: sin tertiae, dativo cius, i tam penultima quam antepenultima correpta, ut advectus advecti advecticius, commendatus commendati commendaticius, faber fabri Fabricius, pigneratus pignerati pigneraticius, tribunus tribuni tribunicius, pater patri patricius, aedilis aedili aedilicius, gentilis gentili gentilicius. Inveniuntur tamen quaedam a primae quoque declinationis nominibus ejusdem formae, quae a habent ante cius, gallina gallinacius, sicut membrana membranacius, chartina chartinacius. In uus divisas tam a nominibus 32
quam a verbis derivata secundum in ius terminatorum regulam mutatione extremarum literarum vel literae in nus solent fieri, ut pater patri patruus, annus anni annuus, perspicio perspicuus, ambigo ambiguus, pigeo piguus, ardeo arduus, vacuo vacuus, rigo riguus. Notandum inter haec menstruus, quod euphoniae causa assumpsit t et r. In quus quoque desinentia similiter fiunt, aequo aequus, obliquo obliquus, sed magis ab his nominibus verba quam a verbis nomina sunt derivata. Longus, longinquus, ideo assumpsit n ante quus, quia aliter euphoniae satisfacere non poterat. In bus vel cus desinentia a verbis b vel c ante postremam vocalem, vel vocales habentibus derivantur mutatione o, et si ante eam sit alia vocalis, ejus quoque mutatione in us, ut probo probus, turbo turbus, orbo orbus, superbio superbus, parco parcus, luceo lucus, arceo arcus. Inveniuntur pauca a nominibus vel a verbis in ul- 35
cus, sus subulcus, bos bubulcus, peto petulcus. In dus tres sunt formae; una quae servat consonantem, ex qua ultima vel penultima primitivi incipit syllaba;

---

§. 31. *ultimae vel penultimae syllabae.* Vulgo, *ultimae et penultimae syllabae derivativorum. Et* mutavi in *vel* Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. auctoritate. *Derivativorum* omisi, cum haec vox absit a MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2.

de gnatit scripsi pro *natis*, cum in MSS. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. aliisque haec vox ita scripta reperiatur.

chartina chartinacius. Codd. nonnulli *cartina cartinacius.* Edd. Ven. *carchina, carchinacius.* Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. *carthina carthinacius.* MS. Heidelb. inter lineas haec scripta exhibet: *epistola e charta, quae a carpendo dicitur.*

sed tunc penultima, si non intercedat consonans inter ultimae et penultimae syllabae vocales, et reliquam ejusdem syllabae vel syllabarum partem, mutat in i correptam, et assumit dus, ut herba herbidus, turba turbidus, uva uvidus, rabies rabidus, tumeo tumidus, timeo timidus, areo aridus, squaleo squalidus, ferveo fervidus, invideo invidus, frigeo frigidus, valeo validus. 34 Excipitur alternitatis causa, quam Graeci ἐπαλληλότητα vocant, unum pando pandus, ne, si pandidus dicamus, male sonet alterna d in utraque continua syllaba, quod in multis solent tam Graeci quam nos evitare. Non dicunt illi Χαρύβδιδος, quamvis exigat regula, sed Χαρύββιος. Et Romani quoque illos secuti non dicunt hujus Charybdidis, sed hujus Charybdis. Ejusdem vitii causa non dicimus ab eo, quod est mane, manumine, sed matutine; vitis vinetum, non vitetum, quod tamen etiam a vinea videtur derivatum. Praeterea meridies pro medidies a medio die. Sed tamen non in omnibus hoc valet. Nam candeo facit candidus, sordeo sordidus, madeo madidus: nisi quod haec secundae conjugationis sunt. Ideo illud unum, id est pando, tertiae, in do desinens, habuit hujuscemodi formae nomen. Et haec quidem in dus supradictae formae nomina demonstrant habere ea in se, ex quibus derivantur, ut herbidus, qui habet herbas; turbidus, qui habet turbam; timidus, qui habet timorem; ra- 35 bidus, qui habet rabiem; invidus, qui habet invidiam. In bundus vero desinentia similitudinem habere significant,

---

§. 33. *sed tunc.* Ita scripsi e Codd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. pro *sed tamen.* Mox pro *penultima* plus uno MS. *penultimae;* quod mihi probabilius videtur.

§. 34. *a medio die.* Ita MSS. Luth. Dresd. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Vulgo, *media die.* Quae proxime antecedunt, ita leguntur apud Putschium caeterosque: *pro medidies meridies.* Ego Codicum lectionem recepi.

quod haec secundae conjugationis sunt. Ideo unum illud. Haec est Codicis Luth. lectio, quam propter auctoritatem hujus Codicis in textum recipere non dubitavi; nec tamen nego, vulgatam etiam ferri posse, ac commodam esse. Ita habet: *— conjugationis in deo; illud* rel.

demonstrant. Vulgo, *demonstrantur.* Passivum ex correctione ortum esse, tam est certum, quam quod certissimum. Nam Codices mei omnes activum exhibent, quae constructio profecto difficilior, sed eam ipsam ob causam praeferenda est.

qui habet herbas. Recte sic Codices mei. Vulgo, *herbam.*

ut vitabundus similis vitanti, praedabundus similis praedanti, moribundus similis morienti, errabundus similis erranti, furibundus similis furenti, et sunt paene omnia hujuscemodi formae nomina verbalia: et si a verbis primae conjugationis derivantur, a habent longam antepenultimam, ut causor causaris causabundus, vito vitas vitabundus: sin ab aliis, i correptam, ut ludis ludibundus, furis furibundus, moreris moribundus. Excipitur alternitatis causa rubicundus, quod in penultima syllaba pro b c habuit, ne sit absonum, si rubibundus dicamus. Tertia for- VII
ma in dus terminantium est participialis, id est quae ter- 36
minationem habet participiorum futuri temporis passivorum, et significat dignum esse aliquem eo, quod demonstratur, ut laudandus laude dignus, amandus dignus amari, curandus dignus curari, ornandus dignus ornari, legendus dignus legi, loquendus dignus de quo loquantur homines. In lus desinentium formae similes sunt diminutivis, pendulus, credulus; et veniunt tam a nominibus, quam a verbis, ut annus anniculus, pateo patulus, credo credulus, pendo pendulus, bibo bibulus. Extremas partes syllabarum finalium, sive extremas syllabas, si sint purae, in ulus vertunt, excepto anniculus differentiae causa. Nam annulus diminutivum est; et novacula a novo novas derivatur. In rus denomina- 37
tiva, sive verbalia, pauca inveniuntur, quae penultimam producunt, honor honorus, odor odorus, decor decorus, cano canorus, sono sonorus, quorum regula

---

timidus, qui habet timorem. Praetuli, quod MSS. mei exhibebant, lectioni vulgatae, *tumidus, qui habet tumorem.*

§. 35. *praedabundus similis praedanti.* MS. Dresd. *praedicabundus similis praedicanti.*

ludis ludibundus. Ludis dedi e MSS. Luth. Heidelb. Dresd. Erl. 2. Zwicc. 1. 2. pro *ludus*, quod Editiones fere omnes praeter Ven. 1. 2. occupavit. MS. Luth. *ludo ludis*, quorum prius glossatori deberi puto.

pro b c habuit. Vulgo, *habet.* Notum, Priscianum *habere* pro accipere vel assumere saepenumero ponere; nihil ergo mirum, me lectionem, quam laudatissimi meorum Codd. Dresd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. Luth. exhibebant, vulgatae praeposuisse.

§. 36. *ornandus dignus ornari.* Adjiciunt libri editi *ordinandus dignus ordinari.* Omittunt scripti, quotquot contuli, omnes. In Cod. Ven. 1. 2. neutrum reperitur exemplum.

et novacula a novo novas derivatur. Ita praestantissimi Codi-

in promptu est. Nam nomina us, verba rus assumunt: In sus duplicem habent formam; vel enim participialia sunt, id est participiis praeteriti temporis similia, et res incorporales significant, et sunt quartae declinationis, usus, cursus, lusus, versus, quod ab incorporali re ad corporalem quoque adductum est, quae est in literis; aut mobilia sunt et secundae, ut lassus, fessus, cassus; vel o productam habent ante sus, et significant, plenum esse aliquem ejus, quod significatur, ut saxosus plenus saxis, spumosus plenus spumis, ventosus plenus ventis, arenosus plenus arena. Fiunt autem a primitivis suis hoc modo: mutant extremam syllabae partem vel syllabam, si pura est, in quam terminatur genitivus, in o productam, et assumunt sus, saxi saxosus, curiae curiosus, herbae herbosus, scelus sceleris scelerosus, numeri numerosus, oneris onerosus, ponderis ponderosus, perfidiae perfidiosus. Notandum, quod a metu meticulosus fit. Plautus in Mostellaria: *Nescis, quam meticulosa*
38 *res sit ire ad judicem.* In tus, si sint participialia, aut denominativa, vel incorporalia, et fixa sunt, ut motus, tumultus, sonitus, habitus, cultus, consulatus, tribunatus: vel mobilia, ut togatus, palliatus, tunicatus, loricatus, gratus, laetus, mutus. Et sciendum, quod, si a primae declinationis nominibus derivantur, a habent penultimam productam, ut barbatus, stellatus, trabeatus, purpuratus; sin a secundae vel tertiae, in quibusdam a, in aliis i productam, ut pallium pallii palliatus, annulus annulatus. Plautus in Poenulo: *Quia incedunt cum annulatis auribus.* Excipitur manuleatus, quod quamvis a penultimam habet productam, tamen a quarta declinatione derivatur, manus manuleatus. Plautus in Pseudolo: *Manuleatam tunicam habere hominem addecet*, id est manicatam. grates vel gratiae gratus, avi-
39 tus, maritus, ceritus, ab avo, mare, Cerere. Excipiun-

---

cum meorum, Lutherius scilicet, bini Zwiccavienses, Dresd. Lips. 1. Vulgo, *et novacula, quod a novo* rel.

§. 37. *Plautus in Most.* Est Act. V. Sc. 1. vs. 52. In ed. Bothiana (vs. 1052.) legitur ita: *Nescis tu* rel.

Iudicem. Ita scripsi, non Putschii, non Plauti editorum, sed Codicum meorum auctoritate commotus. Vulgo, *judicium*, quod diu ante Putschium Venetae etiam editiones, optimae istae, damnaverant.

tur vetustus et libertus, in quibus nominativus primitivorum tus assumpsit. A quartae declinationis nominibus derivata u productam habent ante tus, cornutus, verutus, astutus, versutus. In ctus, ptus, xus, participialia sive verbalia inveniuntur, amictus, sanctus, acceptus, sumptus, aptus, captus, raptus, flexus, laxus, fluxus, luxus, nexus. Haec enim omnia, cum non significant tempus, nomina sunt. In stus a nominibus vel verbis nascuntur, extremam partem convertentibus in stus, e vel u antecedentibus, ut honor honestus, moeror moestus, modus modestus, scelus scelestus, robur robustus, ango angustus, augur augustus. Praeterea Venus venustus, jus justus, onus onustus; quae, quomodo vetus vetustus, assumpta tus, faciunt derivativum, et omnia una vincunt syllaba primitiva, absque moestus. In ax plerunque verbalia inveniuntur ab omni conjugatione, voro voras vorax, audeo audes audax, teneo tenes tenax, emo emis emax, fallo fallis fallax, capio capis capax, pellicio pellicis pellax, sagio sagis sagax. In ex correptam similiter a verbis, lateo lates latex, verto vertis vertex, vomo vomis vomex. In ex productam similiter, rego regis rex, lego legis lex. In ix foeminina inveniuntur a masculinis verbalibus sive denominativis in tor desinentibus defigurata, quae mutant or in rix, ut victor victrix, sanator sanatrix, cultor cultrix, nutritor quoque nutritrix debuit facere, quod euphoniae causa, sive alternitatis, mediam syllabam concidit: nutrix enim dicimus. In ox verbalia vel denominativa, voco vox, velum velox. In ux, luceo lux, duco dux. In nx et rx, conjungo conjunx, arceo arx. In duas consonantes inveniuntur participialia, sapiens, amans, cum sunt sine tempore. Inveniuntur et denominativa, principium princeps, municipium municeps.

---

§. 38. *Plautus in Poenulo.* Est Actus V. Sc. 2. vs. 20. Proxime sequens e Pseudolo locus reperitur in Act. II. Sc. 4. vs. 48. Erl. 2. *hominem habere.*

§. 39. *nominativus primitivorum tus assumpsit.* Cod. Zwicc. 1. auctoritate singularem posui pro plurali. Mox post *quartae* MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Luth. auctoritate delevi *quoque.*

LIBER QVINTVS.

1 Quoniam de speciebus, sive formis nominum, quan-
1 tum potuimus, supra tractavimus, nunc de generibus quaerere conemur. Genera igitur nominum principalia sunt duo, quae sola novit ratio naturae, masculinum et foemininum. Genera enim dicuntur a generando proprie, quae generare possunt, quae sunt masculinum et foemininum. Nam commune et neutrum vocis magis qualitate, quam naturae dignoscuntur; quae contraria sibi sunt. Nam commune, modo masculini, modo foeminini significationem possidet: neutrum vero, quantum ad ipsius vocis qualitatem, nec masculinum, nec foemininum est; unde commune articulum, sine articulare pronomen tam masculini

V

Cap. I. §. 1. *naturae.* Vulgo *natura.* Hoc mihi e correctione vel potius ex inscitia librariorum originem duxisse videtur. MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. ita, ut nos exscribi jussimus.

hic sacerdos et haec sacerdos. Scribi ita jusserunt MSS. Luth. Dresd. Zwicc. 1. 2. Erl. 2. Lips. 1. pro *hic et haec sacerdos.* Ita mox etiam §. 2. *hic finis et haec finis.*

neutrum autem. Vulgo, *neutrum vero.* Nos MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Luth. secuti sumus. Paulo post *foeminina, quae una voce,* omisi ante *quae,* quod in libris editis insertum legitur, *tantum* MSS. Erl. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Edd. Ven. 1. 2. auctoritate.

§. 2. *hic finis et haec finis.* Pro *et* reperitur in libris editis *vel,* quod MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. damnant.

panthera in utroque genere sunt promiscue prolata. Omisi pronomen relativum *quae,* quod libri editi post *panthera* ponunt,

quam foeminini generis assumit, ut hic sacerdos et haec sacerdos. Neutrum autem separatum ab utroque genere articulum asciscit, ut hoc regnum. Epicoena, id est promiscua, vel masculina sunt, vel foeminina, quae una voce, et uno articulo utriusque naturae animalia solent significare. Dubia autem sunt genera, 2 quae, nulla ratione cogente, auctoritas veterum diverso genere protulit, ut hic finis et haec finis, cortex, silex, margo. Similiter grus, bubo, dama, panthera in utroque genere sunt promiscue prolata. Sunt alia communia non solum masculini et foeminini, sed etiam neutri, et sunt adiectiva, ut hic et haec et hoc felix, sapiens. Sunt quaedam tam natura quam voce mobilia, natus nata, filius filia. Sunt alia natura et significatione mobilia, non etiam voce, ut pater, mater, frater, soror, patruus, amita, avunculus, matertera. Sunt alia voce, non etiam naturae significatione 3 mobilia, ut lucifer lucifera, frugifer frugifera. Sive enim de sole, sive de luna, sive de agro, sive de terra loquar, nulla est discretio generis naturalis in rebus ipsis, sed in voce sola. Sunt alia quasi mobilia, cum a se, non a masculinis foeminina nascuntur, ut Helenus Helena, Danaus Danaa, liber libra, fiber fibra. Unumquodque enim eorum propriam et amotam a significatione masculini habet demonstrationem et positionem. Sunt alia, quae differentiae significationis causa mutant genera, ut haec pirus, hoc pirum; haec malus, hoc

---

propterea, quod a MSS. Luth. Lips. 1. 2. Zwicc. 1. 2. abest, commodeque abesse potest. Post haec addunt libri Colon. Ald. Bas. Putsch. duo loces, alterum Ovidii, alterum Virgilii, quorum ille in Metam. Lib. V. vs. 550. *Foedaque fit volucris venturi nuntia luctus, ignavus bubo, dirum mortalibus omen*; hic vero in Aen. L. IV. vs. 462. reperitur: *Solaque culminibus ferali carmine bubo.* Hos versus, cum a plerisque MSS. Zwicc. 1. Heidelb. Dresd. Lips. 2. absint, vel in MSS. Luth. Lips. 3. Erl. 2. Zwicc. 2. tantum in margine ab emendatore additi legantur, cum et Edd. Ven. 1. 2. veterrimae ignorent, ego etiam loco movendos esse duxi.

§. 3. *nascuntur*. Vulgo *nascantur*. Mox *amotam* ducibus MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. restitui Prisciano pro *remotam*. Deinde posui *fructus neutro proferuntur* pro *fructus vero neutro genere proferuntur*, quod in Edd. Colon. Bas. Putsch. Ald. legitur. Edd. Ven. 1. 2. *in neutro genere* autem adjeceram post *foeminino* Codicum auctoritate.

malum; haec arbutus, hoc arbutum; haec mirtus, hoc mirtum; haec prunus, hoc prunum. Et hoc in plerisque invenies arborum nominibus, in quibus ipsae arbores foeminino genere, fructus neutro proferuntur, vel ligna, ut haec buxus arbor, hoc buxum lignum. Virgilius: *Dant arbuta silvae, cruentaque mirta, cerea pruna, volubile buxum.* De singulis igitur terminationibus quomodo possint comprehendi genera, prout
4 valeam, hinc tractare incipiam. Masculini generis terminales inveniuntur literae septem, a, o, l, n, r, s, x, ut scriba, Cicero, sol, flamen, Caesar, bonus, rex. Foeminini quoque eaedem, ut Roma, virgo, Tanaquil, Siren, mater, civitas, pax. In e quoque productam inveniuntur foeminina, sed graeca duntaxat, ut Taygete, Euterpe: et in um, sed figurate, ut Glycerium mea, et Dorcium, et Philocium. Communia in easdem literas desinunt, in quas et masculina, ut hic et haec advena, homo, vigil, tibicen, fidicen, ut quibusdam placet: nam usus eorum foeminina in a terminat, ti-
11 bicina, fidicina: hic et haec pauper, civis, dux. Neu-
5 trorum duodecim inveniuntur terminales literae, a, e correpta, i, u, l, m, n, r, s, c, t, d, ut poema, mare, gummi, cornu, mel, regnum, numen, tuber, sidus, lac, caput, aliud. Communia trium generum desinunt in i, m, r, s, x, ut hic et haec et hoc frugi, nequam, par, prudens, andax. In a igitur desinentia vel masculina sunt vel foeminina vel communia vel neutra. Masculina sunt, quae cum sint propria apud Latinos a terminantia, apud Graecos assumunt s, ut Catilina, Silla, Fimbria, Aquila, *Κατιλίνας, Σύλλας, Φιμβρίας, Ἀκύλας:* vel contra apud Graecos in as desinen-

---

Virg. dant arbuta silvae. Georg. II. 520. *cruentaque mirta.* Georg. I. 306. *cerea pruna.* Ecl. II. 53. *volubile buxum.* Aen. VII. 382.

prout valeam. Ita Codd. Dresd. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Vulgo *prout potero*, quod glossatori deberi apparet.

§. 4. *et in um, sed figurate.* Vulgo *et in um figurate.* Nos MSS. Luth. Lips. 2. 3. Codd. Erl. 2. Zwicc. 1. 2. secuti sumus.

§. 5. *a, e correpta, i.* Vulgo, *a, e, i.* Nostram lectionem praestant MSS. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 2.

§. 6. *fluminum nomina masculina sunt.* Vulgo, *sint.* quod non

tia, vel in es, apud nos in a terminantur, ut *Μαρσύας*, *Σωσίας*, *Βυρρίας*, *Χαιρέας*, *Τουρίας*, *Βαγράδας*, Marsya, Sosia, Byrrhia, Chaerea, Turia, Bagrada, *ποιητὴς*, *κιθαριστὴς*, *Σκύθης*, *σοφιστὴς*, *Μελικέρτης*, *Λεπτάστης*, poeta, citharista, Scytha, sophista, Melicerta, Leptasta. Salust. in II. Historiarum: *Quem ex Mauritania rex Leptasta proditionis insimulatum cum custodibus miserat.* Excipitur haec charta, et haec cataracta, mar- 6
garita, catapulta: quae, cum sint masculina apud Graecos, apud nos etiam genus cum terminatione mutaverunt. Quod autem Turia, et similia fluminum nomina masculina sunt, ostendit etiam Salustius in am terminans eius accusativum in II. Historiarum: *Inter laeva moenium, et dextrum flumen Turiam.* Nam si esset neutrum, similis esset accusativus nominativo. Illa quoque in a desinentia, quae officiorum sunt ad viros pertinentium, masculina esse, nulla est dubitatio, scriba, lixa, collega. Quae cum apud Graecos communia sint, vel mobilia, apud Latinos in a desinunt tantum, nec ex masculinis in us desinentibus transformantur, communia sunt tantum, et paene omnia a verbis sunt composita vel derivata, ut hic et haec agricola, coelicola, advena, parricida, Graiugena, conviva. Pomponius in Auctorato: *Conveni omnes convivas meas.* Horatius in II. Sermonum: *Ut conviva satur.* Alia vero omnia propria sive appellativa in a de- 7
sinentia foeminina sunt, ut Roma, curia, Musa, Ilia. In promiscuis tamen invenimus quaedam auctoritate veterum secundum masculinum genus prolata. Virgil in primo Georg. *Aut oculis capti fodere cubilia talpae.* Idem in Bucolico: *Cum canibus timidi venient ad pocu-*

---

solum Edd. Ven. 1. 2. sed etiam MSS. Dresd. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. damnant.

Pomponius. Lips. 3. *Pompejus.* Idem MS. *meos* pro *meas.* Sequens Horatii locus reperitur in Serm. Lib. I, 1, 119.

§. 7. *Ilia.* Vulgo *Italia.* Codices variant. MSS. Luth. Zwicc. 1. *Allia* sive *Alia.* MSS. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Zwicc. 2. *Ilia.* Hoc praetuli, cum et Edd. Ven. 1. 2. exhiberent, et facile cum *Italia* confundi potuerit.

Virgilius in primo Georg. Est versus 105.

Idem in Bucolico. Est Ecl. VIII. vs. 28. *Horatius.* Carm. I. ode 2. *Item Horat. in Epistol.* Lib. II. ep. I. vs. 194. Ultimum versum *sive elephas* rel. omisit MS. Lips. 2. *Item*

la damae. Horatius tamen foeminino hoc idem protulit in primo Carminum: *Et superiecto pavidae natarunt aequore damae.* Item Horatius in II. Epistolarum: *Si foret in terris rideret Democritus, seu diversum confusa genus panthera camelo, sive elephas albus vulgi converteret ora.* Et magis in quadrupedibus hoc invenis. Nam in aliis animalibus, si sint promiscua, in a foeminini
8 articulos assumunt. In a neutra non inveniuntur Latina, sed Graeca, ut poema, schema, toreuma, emblema, peripetasma; nisi tria monosyllaba Latina eiusdem generis literarum nomina indeclinabilia, a, k, h. Omnia enim nomina elementorum propria neutra sunt tam apud nos quam apud Graecos, et indeclinabilia. Numerorum vero nomina, quae declinantur, mobilia sunt, vel per tres vel per duas terminationes, ut unus una unum, duo duae duo, tres tria, ducenti ducentae ducenta. Indeclinabilia vero communia sunt trium generum, hi et hae et haec quatuor, quinque sex, et deinceps usque ad centum, mille quoque trium est generum, quia est indeclinabile. In e correptam neutra sunt omnia, ut mare, sedile, monile. In e productam Graeca foeminina, ut Euterpe, Libye. In i neutrum, hoc gummi, et a genitivis composita communia trium generum, ut eiusmodi. Nam nihili, frugi, mancipi, obliqui sunt casus figurate cum omnibus casibus adiuncti.

Horatius posui pro vulgato *Idem* ex MSS. Dresd. Zwicc. 2. Erl. 1. Lips. 1. Zwicc. 1.

Et magis in quadrupedibus hoc invenis. Ita MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. Vulgo, *et magis hoc* rel. Eandem ob causam pro *invenies* scripsi *invenis*, quod in Edd. quoque Ven. 1. 2. legitur.

§. 8. *peripetasma.* Lips. 1. explicans hanc vocem haec addit: *genus vestis; peri circum, petasma velum. Inde peripetasma cortina sive velum eo quod incipe uitu (circuitu?) dependeat.*

tam apud nos quam apud Graecos. Ita plerique meorum Codd. nisi quod unus et alter pro *nos* exhibet *Latinos.* Vulgo, *tam apud Graecos quam apud Latinos.* Mox *per tres vel per duas terminationes* posui secundum MSS. Lips. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. pro *per duas vel per tres.* Deinde *tres tria* scripsi secundum eosdem MSS., cum libri editi perperam legant, *tres vel tria.*

§. 9. *In o, i antecedente, quando sunt verbalia* rel. Hic locus in libris editis ita legitur: *In o, i antecedente, quando non sunt verbalia sive participialia, masculina sunt, ut stellio, gurgulio, quando* rel. Equidem, quaecunque inde a *quando*

In o, i antecedente, quando sunt verbalia vel participialia, foeminina sunt, ut oratio, actio, coniugatio, interiectio, coniunctio. g quoque vel d antecedentibus, si mutant o in i in genitivo, foeminina sunt, ut virgo virginis, Carthago Carthaginis, uligo uliginis, dulcedo dulcedinis, acredo acredinis, cupido cupidinis, quod tamen et masculinum est, quando proprium est ipsius Amoris dei. Excipiuntur supradictae declinationis masculina haec: ordo ordinis, cardo cardinis. Margo quoque auctoritate poetica, non solum foeminini, sed etiam masculini generis invenitur. Statius in Thebaid. lib. III. *Solverat Hesperii devexo margine ponti.* Propria quoque inveniuntur foeminina, quae apud Graecos in ω vel ων desinunt, ut Manto, Dido, Sappho, Ruscino, Bibo; et unum Latinum Iuno, et appellativum in ro unum, caro. Alia vero omnia masculina sunt, ut stellio, Anio, Cicero, Milo, Apollo, mango, praedo, ligo, carbo, sermo, quaternio, exceptis paucis communibus, quae communia esse tam ipsa natura quam exempla Graecorum nobis demonstrare possunt, apud quos vel communia, vel mobilia haec inveniuntur, hic et haec homo, ὁ ἄνθρωπος καὶ ἡ ἄνθρωπος, hic et haec latro, ὁ λῃστὴς καὶ ἡ λῃστής. Inveniuntur tamen ex his quaedam in a facientia foemininum, ut leno lena. Iuvenalis in II. *Aut apud Isiacae potius sacraria lenae.* 9 10

---

non sunt — gurgulio leguntur, textu movi. Nam primum §. 10. perspicue docet, haec omnia glossatori deberi non satis circumspecte praecipienti; deinde vero etiam in multis MSS. in margine tantum leguntur, Zwicc. 1. 2. Lips. 2., vel uncis inclusa sunt, ut Erl. 2. In MS. Dresd. ab alia manu eaque longe recentiori in margine adsuta conspiciuntur.

uligo uliginis. Ita MSS. Zwicc. 1. 2. Dresd. Vulgo, *fuligo fuliginis.*

supradictae declinationis masculina haec. Vulgo, *hic*, ita ut pertineat ad *ordo* inserviatque pronomini articulari. Ego lectionem MSS. Dresd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 2. praetuli. Allegatus Statii locus reperitur in Theb. Lib. III. vs. 415.

§. 10. *Inveniuntur tamen quaedam ex his in a facientia foemininum.* Ita auctoritate MSS. Zwicc. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. scripsi pro iis, quae in libris editis omnibus leguntur: *Inveniuntur tamen quaedam ex his in o in a facientia foemininа.* Illud *in o* glossema esse, nemo facile erit, qui neget. Singularem *foemininum* praetuli plurali, propterea quod hic potius quam ille ex correctione ortus esse videtur.

Iuvenalis in II. Est Sat. VI. vs. 489.

Caupo quoque caupona facit, quod est tam taberna quam mulier; et ad imitationem Graecorum leo leaena vel lea, draco dracaena, strabo straba. In u neutra sunt, cornu, gelu, genu. In c duo sunt neutra, hoc lac lactis, et alec alecis. In d neutra sunt quid vel quod et aliud; haec enim ratio nomina esse ostendit; et Bogud Bogudis, nomen barbarum, quod Livius in CXIII. declinavit Bogudis. In al latina neutra sunt omnia, tribunal, cervical, vectigal. Excipitur unum monosyllabum masculinum, hic sal salis. Terentius in Eunucho: *Qui habet in se salem.* Salust. in Iugurtino: *Neque salem neque alia irritamenta gulae.* Inveniuntur tamen et vetustissimi quidam etiam neutro genere hoc protulisse. Barbara in al desinentia masculina sunt, Hannibal, Hiem-
11 psal, Hasdrubal. In el correptam neutri generis sunt, mel, fel, subtel, τὸ κοῖλον τοῦ ποδός. In el productam barbara masculina inveniuntur, hic Michael, Gabriel, Abel. In il unum masculinum, pugil; unum foemininum, Tanaquil; unum commune, vigil; unum neutrum indeclinabile, nihil, quod per apocopam, id est per abscisionem extremae syllabae, ab eo, quod est nihilum, factum est nihil. In ol unum est masculinum, sol solis. In ul quoque unum reperitur masculinum Latinum, consul; duo communia, praesul, exul, et barbara Suthul, Muthul, et sunt propria, quae ideo quidam neutra

---

cornu, gelu, genu. Genu scripsi pro *veru*, quod libri impressi habent, MSS. Zwicc. Dresd. Lips. 1. 2. secutus. MS. Luth. *veru* ab initio supra scriptum exhibet. Edd. Ven. 1. 2. *cornu, genu, gelu, veru.* Ita et MSS. Erl. 2.

Terentius in Eunucho. Est Actus III. Sc. 1. vs. 10. *Qui habet in se salem.* Ita MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Heidelb. Edd. Colon. Bas. Ven. 1. 2. Putsch. *qui habet salem, quod in te est.* Rectius hoc quidem, si ad textum Terentii exegeris lectionem; damnatur vero a Codd. Memoria Priscianum hoc quoque loco lapsum nullus equidem dubito, cum Codices mei omnes sine haesitatione lectionem, textui Terentii parum congruentem referant. Locus Salustii reperitur in Iugurtino Cap. 89.

§. 11. *Abel* scripsi pro *Raphael* secundum Codices meos, qui nomen *Raphael* ignorant. *Gabriel.* Omisi pronomen *hic*, quod libri impressi habent. Edd. Ven. 1. 2. omittunt *Nectabel*, quod in plerisque editionibus post *Raphael* legitur. Ego secutus sum hanc sententiam eo fidentius, cum et MSS. Lips. 2. Erl. 1. 2. aliorumque auctoritate confirmari viderem. MS. Heidelb. omisit *Abel*, refert autem *Nectabel.*

esse putaverunt, quod appellativis neutris sunt coniuncta, oppidum Suthul. Sed melius est figurate sic esse apposita dicere, ut si dicam, mons Ossa, vel Tiberis flumen, quam quod neutri generis in ul terminantia sint; et maxime cum lingua Poenorum, quae Chaldaeae vel Hebraeae similis est et Syrae, non habeat genus neutrum. In am unum invenitur commune, trium generum et utriusque numeri, hic et haec et hoc nequam. In im unum proprium neutrum, Cim, nomen vici, ut dicit Celsus. Et barbara indeclinabilia, non solum in am et in im, sed in alias quoque literas terminant, in quas latina vel graeca nomina non solent desinere, ut Abraham, Ioachim, Loth, Ruth, Iacob, David, Balac. Sed haec nomina nulla regula Latina vel Graeca sunt moderanda, nisi transferantur in aliquam declinabilem formam, quod quidam historici fecerunt, ut Abrahamus Abrahami. In um neutra sunt omnia, III templum, regnum, tectum. Inveniuntur tamen apud 12 comicos foeminarum quoque propria, quae in hanc terminationem diminutionis sive adulationis amatoriae causa proferuntur, ut Glycerium, Philotium, Dorcium, Sophronium, Abrotonium: quae quamvis articulos habeant foemininos, declinationem tamen et formam tam apud Latinos quam apud Graecos servant neutrorum. In e correptam a canendo composita masculina

---

In ol unum est masculinum. Adjeci *est* e Codd. Zwicc. 1. 2. Erl. 2. Lips. 2. Dresd.

Muthul, et sunt propria. Quod in libris editis additur, *oppidorum nomina*, delevi, cum in MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Erl. 1. 2. Heidelb. omissas has voces deprehendissem.

quam quod neutri generis in ul terminantia sint. Ita edidi secundum MSS. Luth. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 2. In libris editis plerisque desideratur *quod* et *sint*. Quamquam haec lectio non incongrua est, tamen MSSorum auctoritati parendum esse censui, perfectam sententiam congrua lectione demonstrantium. In Edd. Ven. 1. 2. post *quam* additur *dicere*, quod quamvis et in tribus meorum Codd. Dresd. Erl. 2. Heidelb. reperitur, tamen, ut non dubium glossema, damnandum mihi esse videtur.

sed in alias quoque literas. Vulgo, *sed etiam in alias* vel. Nos MSS. secuti omisimus *etiam*. Mox *Balac* MSS. pro vulg. *Balach*. Deinde post *Abrahami* auctoritate MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Dresd. omisi *David Davidis*, quod libri editi praeter Ven. 1. 2. habent.

sunt, ut cornicen, fidicen, tubicen, tibicen. Quorum foeminina quae sunt in usu a genitivo figurantur, mutata is in a, fidicinis fidicina, tibicinis tibicina. Alia vero omnia in en desinentia correptam neutra sunt, ut hoc numen, stamen, solamen, semen, cuius nominativum etiam hoc seminium antiqui protulisse inveniuntur. Plautus in Milite Glorioso: *Verri affertur merces non hic suo seminio, quanquam porculenam impertiturus est.* Excipitur flamen sacerdos Iovis, et pecten, quae sunt masculina. Trogus in XXII. foemininum a flamine protulit, haec Flaminea: *Papicio Flaminea flamini*
13 *nio obiit.* In en producta Latina generis masculini sunt, lien, rien vel ren, splen. Graeca vero in n desinentia eadem servant genera, quae habent apud Graecos, hic Ti-

---

§. 12. *Plautus in Milite Glorioso.* Est Act. IV. Sc. 2. vs. 68. In Edd. Colon. Bas. Ald. legitur sequens versus ita: *Verrin affertur merces non hic suo seminio quenquam porcule: nam impertiturus est.* Putschius: *Verri — porculenam impertiturus est.* MSS. Zwicc. 1. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Luth. confirmant lectionem Putschii. Nos pro *quenquam* e Cod. Lips. 2. *quanquam.* Pro *porculenam* plures Codd. *porculae. nam.* Zwicc. 2., si recte vidi vel descripsi, *porculanam.* Pro *impertiturus est* plures *imperiturus est;* unus Erl. 1. *imperterritus est.*

Trogus in XXII. Vulgo additur ad nomen Trogi *historicus,* quod secundum MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. delevi. Erl. 2. *Historicus Trogus.* In sequentibus verbis magna est lectionis varietas, non solum in libris editis, sed etiam in scriptis. Ego Edd. Ven. 1. 2. secutus sum, quae lectionem exhibent, ad quam praestantissimorum Codd. lectio proxime accedit. Putschius cum Edd. Colon. Bas. Ald. *Papicio propter mortem Flamineae flaminio obiit.* Erl. 2. *Haec Flaminea Papitio flamine obiit.* Dresd. *Pampicio flamine a flamini obiit.* Luth. *Papitio flaminice* rel. Erl. 1. *Papicio flaminea flamo nium obiit.* Lips. 2. exhibet vulgatam. MS. Heidelb. *Papitio flaminea flaminio obiit.* Lips. 1. — *et flaminicae flaminio obiit.* Zwicc. 1. 2. eandem, quam recepi, lectionem exhibent.

§. 13. *rien vel ren, splen.* Addunt libri editi, *splenis.* Omisi Codd. auctoritate.

eadem servant genera, quae habent apud Graecos. Vulgo, *eadem genera servant apud Latinos, quae apud Graecos habent.* Ordinem verborum secundum MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. immutavi. Deinde omisi *apud Latinos* non solum, quod expulsum non facile desiderari intelligebam, sed, quod in hac re unice valet, quia a Codd. Luth. Zwicc. 1. 2.

tan, haec Siren. In ar Latinum unum duntaxat proprium masculinum dissyllabum invenitur, hic Caesar, et monosyllaba masculina, Nar, Lar. Virg. in VII. *Sulphurea Nar albus aqua.* Barbara vero plura, Haspar, Bostar, Hamilcar, Arar, quod etiam Araris dicitur. Lucanus in VI. *Rhodanumque morantem praecipitavit Arar.* Virgilius in Bucolicis: *Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim:* accusativum in im protulit, qui a nominativo est in is terminante, hic Araris. Unum etiam commune trium generum eiusdem extremitatis invenitur, hic et haec et hoc par, et quae ex eo componuntur, impar, dispar, compar, separ. Alia vero 14
omnia in ar desinentia Latina neutra sunt, ut hoc lacunar, instar, laquear, lupanar, far, columbar, quod signi-

---

Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. abesse videbam. Sequens Virgilii locus reperitur in Aen. Lib. VII. versu 517. Iam sequuntur in libris editis haec: *Lar, quod significat κατοικίδιον θεὸν, laris facit genitivum; sin autem imperatorem Vejentorum, Lartis, quem mactavit Cossus. Et testis est Ovidius in Epigrammatis sic dicens: Larte ferox caeso Cossus opima tulit. Livius in IV. ab urbe condita: Larte Tolumnio rege Vejentorum.* Haec omnia, quamvis recte exposita sint, in textum tamen recipere, nisi temeritatis nomine taxari vellem, non potui. Desiderantur enim, nec ullum eorum vestigium reperitur in MSS. Erl. 1. 2. Lips. 1. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. In MS. Lips. 2. in margine leguntur, nec tamen sine lectionis varietate. In MS. Lips. 5. haec tantum reperiuntur: *lar quando significat* (inde graecarum vocum omissarum sedes vacua sequitur) *laris facit genitivum.* Unus Dresdensis suo loco inserta refert, ita tamen ut nusquam vitiosius scripserit. Cum vero diversissimi Codices iique praestantissimi in omittendis his verbis consentiant, reliqui vero haud parum varient, verba ipsa etiam glossatorem redolent, non temere ego ea in marginem, unde irrepsisse putanda sunt, reduxisse videbor. MS. Heidelb. vocem *lar* nota interlin. explicat ita: *ignis vel domestica penetrabilia dicuntur.*

Hamilcar. Ita MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Dresd. Lips. 1. 2. 5. Erl. 1. 2. Libri editi, *Bomilcar.* Equidem non video, cur a lectione Codicum discedendum sit, MSSos secutus sum. Pro *Haspar* Cod. Dresd. *Hastar.* Alii *Aspar.* Sequens Lucani locus reperitur in Phars. VI. vs. 475 76. Virgilii in Ecl. I. 64.

§. 14. *far, columbar.* Ad *far* addunt libri editi haec: *farris differentiae causa assumsit alterum r in genitivo, ne, si faris dicamus, putetur a for faris verbo venire.* Primum enim omit-

ficat genus vinculi. Plautus in Rudente: *Nam in columbari collum haud multum post erit.* In er, si sint secundae declinationis, masculina sunt, sacer, ager, Auster, bever, puer, oleaster. Sin vero tertiae sint declinationis in er desinentia, b vel u loco consonantis quidem antecedente, neutra sunt, nisi sint adiectiva, ut tuber, suber, cadaver, ver, uber, quod significat τὸ οὖθαρ. Virg. in VII. *Non vobis, rege Latino, divitis uber agri Troiaeve opulentia deerit.* Excipitur hic imber, quod videtur a Graeco esse ὁ ὄμβρος, et illius genus servasse, et ex eo composita September, October, Mulciber. Terrae quoque foetus, si sint in er desinentes tertiae declinationis, neutri sunt generis, siler, papaver, laser, cicer, siser. Excipitur haec acer, quod huius aceris facit genitivum. Nullum enim foemininum in er desinens secundae potest inveniri declinationis. Ovidius: *Et platanus genialis acerque coloribus impar.* Solinus in Memorabilibus de arbore turis: *Palam fieret, intorto eam esse vimine, ramis ad aceris qualitatem.* Iter

---

tuntur in Edd. Ven. 1. 2. Deinde absunt a MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Denique in Erl. 1. non solum uncis inclusa sunt, sed etiam desunt omnia inde a *ne si* rel. In MS. Erl. 1. uncis quidem non inclusa sunt, sed item desiderantur *ne si* rel. Unus meorum Lips. 3. ita haec exhibet, ut in editis libris leguntur. Sed quamvis ille liber minime sit spernendus, et sexcenties optimas lectiones referat, recentioris tamen eum esse aetatis et negligentissime scriptum, dubitare nemo potest.

Plautus in Rudente. Est Act. III. Sc. 5. vs. 50. Pro *collus*, quod plurimi Codd. dant, ex MS. Zwicc. 2. recepi *collum*. Pro *post erit* MS. Luth. *poterit*.

bever. Non potui quin antiquissimam Edd. Ven. 1. 2. lectionem reducerem, cum eam MSS. Dresd. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Heidelb. Zwicc. 1. 2. auctoritate confirmari viderem. Nonnulli Codicum, verbi causa Zwicc. 1., explicant per *fiber*, quod Edd. Colon. Bas. Ald. Putsch. exhibent. Sed hoc ipsum ostendit, genuinam lectionem eam esse, quam restituimus. Etiam in expositione Jo. de Aingne per nomen usitatius castoris illustratur. In MS. Erl. 1. supra scriptum est, *castor*. Apud Varronem quidem (Gothofr. p. 15, 15.) *fiber* recte scribitur, quoniam cum *fibro* et *fimbria*, minus, ut videtur, acute, comparatur. Ita et Festus p. 288. Rectius fortasse scribas *beber* pro *bever*. Non tamen Codicum scripturam mutare ausus sum.

Virg. in VII. Aen. vs. 272.

ὁ ὄμβρος. Haec vox suspecta mihi est. Cod. Zwicc. 1. omit-

quoque vel itiner vetuste neutri sunt generis, et spinter, quod ἀκροστήριον, aut fibulam in humeris, aut armillam significat. Plautus in Menaechmis: *Iubeas spinter novum reconcinnarier.* Idem in eadem: *Mihi tu dederis pallam spinter? Nunquam factum reperies!* Alia 16
vero omnia masculina sunt, ut hic frater, pater, asser, passer, cancer. Vetustissimi etiam hoc cancer de morbo protulerunt. Hic ager, anser, carcer, et hoc carcer quidam protulerunt, quos non sequimur. Hic equester, paluster. exceptis duobus, quae ipsa natura defendit foemininо genere, mater et mulier. Linter quoque, quod apud Graecos masculinum est, ὁ λιντήρ, apud nostros foemininum est. Livius in VI. *Iam in altum expulsa lintre.* Et adiectivis, quae si non in is faciunt foeminina, necessario communia sunt, ut celer masculinum celeris facit foemininum, cuius neutrum in e invenitur. Ovid. in VIII. Metamorph. *Praedaque potita nefanda, fert secum spolium celeris progressaque porta.* Terentius in Phormione: *Nullus es, Geta, nisi*

---

tit eam. Lips. 1. ponit ante *esse.* Caeteri fere omnes *νμβρος* exhibent. Heidelb. *οἰμβρος*, in margine ab eadem tamen manu scriptum refert.

§. 15. *si sint in er desinentes.* Vulgo, *desinentia.* Equidem secutus sum auctoritatem Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. Dresd.

Ovidius. Metam. X. vs. 95. *Solinus in Memorabilibus.* Polyhist. Cap. XXXIII.

Plautus in Menaechmis. Act. III. Sc. 3. vs. 4.

Idem in eadem. Act. IV. Sc. 3. vs. 9. Vulgo *eodem.* Libri scripti omnes *eadem.* In sequentibus verbis Plauti discessi a vulgata, *nisi mihi tu*, et scripsi *mihi tu.* Hanc enim lectionem praestant MSS. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 2. nisi quod hic pro *tu* exhibet *dum.* Zwiccavienses etiam Codices ignorant *nisi* et dant *mihi si tu.* Lips. 1. *mihi tu si* et e corr. *mihi nisi tu.* In Heidelb. inter lineas scriptum reperis *s. nisi.* Edd. Ven. 1. 2. *mihi tum dederis pallam et spinter novum nunquam reperies.* Ed. Both. Plauti: *mihi tu ut dederis.* pro *reperies* exhibet *relege rem.* Post *pallam* Codicum meorum auctoritate expunxi *et.* MS. Heidelb. *num nunquam.*

Vetustissimi etiam. Pro vulgato *tamen* recepi e Codd. Zwicc. 1. Luth. Lips. 1. 3. Erl. 2. *etiam.*

§. 16. *Livius in VI.* v. Ind.

Ovidius in VIII. Metam. vs. 86 seqq. *Terentius in Phormione.* Act. I. Sc. 4. vs. 1. Haud pauci MSS. ponunt *aliquod* vel *aliquid consilium* pro vulg. *consilium aliquod*, et pro *repereris* alii *reperies*, alii *reperias.* Quod prius attinet, immutavi so-

aliquod consilium celere repperis. Pauper, cuius foemininum in a vetustissimi proferebant. Plautus in Vidularia: *Paupera haec res est.* Terentius tamen in Andria: *Quam honeste in patria pauper vivere.* Degener, uber ὁ εὐθαλὴς καὶ ἡ εὐθαλὴς καὶ τὸ εὐθαλές. Lucretius in VI. *Sequitur gravis imber et uber.* Cato in secundo Originum: *Itaque res uber fuit, antequam legiones.*
17 Acer, et alacer, saluber, et celeber, quamvis alacris et acris plerumque faciant, et salubris, et celebris foeminina, in utraque tamen terminatione communis etiam generis inveniuntur prolata. Virgilius in sexto: *Anchises alacris palmas utrasque tetendit.* Idem in quinto: *Ergo alacris cunctosque putans excedere palma.* Te-

---

cundum Codices verborum ordinem et pro *repereris* unius Codicis auctoritate restitui *repperis.*

Pauper, cujus foemininum in a. His subnectunt libri impressi *quoque*, quod omissum a scriptis plerisque, in textum non erat recipiendum.

Terentius tamen in Andria. Nonnulli Codicum omittunt *tamen:* item Edd. Ven. 1. 2. Locus Andriae reperitur Act. IV. Sc. 5. vs. 3. Pro *pauper* exhibent MSS. Dresd. Lips. 3. Luth. Edd. Ven. 1. 2. *paupera.* Tuentur vulgatam MSS. Heidelb. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Zwicc.

καὶ ἡ εὐθαλὴς καὶ τὸ εὐθαλές. Inserui binis his locis καὶ e MSS. Zwicc. 1. 2. Heidelb. aliisque.

Lucretius in VI. vs. 290. *uber.* Ita Codd. optimi Zwicc. 2. Dresd. Heidelb. Lips. Erl. Putschius *huber.* Edd. Ven. 1. 2. ut nos.

Cato in II. Orig. MS. Zwicc. 2. Dresd. *in primo.* At Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. Heidelb. tutam suo patrocinio efficiunt lectionem receptam eamque vulgatam. *antequam legiones.* Interponunt libri editi *vastassent*, quod, cum absit a MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2., omisi. Heidelb. inter lineas scriptum exhibet: s. *accederent.* MS. Lips. 2. omisit *antequam legiones.* Edd. Ven. 1. 2. pro *legiones* dat *regiones.*

acer et alacer. Addunt Edd. Ald. Colon. Bas. Putsch. *et alacris.* Ignorant haec Codices MSSi Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. Ergo ego etiam omisi hoc additamentum, quod hoc quidem loco, ubi de nominibus in er finitis agitur, plane esse otiosum, nemo facile erit, qui neget. Accedit, quod in subsequentibus haec forma commemoratur.

Virg. in VI. vs. 685. Quod post *tetendit* in libris scriptis et editis legitur, *de Anchisa dicit*, ut glossema unius Lips. 3. auctoritate expunxi. Caeterum in MSS. mox *dicit*, mox *dicens*, mox *dixit* reperitur, quod, e glossemate illa orta esse, docere videtur. Fortasse ex Lib. VI. Cap. I. §. 40. adscripta sunt.

rentius in Eunucho. Parmeno dicit ad Chaeream: *Quid tu es tristis, quidve es alacris?* Naevius in Carmine belli Punici: *fames acer augescit hostibus.* Ennius in XVI. *Aestatem autumnus sequitur, post acer hyems.* Idem in XII. *Omnis mortales victores cordibus vivis laetantis vino curatos somnus repente in campo passim mollissimus perculit acris.* Hic volucer, haec volucris, hoc volucre. 18
Horatius in IIII. Carminum: *Inclusit volucris dies.* Frequentior tamen usus in er profert masculina, et in is foeminina, quorum neutra semper in e finiuntur. In ir masculina sunt, ut hic vir, levir, Trevir, Abaddir. Vnum proprium civitatis invenitur Gadir, quod quidam foemininum esse putaverunt, sed Salustius neutrum esse

---

Caeterum et nomen Anchisis ante *alacris* interpolatrici manui acceptum referendum esse puto. Nam in Virgilio non legitur. Fieri tamen potuit, ut Prisc., quo melius, de quo sermo sit, intelligatur, ipse addiderit.

Idem in V. vs. 380. Pro *cunctos* MS. Dresd. *vinctos.*

Terentius in Eunucho. Act. II. Sc. 3. vs. 12.

Ennius in XII. victores cordibus vivis laetantis. Hujus pro *vivis*, quod Edd. habent, scribi quidem jubent plerique Codices manuscripti, at non sequendos puto, cum infra Lib. VI. Cap. 2. §. 40., quo loco hi versus iterum recitantur, unanimi consensu iidem Codices vulgatam referant lectionem. MS. Heidelb. *hujus* per *talibus* explicat.

§. 18. *Hic volucer, haec volucris, hoc volucre.* Vulgo *et haec — et hoc.* Delevi *et.* Addunt deinde libri impressi *dicitur*; scripti *facit.* Neutrum MS. Erl. 2. Recte hoc, nam utrumque glossatori debetur. Ergo expunxi. Sequens Horatii locus reperitur in Lib. Carm. IV. 13. 16.

levir. Addunt Edd. Ald. Colon. Bas. Putsch. *a viro compositum; levir enim dicitur ὁ ἀνδράδελφος.* Haec, etsi, quantum ad sententiam, improbari nullo modo possunt, tamen ex interpolatione orta esse, tam est certum, quam quod certissimum. Omittunt Edd. Ven. 1. 2. MSS. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. MS. Dresd. ita hunc locum reddis: *levir, trevir. duumvir a viro est compositum. Levir enim dicitur ὁ ἀνδράναφος.*

Trevir. Edd. Ald. Colon. Bas. Putsch. addunt: *autem gens gallica, hic trevir.* Hoc quoque glossema expuli. Legitur quidem in MS. Dresd. additum *est gens gallica*, at omittitur a reliquis omnibus, Luth. Lips. Erl. Zwicc. Heidelb. et Edd. Ven. 1. 2. et ipsa lectionis varietas declarat, a glossatore haec verba adscripta esse.

Abaddir scripsi per duas dd, quia hanc scribendi rationem in plerisque MSS. inveni. Ipse etiam Putschius in aliis locis ita hoc nomen scripsit. Parum igitur sibi constare dicendus est, quod

ostendit in secundo Historiarum, accusativum nominativo similem ponens: *Ut alii tradiderunt, Tartessum Hispaniae civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadir habent.* Nam si esset foemininum, Gadirem
IV dixisset. Et unum neutrum indeclinabile, hoc ir. In
19 or comparativa quidem communia sunt, hic et haec clarior, felicior, melior, minor, excepto uno hic senior; alia vero omnia masculina sunt, hic orator, cursor, horror, furor, doctor, labor. Exceptis foemininis quidem tribus, quorum duo ipsa natura alterius generis esse prohibet, uxor, soror. Arbor etiam, quod iure inter foeminina connumeratur, quod mater quoque dicitur proprii foetus unaquaeque arbor, auctore Virgilio, qui in II. Georgicon hoc ostendit dicens: *Parva sub ingenti matris se subiicit umbra.* Vnde specialia quoque uniuscuiusque arboris nomina foeminina sunt, excepto oleastro, quod tam forma terminationis quam declinatio prohibuit esse foemininum. Nam siler non
20 est inter arbores ponendum, sicet nec rubus. Neutra quoque in or desinentia quatuor inveniuntur, marmor, aequor, ador, cor: praeterea communia, quae etiam apud Graecos communia sunt, memor, immemor: et

---

hoc loco per unam *d* scripsit. Quae in libris editis sequuntur: *deus est, et hoc nomine dicitur lapis ille, quem Saturnus dicitur devorasse pro Jove, quem Graeci βαίτυλον vocant,* ea omnia textu movi, propterea quod ex duabus notis marginalibus vel interlinearibus concinnata esse persuasum habeo. Primum, ut puto, interpolator, nescio quis, adscripsit *deus est,* vel *deus esse dicitur;* deinde alius ex libro VII. huc transtulit, quae ibi ab auctore ipso ad explicandam hanc vocem in medium afferuntur. Hoc etiam in causa est, cur totus locus in MSS. vario modo legatur. MS. Luth. *deus esse dicitur; hoc nomine — vorasse traditur pro Iove — Βαοθιλιων* pro *βαίτυλον.* Erl. 1. *ds̄ ee̅ dr — pro Jove vorasse dr̄, quem g̅ci batilion vocant.* Lips. 2. *deus est; dicitur hoc nomine ille lapis, quem Saturnus pro Iove vorasse dicitur, quem Graeci βδίλλιον vocant.* Erl. 2. *deus et dicitur — βδίλλιον —.* Lips. 1. *ds̄ ee̅. dr̄ hoc nomine lapis ille — vorasse traditur pro Iove — βαιτυλιον.* MS. Lips. 3. *Quem Saturnus* rel. omisit. MS. Heidelb. *deus esse dicitur: hoc nomine lapis ille quem Saturnus pro jove vorasse traditur, quem graeci βλιτυλον vocant.*

unum neutrum indeclinabile, hoc ir. Addunt Edd. graecum vocabulum *θῆναρ.* Omittunt Edd. Ven. 1. 2. praestantissimi MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 2. Dresd. Cod. Erl. 1. *τωη-*

a decore vel corpore vel colore composita, ut hic et haec indecor, dedecor, bicorpor, tricorpor, discolor, concolor. Auctor, quando *αὐθέντην* significat, commune est, quando *αὐξήτην*, auctrix facit foemininum, sicut omnia verbalia in or desinentia. In ur, si sint propria hominum vel deorum, vel gentilia, vel appellativa avium, x vel t vel f ante ur habentia masculina sunt, ut Anxur, Astur, turtur, vultur, furfur. Verbalia vero, quae hominibus imponi possunt, communia sunt, si sint tertiae declinationis, ut augur, fur. Horatius in primo Sermonum: *Julius et fragilis Pediatia furque Voranus.* Unum secundae invenitur masculinum, satur, cuius foemininum in a terminat. Alia vero omnia eius- 21
dem terminationis nomina neutra sunt, murmur, sulphur, Tibur, robur, iecur, guttur, quod etiam masculino genere protulit Plautus in Aulularia: *Etiamne obturat inferiorem gutturem, ne quid animae forte amittat dormiens?* In as Latina, si sint patriae, communis sunt generis, hic et haec Arpinas, Sufenas, Capenas: quorum ideo extrema syllaba circumflectitur, quia per syncopam ti syllabae, sicut saepe diximus, prolata sunt. Antiquissimi enim hic et haec Arpinatis, Sufenatis,

---

vap. Ergo et nos omisimus. Inserenda haec vox est Lexico Schell.

§. 19. *Virgilius in II. Georg.* vs. 19.

§. 20. *In ur, si sint propria hominum vel deorum.* Ita Cod. Lips. 2. quem secutus sum, cum reliqui varient. Edd. *si sint nomina hominum propria.* Alii Codd. omittunt *hominum*, alii *nomina*, plures utrumque, quod facile fieri potest, ut sit rectissimum.

x vel t vel f. Ita MSS. Libri impressi *f vel x vel t.*

Horatius in primo Serm. Est VIII. vs. 39. *Pediatia.* Sic dedi e MSS. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. Heidelb. Vulgo, *Pedatia.* MS. Erl. 1. pro *Julius* habet *Vilius*; pro *Voranus* Edd. Ven. 1. 2. *Voranis.* Erl. 1. *Voramus.* Mox post *secundae* MSS. auctoritate delevi *declinationis*, quod libros editos occupavit.

§. 21. Post *iecur* legitur in libris editis, *iecoris vel iecinoris.* Haec verba eliminavi, quia a MSS. praestantissimis aut absunt, aut nonnisi ab alia manu supra scripta. In aliis legitur unus tantum genitivus *iecoris*, in aliis *iecineris.* Infra in Libro VII. suus his locus est.

Plautus in Aul. Act. II. Sc. 4. vs. 25. sive III. 1. 25. *Etiamne.* Edd. Ven. 1. 2. *et ne. obturat.* Zwicc. 1. *obturet. ne quid.* Unus meorum Codd. *nec quid animae.* Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb.

22 Capenatis, proferre solebant, Alia vero omnia in as desinentia foeminina sunt, ut pietas, probitas, auctoritas, excepto uno proprio, Maecenas Maecenatis. Est etiam Lenâs, quod differentiae causa in fine circumflectitur. Iuvenalis in primo: *Quod captator emat Lenâs, Aurelia vendat.* Inveniuntur tamen alia quoque propria in formam gentilium prolata, ut Antias historicus, et monosyllaba, as assis, mas maris, vas masculinum,
23 vadis, neutrum, vasis. Et hoc fas, nefas, nugas, etiam omnis commune generis, quae sunt indeclinabilia. Graeca vero tam in as quam in alias quascunque syllabas terminantia eadem servant genera apud nos, quae habent apud Graecos, si eandem servant terminationem etiam apud Latinos, quam habent apud illos. In multis enim videmus commutatione terminationis genera quoque esse conversa, ut ὁ κρατὴρ haec cratera, ὁ χάρτης haec charta, ὁ κηρὸς haec cera, ὁ ἀμφορεὺς haec amphora, ὁ πανθὴρ haec panthera. Horatius in secundo Epistolarum: *Diversum confusa genus panthera camelo, sive elephas albus vulgi converteret ora.*
24 In es correptam, si sint apud Graecos communia, vel mobilia, quae illi τριγενῆ vocant. Hoc autem etiam ex ipsa rerum significatione potest cognosci in omnibus appellativis, utrum possint nec ne, foemininorum quoque esse adiectiva, vel etiam neutrorum. Quod si ipsa exigat significatio, in es desinentia communia sunt, ut hebes tam de mare quam de foemina dicitur: significat enim tardus et tarda; miles quoque hic et haec

---

Lips. 1. 2. Erl. 2. Edd. Ven. 1. 2. *anima.* MS. Dresd. *animam. amittat.* Lips. 2. *amittit.* Edd. Ven. 1. 2. *admittat.*

§. 22. *Iuven. in primo.* Est Sat. V. vs. 98.

vas masculinum, vadis; neutrum, vasis. Ante *neutrum* Edd. habent *vas,* quod Codd. auctoritate omisi.

§. 23. *Horatius in secundo Epist.* I. vs. 195. Hoc loco tres meorum, iique veterrimi et optimi, Zwicc. 1. Luth. Heidelb. *converterit,* quod et Bentlejus in Prisciano Cantabrig. manu scripto se invenisse testatur, in textum recepit. Etiam Dresd., antequam emendatus esset, praeteritum perfectum pro imperfecto exhibebat.

§. 24. *Ovid. in secundo Metam.* vs. 415. *nulla potentia longa.* Ita edidi e MSS. Zwicc. 2. Dresd. Multi libri scripti et omnes fere editi, praeter Ven. 1. 2. post *potentia* addunt *formae.* Parum abest, quin a Prisciano sic scriptum esse contendam, falso quidem, si rem ex contextu Ovidii dijudices, at Pri-

miles. Ovidius in secundo Metamorphos. de Calistone loquens: *Miles erat Phoebes, nec Maenalon attigit ulla gratior hac Triviae, sed nulla potentia longa.* Similiter praepes, qui et quae in altum volat; teres quoque, rotundus et rotunda; comes a comitando, quod tam ad mares quam ad foeminas pertinet. Et omnia similiter utrique generi convenientia, dives, superstes, quadrupes, inquies, sospes etiam et hospes. Lucanus in quinto: *Hospes in externis audivit curia tectis.* Frequenter tamen haec duo in genere foeminino a terminant auctores, ut Virgilius in III. Aeneidos: *Bellum o terra hospita portas.* Lucanus in V. *Tunc obtulit hospita tellus puppibus accessus faciles, legere rudentes;* et Sospita Iuno. Ovidius in II. Fastorum: *Principio mensis Phrygiae contermina Matris Sospita delubris dicitur aucta novis.* Invenitur etiam antistita pro antistes. Cicero de signis: *Postridie sacerdotes Cereris atque illius fani antistitae maiores natu probatae, ac nobiles mulieres rem ad magistratus suos deferunt.* Neutris quoque coniuncta haec, id est in es communia inveniuntur, ut Virgilius in VII. *Sed haec tereti mos est aptare flagello.* Iuvenalis in quinto: *Nec unquam depositum tibi sospes erit.* Lucanus in quinto: *Rerum nos summa sequetur, imperiumque comes.* Salustius in primo Historiarum: *Nobis primae dissensiones vitio humani ingenii evenere, quod inquies atque indomitum semper in certamine libertatis, aut gloriae, aut dominationis agit.* Alia vero omnia, id est quae nullam significationis naturalem commu-

scianum non diligentem esse verae auctorum scripturae pluries jam notavimus. *Est* omisi secundum Cod. Luth. Vide, an non et in ipso Ovidii textu delendum sit.

a comitando. Addunt libri editi: *hic et haec comes.* Omisi Codd. auctoritate, quemadmodum mox etiam ante *dives* pronomen articulare *hic et haec.*

Lucanus in quinto. vs. 11. Virg. Aen. III. 539. Lucanus in V. v. Ind. Ovid. in II. Fast. vs. 56. *matris.* Ita Codd. praeter Heidelb. Vulgo, *matri.*

§. 25. *Cic. de signis.* Act. in Verr. IV. Cap. 45.

Virg. in VII. vs. 731. *Juven. in quinto.* Est Sat. XIII. vs. 178. *Luc. in V.* vs. 26. 27.

§. 26. *quae nullam significationis naturalem communionem.* Ita MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Vulgo ex aperta correctione: *nulla significatione.*

nionem habent cum foemininis, masculina sunt, ut gurges, trames, stipes stipitis, limes, poples, fomes, cespes; exceptis in ges desinentibus, quae in genitivo e servant. Sunt duo, seges segetis, teges tegetis. et uno arboris nomine, quod ratione supradicta foemininum est, abies, et compes compedis. Terentius: *habendae compedes.* In es productam, si sint quintae declinationis, foeminina sunt. Excipitur unum dies, quod tam masculini quam foeminini generis in singulari numero invenitur, ex quo et diminutio fit, diecula. Terentius in Andria: *Eho impudens, non satis est, quod tibi dieculam addo?* In plurali vero semper masculinum invenitur: non enim incertum tempus videtur significare, quod plerumque in foeminino genere invenimus numeri singularis. Ideo autem diximus plerumque, quod invenitur in usu, et pro certo tempore foemininum, et pro incerto masculinum e contrario. Virgilius in secundo Aeneidos: *Venit summa dies, et ineluctabile tempus, Dardaniae.* Lucanus in III. *Non usque adeo permiscuit imis longus summa dies, ut non, si voce Me-*

---

stipes stipitis. Hunc genitivum ex MSS. addidi.

Habendae compedes. Addunt libri editi: *Aries et paries, masculina, e servant in obliquis casibus.* Haec absunt ab optimis Codd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Heidelb. Erl. 2. Luth. Produnt glossatoris ingenium, qui, quam incommode haec adsuerentur, non intelligebat.

Terentius in Andria. Est Act. IV. Sc. II. vs. 27.

Eho impudens. Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. *Heo.* Heidelb. *Hoe.* Lips. 2. *Hehoe.* MS. Dresd. *Hoc imprudens.* In sequentibus pro *non satis est* legitur in Edd. Prisciani et Terentii *non sat habes.* At vero Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. Heidelb. Edd. Ven. 1. 2. receptam tuentur lectionem. Lips. 2. *non est satis.* Edd. Ven. 1. 2. *num satis est.* Post versum e Terentio allegatum Codd. addunt *pro dilatione aliqua temporis.* Sic MSS. Luth. Zwicc. 1. Lips. 1. Heidelb. Erl. 1. 2. Haec e glossemate orta esse per se quidem jam satis intelligitur, sed ex eo etiam apparet, quod in his quoque verbis referendis libri manuscripti dissentiunt. Cod. Dresd. omittit *temporis.* MS. Lips. 2. *pro dilatione sed aliqua.* Unus, quod mirum, Cod. Lips. 3. recentissimus ille, totum hoc glossema ignorat, simulque docet, nec recentioris aevi Codices esse spernendos.

quod invenitur in usu. Pro *quia,* quod libri impressi habent, e Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. restitui *quod.*

telli, serventur leges, malint a Caesare tolli. Statius in primo Thebaidos: *Longumque in saecula digne promeriture diem.* Ex eo quoque compositum semper masculinum est, hic meridies; certum enim significat tempus diei. Terentius in Adelphis: *Ipso meridie stipulam colligendo.* Alia vero in es productam desinentia, 27
quae sunt propria, masculina inveniuntur, ut Hercules, Ulixes, Perses, Achilles, Verres, Chremes, Laches; excepto uno foeminino, Ceres Cereris. Appellativa vero, si sint ad homines pertinentia, quae apud Graecos communia vel mobilia, apud nos communia sunt, ut haeres, locuples, quod et neutrum est. Alia vero omnia foeminina sunt, ut caedes, strages, strues, vulpes, apes, lues, labes, clades, nubes. Excipitur hic verres appellativum, cum porcum significat. In is finita nomina, si sint adiectiva, vel derivativa appellativa, communia sunt: et si ad homines proprie solos pertinent, non faciunt ex se neutra, ut hic et haec civis, hic et haec hostis. Statius in quinto Thebaid. *Turbidus incertusque oculis vigilantibus hostem occupat amplexu,* cum de uxore He-

---

pro incerto masculinum e contrario. Vulgo, *masculinum et e contrario.* Conjunctionem *et* hoc loco perquam incommodam Codicum Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. auctoritate sustuli.

Virg. in secundo Aen. Est versus 524. *Lucanus in III.* Libri impressi omnes, *in VI.* Putschium non sustulisse vitiosum numerum, valde miror, cum Codices quoque, inter meos Lips. 2. 3. verum exhibeant. Est versus 138. 39. 40.

ut non, si. Male Edd. *ut si non.* Nostram lectionem praebuerunt MSS. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Luth. *Serventur.* Ita scripsi secundum Cod. Zwicc. 2. Vulgo, *servantur.*

Statius in primo Theb. Addidi e Codd. *Thebaidos.* vs. 642. 43. *semper masculinum est.* Adjeci e Codd. Dresd. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. Luth. *est.*

Terent. in Adelphis. Est Act. V. Sc. 3. vs. 62. In Terentio hic versus ita legitur: *Meridie ipso faciam ut stipulam colligat.* Vides ergo, Priscianum parum diligentiae in referendis locis scriptorum adhibuisse. Gerundia, *coquendo, molendo,* praecedunt; haec Nostrum, ut *colligendo* scriberet, induxisse videntur.

§. 27. *Statius in quinto Theb.* Numerum *V.* e Codd. Erl. 1. 2. restitui, cum antea in Edd. legeretur *in secundo.* Est versus 213. 14. *Helymi.* Cod. Erl. 2. et Edd. Ven. *Helemi.* Pro *occupat amplexu* MSS. Heidelb. Zwicc. 1. Edd. Ven. *amplexam.* MS. Lips. 1. ante correctionem exhibebat *amplexum,* nunc vero *amplexu.*

lymi Gorge loquitur, Hic et haec Samnis. Aedilis, quia dignitatis est ad viros pertinentis, masculini generis est. Sin tam ad homines, quam ad alias res dici possunt, in e faciunt neutrum, hic et haec suavis et hoc suave, hic et haec dulcis et hoc dulce, hic et haec regalis et hoc regale, hic et haec amabilis et hoc amabile.
28 Alia vero in is desinentia n vel duas consonantes in eadem syllaba, vel duplicem consonantem ante is habentia, et quae penultimam syllabam una ex liquidis terminant, masculina sunt, ut panis, funis, amnis, ignis, piscis, fascis, fustis, postis, vectis, axis, mensis, ensis, anguis, unguis, collis, follis, corbis, orbis, torquis. Excipitur haec bipennis, quod ideo foemininum est, quod quasi adiectivum est securis, vel quod a penna, quod ipsum quoque foemininum est, componitur. Sed magis adiectivum hoc esse ostendit Virgilius ferro bipenni, ponens in XI. *Ferro sonat alta bipenni fra-*
29 *xinus.* Excipitur etiam canis commune, quod et natura sic esse ostendit. Finis quoque et clunis tam masculini quam foeminini generis usurpavit auctoritas in una eademque significatione. Iuvenalis in V. *Ad terram tremulo descendunt clune puellae.* Horat. in primo Sermonum: *Quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix.* Multa tamen et in hac, et in aliis terminationibus confudisse genera inveniuntur vetustissimi, quos non sequimur, ut haec amnis, funis, anguis. Composita sive ex masculinis, sive ex foemininis, si adiectiva fuerint, communia sunt, ut hic sanguis, hic et haec exanguis, et hoc exangue; animus, hic et haec exanimis, et hoc exanime; cuspis, hic et haec tricu-

---

§. 28. *Virg. in XI.* Est versus 135.

§. 29. *Iuven. in V.* Est versus 167. *Horatius in primo Sermonum.* Est Sat. 2. vs. 89. Post *cervix* in Edd. Bas. Colon. Putsch. additur: *in una eademque significatione.* Ego haec verba, quae nemo facile desideret, Codd. MSS. Zwicc. Lips. 2. auctoritate delevi.

§. 30. *Invenitur tamen hoc etiam neutro.* In Edd. additum reperies, *generi*, quod MSSorum Zwicc. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. auctoritate omisi.

Ovidius in primo Metam. Est versus 330. 31. *aquas.* Addunt Edd. *rector pelagi.* Codices ignorant. Mox pro *habeant* e Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 2. restitui *habent*. *Cum* enim hoc loco vim τοῦ *quamquam* habet.

spis. Invenitur tamen hoc etiam neutro adiunctum, 30
sed per obliquos casus. Ovidius in primo Metamorphoseon: *Positoque tricuspide telo, mulcet aquas.* Pestis etiam, et neptis, et vestis, cum duas consonantes ante is habent, foeminini sunt generis: et vallis, turris, pellis, pelvis, quamvis penultimae syllabae liquidis terminantur, tamen foeminina sunt. Illa quoque masculina sunt, quae una syllaba in genitivo crescunt, ut hic lapis lapidis, pulvis pulveris, sanguis sanguinis, vomis vomeris, cinis cineris. Excipiuntur haec cuspis cuspidis, cassis cassidis, quorum extremae syllabae amborum ab s coeperunt, quod in eiusdem formae masculinis non invenimus. Lis quoque litis. Alia vero omnia in is desinentia foeminina sunt, haec avis, classis, puppis, cutis, securis, messis, bilis, strigilis, vis. Graeca vero eandem habentia terminationem, genera quoque, quae apud Graecos habent, servant etiam apud Latinos, sicut et alia pene omnia, quod iam superius diximus, ut Paris, Tibris, tigris, Thetis. Molaris a mola derivatum potest esse commune, cum adiectivum est; sed quia plerumque ad lapidem vel dentem refertur, usus frequens masculinum hoc profert. Statius in V. Thebaidos: *Vastaeque sudes fractique molares.* In os terminantia foeminina tria inveniuntur, dos dotis, glos gloris, cos cotis; communia quinque, custos, sacerdos, bos, compos, impos; neutra duo, os oris, os ossis. Alia vero omnia masculina sunt, ros, mos, flos, nepos, lepos. In us correptam, secundae vel quartae declinationis, si sint arborum nomina, foeminina sunt; propria quoque vel appellativa Graeca os in us converten-

31

VI
32

---

foeminini sunt generis. Addit MS. Zwicc. 2. *et ideo excipiuntur.*

quae una syllaba in genitivo crescunt, ut hic lapis. Ita Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 2. Lips. 1. 2. Editiones autem sic: *quae crescunt una syllaba in genitivo, ut lapis.* MS. Dresd. pro *crescunt* posuit *vincunt.*

eiusdem formae masculinis non invenimus. Vulgo, *invenies.* Nos MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. secuti sumus. Mox *haec avis* e Codd. scripsi pro *ut avis.*

§ 31. *Statius in V. Theb.* Est versus 387.

§ 32. *In us correptam.* Ita Codd. Vulgo, *correpta*, quod falsum.

tia, quae apud Graecos foeminini sunt generis, ut haec cupressus, mirtus, laurus, cornus, quercus, fagus, pirus, platanus, Scyrus, Berytus, Pylus, Ilius, Arctus; appellativa vero, ut crystallus, costus, faselus. Alia vero omnia eiusdem terminationis supradictarum declinationum masculina sunt, ut hic clarus, magnus, animus, ventus, somnus, lacertus, cursus, metus, sexus, quamvis Plautus etiam hoc sexus neutro genere protulit in Rudente: *Virile sexus nunquam ullum habui.* 33 Fluctus, artus, portus, acus, unde aculeus diminitivum teste Probo. Sed in usu frequenter haec acus invenimus. Lucanus in X. *Quod Nilotis acus compressum pectine serum.* Iuvenalis in II. *Ille supercilium madida fuligine tinctum obliqua producit acu.* Idem in eodem: *Emerita quae cessat acu.* Invenitur etiam hoc acus huius aceris, quod Graeci σκύβαλον dicunt, id est purgamentum frumenti. Varro Rerum Rusticarum III. *Acus substernendum gallinis parturientibus; acus in area exutitur.* Idem in primo: *Argillam mixtam acere.* Exci-

---

quae apud Graecos foeminini sunt generis. In Edd. Bas. Colon. Ald. Putsch. Ven. additum reperitur: *sic apud nos.* Haec glossatori deberi tam est certum, quam quod certissimum. Absunt enim a MSS. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Dresd. In Cod. Luth. in margine leguntur similia quaedam.

Berytus, Pylus, Ilius. Vulgo, *beritus, pilus, ilus.* Sed cum sint nomina civitatum Graeciae vel Asiae, per y scripsisse recte videbor. *Ilius* e graeco Ἴλιος praebuerunt MSS. Zwicc. 2. Erl. 2. Lips. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. His adjeci *Arctus.* Nam hoc est nomen proprium. Vulgo adjicitur appellativis, hoc adjecto glossemate, *nam duae arcti sunt.* Sed haec verba absunt ab omnibus Codicibus, quorum nonnulli τῷ *Arctus* eundem, quem nos, locum attribuerunt. In causa vero hoc fuit, quod locus proxime sequens, *appellativa vero, ut crystallus, costus, faselus,* a librariis praetermittebatur. Desideratur in Codd. Zwicc. 1. 2. In MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 2. in margine reperitur. Quae vero post haec in Edd. leguntur: *Alia Graeca communia sunt,* φιλόσοφος, *hic et haec philosophus,* φιλόκαλος, *hic et haec philocalus,* ea cum in MSS. Erl. 1. Lips. 3. Zwicc. Heidelb. plane omissa, in MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 2. in margine tantum notata reperiantur, in omnibus denique, qui ea continent, varie scripta sint, e textu ejicienda esse duxi. In Edd. Ven. 1. 2. ita haec verba leguntur: *Alia apud Graecos communia sunt; apud nos quoque communia sunt.* MS. Erl. 2. *Alia graeca communia sunt, quae apud nos similiter communia sunt* φιλωσοφως *ut hic et haec philosophus* rel. MS. Dresd. *Alia graeca commu-*

piuntur secundae declinationis haec, humus, alvus. Virgilius in secundo Aeneidos: *In latus inque feri curvam compagibus alvum.* Attius tamen masculinum hoc protulit Annalium primo: *Maja nemus retinens gravido concepit in alvo.* et domus, colus, quae tam secundae quam quartae declinationis inveniuntur. Quartae vero, 34
anus, nurus, socrus, quae ipsa natura foeminina esse ostendit. Et praeterea manus, tribus, porticus, et neutrum pelagus, quod apud Graecos eiusdem est generis neutri, et vulgus, quod tam masculini quam neutri generis invenitur. Virus quoque neutri est generis, sicut et pus, quod est indeclinabile. Penus invenitur et masculinum et foemininum et neutrum. Virgilius in primo Aeneidos: *Cura penum struere.* Terentius in Eunucho: *Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.* Horatius in primo Epistolarum: *Annonae prosit, portet frumenta penusque.* In us correptam tertiae declinationis nomina neutra sunt, ut munus, opus. Excipitur hic lepus, haec Venus, hic et

---

nia, quae apud nos quoque communia sunt, phylophus phylosophy φιλοσοφως, hic et haec phylocalus. Sed pictura varietatis exempla adscribere piget.

quamvis Plautus etiam hoc sexus neutro genere protulit. Vulgo, *quamvis Plautus hoc sexus hujus sexi.* Addidi *etiam* e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. et omisi *hujus sexi* eorundem Codicum auctoritate. *in Rudente.* Est Act. I. Sc. 2. vs. 19.

§. 33. *artus.* Ita Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Vulgo *arcus.* MS. Dresd. *arctus.*

haec acus invenimus. Ita Codd. et Edd. Ven. 1. 2. Reliquae *invenimus haec acus.*

Lucanus in X. Est vs. 142. *Iuven. in II.* Est vs. 95.

quod Graeci οβελον dicunt. Pro *vocant* e Codd. restitui *dicunt. οβελον.* Vulgo, *obelon.* Putschius emendavit.

Varro R. Rust. III. Est Cap. 9. Nec hic locus recte allegatus est. Varro his utitur verbis: *In cubilibus, cum parturient, acus substernendum.*

Idem in primo. Est cap. 57. Verba apud Varronem ita leguntur: *ex argilla mixto acere e frumento.*

Virgilius in secundo Aen. Est vs. 52. Mox pro *Actius* scripsi *Attius.*

§. 34. *et neutrum pelagus, quod apud Graecos.* Edd. *et neutra — quia et.* Nos Codices nostros secuti sumus.

Virg. in primo Aen. Est vs. 704. *Terentius in Eunucho.* Est Act. II. Sc. 3. vs. 18. *Horatius in primo Epistolarum.* Est ep. XVI. vs. 72.

haec Ligus, hic et haec et hoc vetus. Et pecus, quod foemininum haec pecus pecudis declinatur, teste Capro; neutrum, hoc pecus pecoris. In us productam, si sint monosyllaba, neutra sunt, ut rus, crus, ius, plus, tus. Excipiuntur hic mus muris, hic et haec sus suis, grus gruis. Supra syllabam autem foeminina sunt, ut servitus, iuventus, senectus, incus, salus, palus, tellus. In ax desinentia, si sint adiectiva, communia sunt trium generum, ut hic et haec et hoc capax, audax, contumax, pervicax, rapax, fallax. Alia vero omnia, etiamsi interposita sit alia consonans, foeminina sunt, ut fornax, pax, fax, lanx, arx, calx, falx; propria Graeca et barbara masculina sunt, ut Aiax, Pharnax, Atax. In ex monosyllaba masculina duo inveniuntur, grex, rex. Alia vero omnia monosyllaba in x, quacunque vocali sive consonante antecedente, foeminina sunt, ut lex, faex, nix, pix, nox, crux, lux, calx, merx. Excipitur unum commune hic et haec dux. In ex supra syllabam, i antecedente in penultima syllaba, foeminina sunt, haec ilex, silex. Auctores tamen et hic silex inveniuntur proferentes. Iuvenalis in secundo: *Nec melior, pedibus sili-*

§. 35. *Excipiuntur hic mus muris, hic et haec sus suis, grus gruis.* Ita Codices optimi, Zwicc. scilicet 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd., scribi jusserunt. Libri editi ita: *excipiuntur hic mus, hic et haec sus, haec grus.*

senectus, incus. Vulgo, *senectus, virtus, incus.* Vocem *virtus* MSS. Zwicc. 1. Dresd. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. omiserunt; in Cod. Zwicc. 2. in margine additur.

propria Graeca. Quod Edd. inserunt *vero,* ego Codicum auctoritate expunxi.

§. 36. *haec ilex, silex.* Vulgo, *haec vibex, ilex, silex.* Omiserunt *vibex* MSS. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Zwicc. 2. Nos Codices secuti sumus. Non raro enim Priscianus materiam non exhausisse deprehenditur.

Iuvenalis in secundo. Est Sat. VI. vs. 350.

Nec melior, pedibus silicem. Ita et in ipso Iuvenale scribendum est, non, ut vulgo legitur, *silicem pedibus.* Equidem Codd. Zwicc. 2. et Lips. 1. secutus sum.

Ovidius in VII. Metam. Est vs. 107. *Virgilius autem in octavo.* Inseruі e MSS. Dresd. Zwicc. 2. *autem.* Est vs. 233.

Virg. in III. Georg. Est vs. 251. *Virgilius in septimo.* Est Aen. Lib. VII. vs. 742.

Idem in Buc. Est Ecl. VI. vs. 62. 63.

Vervex etiam. MS. Dresd. addit *προβατον.*

Iuvenalis in primo. Est Sat. III. vs. 294. Edd. Ven. 1. 2. exhibent: *sutor et elixi* rel.

sem quae conterit atrum. Ovidius in VII. Metamorphoseon: *Aut ubi terrena silices fornace soluti.* Virgilius autem in octavo: *Stabat acuta silex praecisis undique saxis.* Pellex quoque ad mulieres pertinens foemininum est. Necnon etiam carex, supellex. Virgilius in III. Georg. *Et carice pastus acuta.* Alia, nisi sint adiectiva, masculina sunt, hic vertex, culex, pollex, codex, murex, cortex. Hoc tamen etiam foeminini invenitur. Virgilius in septimo: *Raptus de subere cortex.* Idem in Bucolico: *Tum Phaëthontiadas musco circumdat amarae corticis, atque solo proceras erigit alnos.* Vervex etiam, cuius finalis syllaba naturaliter producitur, masculinum est. Iuvenalis in primo: *Et elixi vervecis labra comedit.* Adiectiva vero omnia in x desinentia, sive e, sive VII quacunque vocali alia antecedente, communia sunt trium 37 generum, hic et haec et hoc simplex, artifex. In ix, si penultima brevis est, masculina sunt, hic calix, varix. Excipitur haec salix et haec filix. Virgilius in secundo Georgicon: *Et filicem curvis invisam pascit aratris.* Longa vero penultima foeminina sunt, haec matrix, cornix, lodix, radix, claxendix, quod significat

---

§. 37. *hic calix, varix.* Vulgo, *ut hic calix, hic varix.*

Virg. in secundo Georgicon. Vulgo, *ut in Virg. In* omiserat etiam Putschius. Ego Codicum auctoritate delevi *ut.* Est vs. 189. In Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. 3. hic locus a verbis *excipitur haec salix — aratris* post verba e Plauti Vidularia allegata posita sunt, quod quam incommode factum sit, nemo est quin videat. In Cod. Dresd. *Similiter radix — dicam quid sit* infra §. 38. post *tamen masculinum est* leguntur. In MS. Erl. 1. uncis haec inclusa sunt. In MS. Lips. 1. ita legitur: *In ix, si penultima brevis est, masculina sunt, hic calix, hic varix, longa vero penultima, foeminina sunt, radix, claxendix* rel. Addidit ergo librarius *longa vero penultima* et omisit *similiter.* MS. Lips. 2. ita hunc locum exhibet: *In ix — hic varix, penultima vero producta feminina sunt, ut radix, claxendix* rel. In tanta Codicum varietate recte mihi fecisse videor, quod nullus Codicis, qui verosimillima exhiberet, auctoritatem sequerer. Textus igitur, qualis nunc quidem legitur, e Cod. Erl. 2. paucis mutatis expressus est. Ita et Edd. Ven. 1. 2. Caeterum equidem persuasum habeo, verba *radix, claxendix* rel. e nota marginali in textum illata esse, quod cum incerta sedes, tum quod variis modis annexa caeteris reperiuntur, arguit. In MS. Heidelb. in imum marginem rejecta sunt et signum in textu appositum post *obstitrix* inseri ea jubet.

Longa vero penultima foeminina sunt. Vulgo, *alia vero.* Cod.

concham, qua signum tegitur. Plautus in Vidularia: *Opposita est claxendix! At ego signi dicam, quid sit.* Et omnia verbalia, ut nutrix, victrix, meretrix, natrix, quod tamen, cum speciem anguis significat, masculini quoque invenitur. Lucanus in nono: *Et natrix violator aquae.* Potest tamen hoc et figurate ad serpentem videri redditum, quod etiam foeminino genere profertur, ut idem: *Hinc maxima serpens Python.* Sicut *Praeneste sub ipsa.* Obstetrix quoque pro obstitrix.
38 Excipitur hic fornix, quod quamvis penultimam positione longam habeat, tamen masculinum est. Adiectiva supradictam servant generum regulam, hic et haec et hoc pernix, felix. Sciendum tamen, quod in verbalibus in trix terminantibus invenimus obliquos casus coniungi solere etiam neutris, ut victrici signo. Vnde *victricia tollite signa.* Quamvis hoc victrix non memini me legisse, etsi analogia declinationis exigat. In ox omnia adiectiva sunt, pernox, ferox, velox; excepto uno celox; species est navis: et monosyllabis his, haec vox, nox, de quibus supra dictum est. In ux supra syllabam masculina sunt propria, Pollux, Volux; unum commune, quod n habet interpositam in nominativo, et eam in obliquis casibus amittit, hic et haec conjunx conjugis. Sunt tamen, qui nominativum

---

Erl. 1. *alia vero omnia.* Ego e MS. Lips. 1., quod necessario mihi requiri videbatur ad perfectam sententiam, *longa penultima* adjeci, ejusdemque Codicis auctoritate ante *radix* omisi *similiter claxendix.* Ita plerique Codices hanc vocem exprimunt. MS. Dresd. *clascendix.* Edd. Ven. 1. 2. *clasendix.* MS. Lips. 3. *classendix.* Idem haec addit: *Non* (nam?) *classendix dicitur a calo verbo graeco, quod idem est, quod voco: hinc classendix tuba, qua vocantur milites.* Idem haec subjungit: *cujus quamvis penultima brevis sit, tamen masculinum est.*

Plautus in Vidul. Opposita est. Vulgo, *apposita.* Sic et nonnulli Codd. At ego vero praetuli *opposita*, quod Codd. Lips. 1. 2. 3. praebent. Nam *opponere* hoc loco significat *superimponere.*

Lucanus in nono. Est vs. 720. Mox ad *figurate* e Codd. Zwicc. 1. 2. adjeci *et. Idem.* Lucanus VI. vs. 407.

Sicut Praeneste sub ipsa. Aen. VIII. 561.

obstitrix. MS. Dresd. *obstatrix.*

§. 38. *quod quamvis penultimam — habuit.* Edd. omnes *habeat.* Equidem MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. auctoritate posui perfectum.

quoque putant sine n scribendum. In yx graeca sunt, 39
et servant eadem apud nos genera, Phryx, Eryx, Styx, Sandyx. Breviter quoque de generibus in x terminantium sic possumus dicere, quod in x desinentia adjectiva communia sunt trium generum, ut hic et haec et hoc audax, artifex, felix, velox. Appellativa vero ad utrumque sexum hominum pertinentia communia utriusque, ut hic et haec coniunx, dux. Quae autem ad solos mares pertinent, masculina, et quae ad foeminas, foeminina, ut hic rex, haec pellex. Graeca vero, sive notha, eadem servant et apud nos genera, quomodo et barbara, ut hic Phaeax, Ajax, calix, ἀπὸ τοῦ καλίξ, Pollux, Atax, Volux, haec Sphinx, nox. Reliqua supra syllabam, nisi sint foetus terrae, e ante x habentia masculina sunt, ut hic cimex, vertex, apex, exlex, vervex. Excipitur supellex. Alia vero omnia in x desinentia foeminina sunt, ut haec pax, nux, crux, ilex, salix, carex, filix ἄγρωστις, fornax, vibix μώλωψ, celox. Excipiuntur hic grex, varix, fornix, et hic et haec cortex, silex. In t neutra sunt, ut caput, sinci- 40
put, occiput, git ἀνθέμιον, Nepet, oppidi nomen. In duas desinentia consonantes, si sint adjectiva, communia sunt trium generum, ut hic et haec et hoc expers, prudens, inops, insons. In his sunt ponenda et illa om-

---

Unde victricia — signa. MSS. Lips. 2. Erl. 1. addunt ad *unde, Lucanus.* Mox Lips. 2. post *in ax omnia* addit *desinentia, velox, species est navis.* Vulgo, *quod species est navis.* Ut nos edidimus, plerique MSS. iique praestantissimi. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 2., scribi jubent. MS. Heidelb. *species navis.* Edd. Ven. *species navis est.* Erl. 1. *quod speciem navis significat.* Fateor, e glossemate orta mihi videri. *Et monosyllabis his, haec vox, nox, de quibus supra dictum est.* Ita e Cod. Lips. 2. edidi. Vulgo, *et monosyllabis, de quibus supra dictum est, haec vox, nox.*

unum commune. MSS. Erl. 2. Lips. 2. omiserunt quae proxime sequuntur, *quod n habet interpositam in nominativo, et eam in obliquis casibus amittit.* Pro *et eam* MS. Dresd. *quam.* MS. Zwicc. 1. omisit *in* ante *obliquis.* Post *nominativum* omiserunt *quoque* MSS. Lips. 2. Dresd. MS. Erl. 2. supra scriptum habet.

§. 39. *filix ἄγρωστις.* Graecum omiserunt Zwicc. 1. Lips. 2. *vibix.* Ita plerique Codd. Vulgo, *vibex.* Graecum *μώλωψ* omiserunt Codd. Lips. 2. 3.

§. 40. *git ἀνθέμιον.* Graecum omiserunt Zwicc. 1. 2. Lips. 2. Dresd.

nia, quae apud Graecos vel communia sunt, vel faciunt ex se foeminina, princeps ὁ ἀρχηγὸς καὶ ἡ ἀρχηγός. Virgilius in X. *Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques, augurium Phrygibusque adsis pede diva secundo.* Municeps ὁ συντελεστὴς καὶ ἡ συντελέστρια, ὁ πολίτης καὶ ἡ πολίτης. Iuvenalis in quarto: *Municipes Iovis advexisse lagenas.* Parens ὁ γονεὺς καὶ ἡ γονεύς: quae quamvis possint figurate neutris quoque adiungi, in plurali tamen numero deficit eorum secundum neutra terminatio; et fortassis, quia aliud significant, principia, municipia, parentia, nec apud Graecos tamen habent neutra, γονεῦς, nec πολίτης, quia
41 non sunt adjectiva. Alia vero, si sint monosyllaba, foeminina sunt, ars, fors, gens, mors, lens, frons, mens, pars, sors, scrobs. Ovidius in VII. Metamorphoseon: *Haud procul egesta scrobibus tellure duabus.* Et masculino tamen genere invenitur. Plautus in Amphitrione: *Ibi scrobes effodi duplos sexagenos in dies.* Ops, stips, trabs, stirps, quod etiam masculinum invenitur, et maxime in arboribus; urbs, puls, exceptis mons, fons, pons, dens, Mars. Quae vero supra syllabam sunt, si sint propria, vel in ps desinentia, ma-

---

Virgilius in X. Est vs. 255. *Juvenalis in quarto.* Est Sat. XIV. vs. 271. *Municipes.* Ita scripsi e Codd. Lips. 2. Erl. 2. Plurimi Codices et Editiones ad unam omnes *municeps*, quod vitium nec Putschium correxisse miror.

quia non sunt adjectiva. Libri impressi omnes *quae non* rel. Meliorem lectionem debeo MSS. Erl. 2. Lips. 2.

§. 41. *Ovidius in VII. Metam.* Est versus 273.

Plautus in Amphitrione. Est fragmentum, quod nunc quidem non legitur in Plauti Amphitruone. Scripsi *Amphitrione*, *i* pro *u*, quia in Codicibus sic scriptum hoc nomen reperi. *Effodi* dedi pro *effodito*, Codices enim mei ad unum omnes illud exhibent. Post hunc ex Amphitruone allegatum locum in libris editis duae voces Graecae reperiuntur, ἡ ἐμπορία καὶ ἡ ῥέα. Posterior vox abest a praestantissimis Codicibus, Lips. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Notandum praeterea est, in his Codd. *συμπορία*, non ἐμπορία inveniri. Utraque vox abest a Codd. Lips. 2. Erl. 2. quibus sane multum tribuendum est: quos secutus delevi has voces, cum hoc quidem loco plane otiosae sint; certe post *ops* poni debebant.

vel in ps desinentia. Vulgo *vel appellativa in ps desinentia.* Vox *appellativa* abest a MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd.

sculina sunt, Aruns, Ufens, Cynips, Mavors, manceps, adeps τὸ λίπος, forceps, auceps: quae tamen veteres etiam foeminino genere protulerunt. Varro in secundo rerum rusticarum: *adipes illa* pro adeps. Marsus: *Adips pondo XX vetustae.* Novius in Signario: *Signare oportet frontem calida forcipe.* Caetera vero foeminina sunt, hiems, cohors. In aus foeminina VIII
sunt, fraus, laus. In aes diphthongum unum mascu- 42
linum, praes praedis, et unum neutrum, aes aeris. Sciendum tamen, quod vetustissimi in multis, ut diximus, supradictarum terminationum inveniuntur confudisse genera, nulla significationis differentia coacti, sed sola auctoritate, ut hic et haec aspergo, alvus, arcus, adeps vel adipes, charta, cardo, cinis vel ciner, cervix, collis, crux, calx, cupressus, platanus, populus, laurus, aquila, crinis, carbasus, colus, hic et haec cassis, clunis, [hic et haec concha,] callis, fornax, frutex, grex, frons frontis, hic et haec humus, imbrex, linus, later. Attius: *Non calida latice lautus.* Lembus, linter, lepus, agnus, leo, pampinus, perdix, hic et haec palumbes, hic et haec faex, rudens πρότονος, socrus, supparus περιώμιον, et hoc supparum, se-

---

Novius in Signario. Vulgo, *Naevius in Lignaria.* Primum *Novius* pro *Naevius* praestant MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. Ita et Putschius. *Signario.* Vulgo, *Lignaria*, quae lectio plurimorum Codd. v. c. Lips. 1. Dresd. Erl. 1. Heidelb. auctoritate commendatur. MSS. Luth. Lips. 2., qui plurimi valent, *signaria.* Cod. Erl. 2. *lignario.* Ex his lectionibus meam concinnavi, quae quam commoda sit, non mei est judicii.

§. 42. *ut hic et haec aspergo.* Vulgo additur προσφάντιστε, quam vocem equidem delendam censui, cum in MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. frustra quaereretur.

hic et haec concha. Nullus meorum Codicum cum vulgata faciunt lectione; sed omnes exhibent *hic et haec conscia.* Ita et Ed. Ven. 1. Ed. Ven. 2. *conciata.* MS. Dresd. neque *concha* neque *conscia* habet, sed utrumque omisit. Equidem cum nihil certi in promptu habeam, sed potius ipse edoceri quam maxime velim, uncis inclusi, ut lectio incerta esse significetur.

Attius: Non calida. Aldina, multorum errorum mater, quam Edd. Bas. Colon. secutae sunt, satis inepte *non callida*, quod vitium Putschius correxit. Fatendum tamen est, hanc maculam Venetis quoque editionibus adspersam esse.

hic et haec palumbes. Ita Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. aliique. Vulgo, *hunc et hanc palumbem.* Quod cum contra Prisciani

nex, stirps, torris ὁ δαλὸς, tiaras, Tibris, amnis, tor-
43 quis, trames, vesper, hi et hae vepres. In multis aliis etiam confudisse genera vetustissimi inveniuntur, sive in eisdem terminationibus, seu mutantes eas terminationes. Neutra quoque quaedam solebant etiam masculino genere proferre, vel e contrario, ut hic et hoc guttur, murmur, globus, quod etiam hoc glomus glomeris dicitur: hic fretus etiam et dorsus, huius fretus, dorsus, pro fretum freti, et dorsum dorsi dicebant: hic gelus et hoc gelum pro gelu, Histrum pro Hister, et Rhenum, Tanagrum, Metaurum, Iberum, Vulturnum, Oceanum. Hoc tamen, quotiens flumen seque-
44 batur, solebant facere. Iubar quoque tam masculinum quam neutrum proferebant. Ennius in Annalibus: *Interea fugit albus jubar Hyperionis cursum.* Calvus in Epithalamio: *Hesperium ante jubar quatiens*, hoc jubar dixit. Si enim esset masculinum vel foemininum, jubarem dixisset. Hic et hoc liquor, hic et hoc papaver, hic et haec et hoc penus, et hoc penum. Plautus in Pseudolo: *Nisi mihi annuus penus hic ab amatoribus congeratur, cras populo prostituam vos, o puellae.* Lucilius: *Magna penus parvo spatio consumpta peribit.* Plautus in Captivis: *Dicam seni curet sibi aliud penus.* Caesar Stra-

---

usum et consuetudinem sit, nullus equidem Codicum lectionem praeferre dubitavi.

§. 43. *globus, quod etiam hoc glomus glomeris dicitur.* Haec est lectio Codicum praestantissimorum, Luth. Erl. 2. Lips. 2. Vulgo, *hic et hoc globus — hujus glomeris dicitur.*

§. 44. *vel foemininum jubarem dixisset.* Addunt editi libri his *quatiens*, quam ex antecedentibus repetitam vocem cum Codices plerique ignorent, nec a glossatore adscriptam quemquam fugere possit, jure delevisse puto. Notandum praeterea est, hanc vocem et in ipso Calvi versu omissam esse a Codicibus Lips. 1. 3. et in Cod. Luth. supra scriptam. MS. Erl. 1. *quotiens.* Cod. Luth. *quotiens hoc jubar dixit.*

Plautus in Pseudolo. Est Act. I. Sc. 2. vs. 45. 46. Hi versus parum diligenter allegati sunt. Ita sonant apud Plautum (Bothe): *Facite hodie, ut munera multa huc ab amatoribus conveniant: Nam ni hodie penus annuos convenit, cras populo prostituam vos.* Pro *congeratur* duo Codices *congeretur.* Cod. Dresd. *congregetur.* MS. Erl. 2. *nisi mihi esset.* Versum alterum *cras populo* rel. omiserunt Codd. Lips. 2. Dresd.

Plautus in Captivis (Ed. Bothe) Act. V. Sc. 1. vs. 853. sive Act. IV. Sc. 4. vs. 12. Hic quoque versus apud Plautum diversus est.

bo in oratione, qua Sulpicio respondit: *Deinde propinquos nostros Messalas domo deflagrata penore volebamus privare.* Afranius in Talione: *Vos quibus cordi est intra tunicam manus leva, dextra in penum herile.* Hic et haec et hoc pecus. Ennius in Nemea: *Pecudi dare viva marito.* Potest tamen figurate hoc esse prolatum, ut si dicam: Aquila maritus vel rex avium. Hic et haec re- 45
tis et hoc rete; hic et hoc sexus; hic et haec et hoc specus; hic et hoc sal. Cato in secundo: *Ex sale, qui apud Carthaginienses fit.* Afranius in Compitalibus: *ut quicquid loquitur sal merum est.* Etiam hoc sale Ennius protulit in XIV. Annalium: *Coeruleum spumat sale conferta rate pulsum*, pro mare. Supradictorum tamen nominum usus, et apud Caprum, et apud Probum de dubiis generibus invenis.

Numerus forma est dictionis, quae discretionem IX
quantitatis facere potest. Est autem vel singularis 46
vel pluralis. Nam dualis apud Latinos non invenitur. Singularis est, ut homo; pluralis, ut homines. Et sciendum, quod in uno proprie numerus non dicitur, sed abusive, quoniam nominativus casus non est, sed abusive casus dicitur, quod facit alios casus: quamvis multi de hoc dicunt, quod ideo casus sit dicendus, quod a

---

Afranius in Talione. Codd. Luth. Erl. 2. *Taleone.* Edd. Ven. *Talone.*

Ennius in Nemea. Lips. 3., nisi oculi me deceperunt, *meuea. Pecudi dare viva marito.* Sic scribi jusserunt MSS. Lips. 2. Erl. 1. 2. Dresd. pro vulgato, *viva una.* MSS. Zwicc. 1. 2. *vitam.* MSS. Lips. 1. 3. *vivam.* Edd. Ven. 1. 2. *una.* Putschius jam ante nos veram restituerat lectionem. Mox pro *hoc figurate* secundum Codices meos scripsi *figurate hoc.*

§. 45. *Afranius in Compitalibus.* Sic omnes MSS. praeter Dresd. qui *Capitalibus* refert.

Ennius in XIV. Annalium. Lips. 2. IIII. Ita et Putschius, Edd. Ven. 1. 2. Lips. 1. ante corr. XIIII. post corr. IX. Dresd. Erl. 1. 2. Heidelb. XIV. *Pro mare.* Plerique Codd. *per mare.* Pro vulg. *invenies* Codices Zwicc. 1. Luth. Erl. 2. Heidelb. *invenis.* Hoc ergo recepi.

§. 46. *Numerus forma est dictionis.* Hunc verborum ordinem dedit MS. Lips. 2. Vulgo, *Numerus est dictionis forma.*

Sed abusive casus dicitur, quod facit. Edd. praeter Venetas, — *dicitur eo quod.* Illud *eo* omittunt Codices Zwicc. 1. 2. Luth. Erl. Dresd. Nec opus eo est. Post *alios casus* MS. Zwicc. 2. addit *cadere.* Mox scripsi *dicunt* pro *dicant* e Cod. Lips. 1.

generali nomine cadant omnium specialium nominativi. Sed si hoc casus est dicendus, omnes partes orationis possunt videri casum habere. Et verbum enim, et adverbium, et conjunctio, a generali verbo, et adverbio, et conjunctione cadunt in speciales positiones singula-
47 rum, Alii autem dicunt, quod ipsa terminatio nominativi cadens in alias diversas terminationes non incongrue casus nominatur, cum naturam habeat, ut cadere possit, et cadendo faciat omnes casus; quippe casus dicitur non solum illud, in quod cadit aliquid, sed etiam ipsa res, quae cadit. Unde aptota dicunt illa nomina doctissimi artium scriptores, quae nominativum tantum habent casum: in quo refutatur illorum ratio, qui ideo putant eum casum nominatum, quod a generali nomine cadat. Possumus autem et a majore, et a frequentiore parte casuum, qui sunt obliqui, hunc quoque accipere nominatum, quomodo et syllabas ex singulis vocalibus dicimus. Ergo singularis quoque numerus bene dicitur, quod ipse geminatus et multiplicatus facit omnes numeros: et quod omnes numeri ex
48 ipso componuntur, et in ipsum dissolvuntur. Et singularis quidem numerus finitus est; pluralis vero infinitus. Cum enim dico homo, certum est de uno dicere: cum vero homines, incertum est, de quot. Nam a duobus usque ad innumerabiles extenditur significatio. Itaque natura numeorum quoque certorum invenit nomina, quibus adjunctis nihil ultra citraque intelligere liceat, ut homines duo, centum, mile. Ergo dubitationem pluralium discutit adjunctio eorum nominum, quae singulis numeris sunt propria, suae cujusdam positionis; quippe cum sint pluralia non a singularibus nata. Omnia enim a se nascuntur; nam duo

---

Sed si hoc casus est dicendus. Vulgo *ob hoc.* In nonnullis Codd. *ob* supra scriptum est. Lips. 3. *praeter.* Expuli.

§. 47. *quippe casus dicitur.* Ita recte, puto, Codd. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 2. Edd. Ven. 1. 2. Vulgo, *quippe si casus.*

in quod cadit aliquid. Cadit dedi pro *cadat* e MSS. Erl. 1. Lips. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. *in quo cadat. refutatur illorum ratio.* Sic Codd. Zwicc. 2. Dresd. Lips. 1. 3. Erl. 1. Vulgo, *eorum.*

et in ipsum dissolvuntur. Pro *resolvuntur* dedi e Codd. Luth. Zwicc. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. *dissolvuntur.*

non est ab uno derivatum, nec tres a duobus, nec quatuor a tribus. Numeros autem hae habent dictiones, quae personas quoque habent, vel finitas vel infinitas, id est nomina, verba, participia, pronomina. Unde si deficiat personis verbum, deficit etiam numero, qualia sunt infinita, impersonalia, gerundia vel supina. Adverbium vero quamvis saepe demonstrat numerum 49
ad significationem nominum numeralium, non tamen quasi accidentem hunc habet. Accidentia enim generalia fere sunt ad omnes species partium perfectarum. Quod enim dicas singularis numeri adverbium, vel quod pluralis, cum similiter omne adverbium tam singularibus quam pluralibus verbis adjungitur, etiam numerale, quemcunque numerum significet, ut sigillatim circumeo, et sigillatim circuimus. Pluraliter loquor, et pluraliter loquimur; saepissime dico, et saepissime dicimus, quod in nulla parte alia numerum possidente potest contingere, nisi figurate, ut, cum sint numeri, singularis plurali adjungantur vel, cum sint pluralis, singulari. Praeterea nomen et pronomen, et verbum, X
et participium declinantur in numeros. Adverbium 50
autem quicquid significet, et quemcunque numerum, indeclinabile manet. Hoc autem interest inter numerorum nomina, quae sunt indeclinabilia, et inter adverbia, quod ea licet tam singularibus adjungere, ut praedixi, quam pluralibus, ut milies dixi, et milies diximus. Illa vero non nisi pluralibus, ut mille homines, diximus. Nec praepositio igitur, nec conjunctio, nec interjectio, numerum habent: quippe nec personas significant. Inveniuntur quaedam nomina, quae utrumque numerum eadem voce demonstrant, ut in prima declinatione singularis genitivus, et dativus, et

---

§. 48. *duo, centum, mille.* Vulgo *vel mille.* Omisi *vel* auctoritate Codicum Lips. 2. Erl. 1. Mox ante *singulis numeris* omisi *in*, Codice Lips. 2. jubente.

§. 49. *quamvis saepe demonstrat.* Indicativum pro conjunctivo posui e Codd. Zwicc. 1. 2. Erl. Lips. Edd. Ven. 1. 2. Sic mox quoque scripsi *adjungitur* pro *adjungatur*, et *significet* pro *significat*.

Sigillatim — sigillatim. Ita Codd. pro *singillatim*, quod et Edd. Ven. 1. 2. repudiaverunt.

§. 50. *Hoc autem interest.* Pro *tamen* posui e Cod. Dresd. *autem*.

pluralis nominativus, et vocativus, huius et huic poe-
51 tae, hi et o poetae. Et in mobilibus trium generum omnibus singularia foeminina, et pluralia neutra eandem vocem habent, haec prima, ἡ πρώτη, τὰ πρῶτα. sacra, ἡ ἱερὰ, καὶ τὰ ἱερά. maxima, ἡ μεγίστη, καὶ τὰ μέγιστα. In secunda quoque declinatione genitivus singularis, et nominativus, et vocativus pluralis idem est, huius docti, hi docti et o docti. In tertia omnia in es productam terminantia, cum pares habeat nominativo syllabas genitivus, nominativus quoque pluralis, et accusativus, et vocativus idem est, ut hic Verres, hi et hos et o Verres. haec caedes, hae et has et o caedes. In quarta etiam genitivus singularis, et nominativus, et accusativus, et vocativus pluralis idem est. Quippe in omnibus his casibus producitur us, huius fluctus, hi et hos et o fluctus. In quinta quoque declinatione omnis nominativus et vocativus singularis, et nominativus et accusativus et vocativus pluralis, idem est, ut haec et o res, spes, facies, hae et has et o res, spes,
52 facies. Nec solum in nominibus, sed etiam in pronominibus invenies quaedam communia utriusque numeri, ut in his, quae genitivum vel dativum singularem in i terminant, et similiter nominativum pluralem, ut mei, tui, sui, nostri, vestri, illi, isti, ipsi, ei. Qui quoque tam singularis est nominativus, quam pluralis. In participiis quoque mobilibus idem fit, quod in nominibus. Nam in verbis nulla vox eadem apud Latinos singularis est et pluralis. Sunt quaedam

---

§. 51. *In tertia omnia in es productam. Es* Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. Sed Putschius *s.* Edd. Bas. Colon. *r.*

§. 52. *nulla vox eadem apud Latinos singularis est et pluralis.* His addunt libri editi, quotquot oculis usurpavi, *quia id apud Graecos interdum invenitur, ut ἦλθον ἐγὼ, ἦλθον ἐκεῖνοι.* Neminem fore puto, quin, quam incommode haec per *quia* antecedentibus subnectantur, sentiat. Si igitur sana essent, praestaret cum Cod. Zwicc. 1. legere *quod* pro *quia id.* At vero glossatori haec omnia debentur, ergo nec, quomodo accommodanda sint caeteris, laborandum est. In Cod. Luth. marginem occupaverunt, et ab aliena manu adscripta sunt. Omiserunt MSS. Lips. 1. 2. Heidelb. Erl. 2. Zwicc. 2. Qui Codices cum sint omnium praestantissimi, non video, cur non parendum iis sit.

quando vel eventus. Adjeci e Codd. *vel.*

nomina semper singularia; vel natura, vel usu. Natura, ut propria, quae naturaliter individua sunt, Iupiter, Venus, Ceres, Achilles, Hector, Sol, Luna, Italia, Sicilia, Cilicia: usu, quae singulariter proferri tradidit usus, ut sanguis, pulvis. In his tamen ipsis est quando vel eventus vel partitio regionum vel diversae opiniones, vel auctoritas veterum cogit, vel quando pro appellativis quoque proferuntur, ut etiam plurali numero proferantur. Eventus, quod evenit saepe eodem proprio nomine duos vel plures nuncupari: ut Aeneas Anchisae filius, et Silvius Aeneas. Pyrrhus filius Achillis, et Pyrrhus rex Epirotarum. Ajax Telamonius, et Ajax Oilei filius. Haec enim non naturaliter commu- 53
nia sunt, quippe nullam qualitatem communem significant, sed casu diversis contigere personis. Idem facit partitio regionum, ut Gallia citerior, et Gallia ulterior; diversae opiniones, quod quidam multos soles, et multas lunas esse putaverunt. Terra quoque, virtus, pietas, justitia, probitas, et similia, quando deas significant, propria sunt; quando vero partes, vel in hominibus sitas res, appellativa sunt. Itaque si sint 54
propria, non habent pluralem numerum: sin appellativa, habent. Auctoritas, ut mella, frumenta, hordea, farra, plurali numero protulit Virgilius, cum in usu frequentiore singularis numeri sunt, sicut alia quoque plurima, ut sanguis, pulvis, pax, quae tam singulariter, quam pluraliter prolata idem possunt significare. Sed pluraliter non utimur eis, quia auctoritas deficit,

---

§. 53. *Sed casu diversis contigere personis.* His addunt libri editi haec: *Non enim ideo eodem nomine nuncupati sunt, quia qualitatem similem habeant, id est, quod duo albi essent, vel duo nigri, vel duo formosi.* Haec, parum acute scripta vel excogitata, ut merum glossema e textu exturbavi. Omiserunt MSS. Lips. 1. Erl. 2. Heidelb. In margine exhibent Codd. Luth. Lips. 2. Nec tamen, qui referunt, sine varietate exhibent. Lips. 2. pro *essent* habet *sunt*. Lips. 3. omittit *duo* ante *nigri*. Zwicc. pro *habeant* exhibent *habent*. Edd. Ven. 1. 2. omittunt *vel duo formosi*. MS. Erl. 1. punctis distinxit infra positis, spuria esse significans.

§. 54. Scripsi *sunt* pro *sint* post *singularis numeri* Codd. Luth. Dresd. secutus. Mox edidi *quomodo cruores*. Editiones: *quomodo dicimus cruores*. *Dicimus* ex interpolatione insertum esse patet. Omiserunt MSS. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2.

cui si collibuisset, quomodo cruores, dicere sanguines, vel quomodo cineres, sic pulveres, nihil impediret. Sciendum tamen, quod metallorum vel seminum, vel humidorum ad mensuram vel ad pensum pertinentium, pleraque semper singularia inveniuntur, ut aurum, argentum, aes, plumbum, stannum, vitrum, aurichalcum, electrum, triticum, ervum, ὀρύζα, faba, lens, pisa, conchis, acetum, liquamen, mulsum, oleum. Adeo autem haec usus, non regula prohibet, etiam pluralia habere, quod quidam propria confisi auctoritate plurali quoque, ut dictum est, haec protulerunt numero, ut hordea, frumenta, fabae, 55 vina, mella. Similiter sunt quaedam semper pluralia, vel natura, vel usu: natura, ut Gemini, proprium in signo caelesti, et Pisces: usu, ut manes, arma, moenia, nundinae, kalendae, nonae, idus, Floralia, Saturnalia, Compitalia, Neptunalia, et omnia pene festorum dierum nomina. Sunt quaedam singularia voce, intellectu pluralia, quae etiam comprehensiva dicuntur, id est περιληπτικά, ut populus, exercitus, legio. Sunt alia contra intellectu singularia, voce pluralia, ut Athenae, Thebae, Mycenae, Maenala, Gargara, Tartara, Dindyma, Bactra. Inveniuntur tamen quaedam in his, etiam singulariter prolata, idem significantia. Virgilius in quinto: *Argolicove mari depressus et urbe Mycena.* Statius in octavo Thebaidos: *Vive superstes, ait, diraeque ad moenia Thebes solus abi.* Maenalus quoque dicitur, et Tartarus, et Gargarus. Virgilius in Bucolicis: *Maenalus argutumque nemus, pinos-*

---

aurichalcum scribi jussi pro *orichalcum*, licet nec hoc Codicum auctoritate destituatur. Praetuli enim praestantissimorum Codd. Lips. 1. Erl. 2. Luth. scripturam.

liquamen, mulsum. Interponunt Edd. *lac.* Omisi secundum Codd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. Dresd. Edd. Ven. 1. 2.

§. 55. Posui *Floralia* et *Saturnalia* post *idus*, cum in libris editis inter *moenia* et *nundinae* posita conspiciantur, Codd. Dresd. Erl. 2. auctoritate motus. Ante *alia contra* addidi e MSS. Luth. Dresd. Lips. 1. 3. Erl. 2. *sunt.* Deinde pro *etiam in his quaedam* scripsi secundum MSS. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. Zwicc. *quaedam in his etiam.*

Virg. in quinto. Est vs. 52. *depressus.* Vulgo *deprensus.* Illud dederunt MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd.

que loquentes semper habet. Idem in sexto: *Tum Tartarus ipse bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras.*

XI 56 Figura quoque dictionis in quantitate comprehenditur: vel enim simplex est, ut magnus, vel composita, ut magnanimus, vel decomposita, quam Graeci παρασύνθετον vocant, id est a compositis derivata, ut magnanimitas, quae rationabiliter separatim accepta est figura a Graecis. Neque enim simplex poterit esse, quae a composita derivatur dictione, neque composita, quia, quod suum est compositorum, non habet, id est, ut ipsa per se ex diversis componatur dictionibus, separatim intelligendis, sub uno accentu, et unam rem suppositam, id est significandam, accipiat, ut jusjurandum, respublica, et alia. Una enim est res supposita, duae vero voces diversae, sub uno accentu prolatae, quas invenis separans compositum, etiamsi sit a corruptis compositum, ut est parricida. Hoc enim ipsum per se compositum quaerentes ex quibus dictionibus est, invenimus, divisione facta, eas per se intelligendas. Dicimus enim a parente, et a verbo caedere: quae utraque per se integra sunt, et intellectum habent plenum: quod in decompositis fieri non potest. Si enim dicam magnanimitas, compositum est a magno et animitate, nihil dico. Animitas enim per se non dicitur. Necesse est ergo dicere, quod magnanimus quidem compositum est a magno et animo, quae sunt intelligenda per se. A magnanimus autem derivatum est magnanimitas: quamvis inveniuntur multa du-

---

Virgilius in Buc. Ecl. VIII. vs. 22. *Idem in sexto* Aen. vs. 577. 78.

Cap. XI. §. 56. *quia, quod suum est.* Edidi *quia* pro *quoniam*, cum Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. id flagitarent. Mox pro *per se ipsa* dedi *ipsa per se* Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. auctoritate. Deinde *et alia* scripsi pro *talia*. Nam haec est lectio optimorum Codd. Luth. Lips. 2. Erl. 2. Dresd. Erl. 1. MS. Lips. 1. *talia*. Lips. 3. *et similia*.

inveniuntur. Ita Codd. Edd. Ven. 1. 2. Reliquae *invenies*.

a verbo caedere. Pro *caedo*, quod libri impressi dant, e Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. restitui *caedere*, quam lectionem Editiones quoque Venetae commendant.

Si enim dicam. Ita quatuor meorum Codd. pro *dico*. Mox *a magnanimus* scripsi e Cod. Lips. 2. pro *a magnanimo*.

bia, utrum decomposita sint, an composita, ut impietas, infelicitas, imperfectio: quae si ab impio et infelice et imperfecto dicamus derivata, decomposita
57 sunt. Cum autem in duo separatim intelligenda possint dividi, videntur esse composita, quomodo etiam participia, quae a compositis verbis derivantur, ut perficiens, negligens, circumdans, anteveniens. Sunt tamen quaedam, quorum simplicia in usu frequenti non sunt, ut defensor, repleo, compleo, suppleo, deleo, releo, defendo, offendo, respicio, aspicio, suspicio, despicio. Quod autem rationabiliter simplicia quoque horum possunt dici, ostendunt nomina ex eis nata. Plenus quasi a pleo verbo. Letum quasi a leo verbo et leor. Specto etiam verbum, quasi a spicio
58 verbo, natum est frequentativum. Componuntur autem nomina modis quatuor, ex duobus integris, ut tribunus plebis, jusjurandum. Ex duobus corruptis, ut benevolus, pinnirapus. Ex integro et corrupto, ut inimicus, extorris. Ex corrupto et integro, ut efferus, impius. Et sciendum, quod omnes partes orationis habent composita absque interjectione, et plerisque participiis. Interjectiones enim semper simplices sunt; participia vero vel simplicia vel decomposita plerumque, id est a compositis verbis derivata sunt. Per se enim raro componitur participium. Nam si quis dicat,

---

§. 57. *Cum autem in duo separatim intelligenda possint dividi.* Equidem e Codd. Lips. 2. Erl. 1. 2. conjunctivum restituendum esse censui propterea, quod *cum* hoc quidem loco causale est.

§. 58. *tribunus plebis.* Hanc vocem praebuerunt MSS. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Edd. Ven. 1. 2. Vulgo, *respublica.* Mox *nam si quis dicat a faciens participio* pro *participium*, quod ad sequens *efficiens* pertinere dicitur, scripsi *participio* e Codd. Zwicc. 2. Lips. 1. Vult enim Noster docere, non a participio componi posse aliam vocem.

sciat hoc minime fieri. Vulgo, *minime posse fieri.* Variant Codices. Complures meorum, e. c. Luth. Lips. 1. 3. *in paucissimis fieri.* MSS. Dresd. Lips. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. 2. *minime potuisse fieri.* Equidem *in paucissimis* e correctione ortum esse puto. Retinui ergo *minime.* Ejeci *posse* vel *potuisse*, quod abesse, salvo sensu, posse existimo.

nisi prius verbum. Vulgo *ipsius.* E correctione parum probanda. *Prius* exhibent MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd.

ut est facio, efficio. Vulgo *ut efficio.* E MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3.

a faciens participio compositum fieri efficiens, sciat hoc minime fieri. nisi prius verbum compositum fuerit, ut est facio efficio, atque ex hoc verbo nasci participium efficiens. Quae enim participia per se componuntur, pleraque amittentia vim participii transeunt in nomina, ut potens impotens, doctus indoctus. Ideo autem diximus pleraque, quod illa participia videntur a simplicibus suis esse composita, quae non verborum sui temporis, sed participiorum simplicium regulam servant, ut contigi contactus, a simplici tactus; coegi coactus, a simplici actus; contuli collatus, a simplici latus. Nomina vero componuntur vel cum aliis nomi- XII
nibus, ut omniparens, paterfamilias: vel cum verbis, 59
ut armiger, lucifer: vel participiis, ut senatusdecretum, plebiscitum: vel pronominibus, ut hujuscemodi, illiusmodi: vel adverbiis, ut satisfactio, beneficus, maleficus, causidicus: vel praepositionibus, ut impudens, perfidus: vel conjunctionibus, ut uterque, quisque, nequis, siquis. Quae composita esse ostenduntur a foemininis in a desinentibus, ut siqua, nequa, quomodo aliqua. [Nam si non essent composita, foeminina in ae diphthongum fecissent, siquae, nequae, uti quis foemininum facit quae.] Et componuntur vel a 60
duabus dictionibus, ut septentrio, semivir; vel tribus, ut imperterritus, inexpugnabilis, inextricabilis; vel

---

Erl. 1. 2. inserui *est facio*, quod, cum per compendium scriptura ita efferatur, ē facio, a sequente *efficio* propter literarum similitudinem absorberi facile potuit.

a simplicibus suis esse. Ita Codd. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Vulgo, *esse ex simplicibus suis.*

§. 59. *vel participiis — vel pronominibus.* Omisi *cum*, quod binis his locis libri impressi exhibent post *vel* adiectum, quia MSSi mei Codices hanc particulam ignorant. Mox ante *adverbiis* eorundem Codicum jussu expunxi praepositionem *ab*, et denique *vel praepositionibus — vel conjunctionibus* pro *vel cum — vel cum* edidi secundum Codices meos.

impudens. Vulgo, *imprudens.* Illud Codices praestant. Mox *si non essent* dedi e Codd. Luth. Dresd. Lips. 5. Edd. Ven. 1. 2. pro *nisi essent.* Equidem totum hunc locum inde a *nam si* usque ad *facit quae* pro glossemate habeo. Tres meorum Codd., inter quos Zwicc. 2. Heidelb., omittunt: Lips. 1. in margine refert. Uncis ergo inclusi.

§. 60. *vel tribus.* Vulgo *vel a tribus.* Codices optimi omittunt praepositionem. Mox scripsi *ex jam compositis* pro vulgato

amplioribus, ut cuiuscunquemodi, quae tamen solent ex jam compositis secundam compositionem accipere. Primo enim compositum est perterritus, expugnabilis, extricabilis, et post imperterritus, inexpugnabilis, inextricabilis. Similiter imperfectus, ineluctabilis, et similia. Est ergo illud quoque attendendum, quod separata composita non solum in simplices resolvuntur dictiones, sed etiam in ante compositas, sicut sunt ea, quae a tribus vel amplioribus componuntur. Ipsa tamen quoque ante composita necesse est in duas intelligibiles dictiones resolvi. Componuntur tamen etiam quaedam ex decompositis, ut potens a verbo potes, quod est compositum. Ex hoc enim componitur impotens, omnipotens, ignipotens, viripotens, ex simplici et decomposito. 61 Et sciendum, quod, si duo sint nominativi, ex utraque parte declinatur compositum, ut respublica reipublicae, jusjurandum jurisjurandi, quod Graeci nunquam faciunt in compositis. Dicunt enim, oportere compaginem, qua cohaerent in compositione dictiones, immobilem manere. Hoc igitur non servantes Latini, diversorum quidem utimur declinatione, accentu tamen compositorum. In omni enim casu sub uno accentu ea proferentes composita esse ostendimus, et possumus dicere, per singulos casus ea componi: quod dicentes non videmur contra supradictam Graecorum de compagine rationem facere. Nec mirum per singulos casus apud nos nomina componi, cum apud illos quoque inveniuntur etiam verba quaedam, quae per diversa tempora componuntur, ut *καταγράφω κατέγραφον*, *ἀναγινώσκω ἀνέγνωσκον*. Nam si a praesenti *καταγράφω* dicam nasci *κατέγραφον*, incipit labefactari compago compositionis, quod recusat ratio.

---

etiam a compositis. Receptam lectionem tuentur Codd. Luth. Heidelb. Alii aliter.

a verbo potes, quod est compositum. Addunt editt. Ald. Bas. Colon. Putsch. *a potis es.* Hoc interpolatoris supplementum omittunt MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. In Cod. Heidelb. videre est glossema. Haec enim nota interlineari docentur: *s. ab eo quod est potis et es.* Mox post *ex hoc* adjeci e Cod. Zwicc. 2. *enim.*

§. 62. *quod tamen ipsum non absque ratione non declinatur.* Alterum *non*, quo integra oratio et sententia carere nullo modo potest, equidem Prisciano male ereptum reddidi e

Vnum apud Latinos invenitur nomen, quod quamvis 62
ex duobus nominativis sit compositum, non tamen ex utraque parte declinatur, id est alteruter alterutrius: quod tamen ipsum non absque ratione non declinatur. Nam cum duae pugnant contra se regulae, ut alteram servet, necessario perdit alteram. Omnia enim nomina vel pronomina, quae genitivum in ius terminant, debent hunc communem habere trium generum, unus unius, una unius, unum unius: solus solius, sola solius, solum solius: ille illius, illa illius, illud illius. Cum igitur foemininum et neutrum supradicti nominis 63
ex corrupto et integro sint composita, hiatus causa et euphoniae alterutra pro altera utra, et alterutrum pro alterum utrum necessario extrinsecus habuerunt declinationem, id est alterutrius. Vnde Cicero pro M. Marcello: *Quod si in alterutro peccandum sit, malim timidus, quam parum prudens videri.* Itaque masculinum quoque eorum est declinationem secutum, propter rationem supradictam in ius terminantis genitivi, qui communis trium vult esse generum. Nec solum tamen in declinationibus nominum hoc contingit, sed etiam in accentibus, ut uterque utraque utrumque, plerusque pleraque plerumque. Foemininum enim, quamvis penultima brevis sit, accentum tamen in ea habuit acutum, sicut masculinum et neutrum. Que enim, nisi 64
separata sit, si Graecos sequimur, conjunctio enclitica non debet esse: nisi illud dicamus, quod que, quando cum integris componitur dictionibus, quamvis significationem suam amittat, id est conjunctionis, tamen enclitici vim servat, pleraque, ubique, utraque, exceptis differentiae causa itaque, utique. In his enim non solum conjunctio, sed etiam praeposita ei adver-

---

Codd. Luth. Heidelb. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2.

ut alteram servet. Vulgo, *ut unam.* Equidem praetuli lectionem Codicum Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl. Item pro *perdidit* secundum MS. Heidelb. Lips. 3. aliosque edidi *perdit.*

§ 63. *unde Cic. pro M. Marcello.* Cap. 7. Pro *alterutro* Cod. Lips. 2. iique praestantissimus *alterutrum.* Mox quatuor meorum Codicum *peccatum sit* pro *peccandum sit.* Tuentur tamen vulgatam non solum sententia ipsa et Grammatica, sed etiam Codd. optimi, Heidelb. Erl. 2. Lips 2.

bia vim propriae significationis convertunt composita: vetustissimi tamen et altera utra, et alterum utrum, et alterius utrius solebant proferre, et plerus plera plerum, absque dictione que. Cicero in Protagora: *Quae igitur potest esse indignitas voluntatis ad molestiam, nisi in magnitudine, aut longitudine alteriusutrius posita?* Cato de ambitu: *Sed sunt partim qui duarum rerum alteriusutrius causa magistratum petunt.* Idem in primo Originum: *Agrum quem Vulsci habuerunt campestris plerus Aboriginum fuit.* Pacuvius in Doloreste: *Pater Achivos in Capharei saxis pleros perdidit.* Idem in Teucro: *Periere Danai, plera pars pessundata est.* Asellio in III. Historiarum adverbialiter sine que extulit: *Ut fieri solet plerum, ut in victoria mitior, mansuetiorque fiat.* Ergo nihil aliud est in his nominibus que, nisi syllabica epectasis, quomodo ce in quibusdam pronominirus et adverbiis, ut hisce, hosce, illicce. Nam et plerus plera plerum, et plerusque et pleraque et plebumque idem significant. Uter vero et uterque diversas habent significationes. Uter enim, πότερος, dividuam vim habet, uterque, ἑκάτερος, collectivam: ubi, ποῦ, ὅπου, ubique, πανταχοῦ. In his ergo et similibus que si conjunctionem accipiamus, composita sunt, sin syllabam, derivativa. Similiter undique, denique,

---

§. 64. *absque dictione que.* Ita edidi auctoritate Codicis Zwicc. 2. Vulgo, *absque additione que.* Heidelb. *absque que additione.* Mihi quidem *additio* non videtur esse ferendum. Malim *absque addito que.*

Cic. in Protagora. Plures meorum Codd. *pytagora* vel *pitagora.* Ante *longitudine* Codicum jussu delevi praepositionem *in.*

§. 65. *quem Vulsci.* Vulgo *Volsci.* Illam scripturam hujus nominis praestant Codd. plerique.

Pacuvius in Doloreste. Vulgo, *Duloreste.* Praeferenda mihi fuit lectio Codicum praestantissimorum, Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Eorundem Codicum auctoritate restitui *Achivos* pro vulg. *Achaeos.* Mox *Capharei* pro *Cupharei* edidi secundum Codd. Zwicc. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. Edd. Ven. 1. 2. MSS. Dresd. Heidelb. *Caphereis.*

Asellio in III. Hist. Vulgo *Aselius.* MSS. Dresd. Erl. 1. Lips. 2. 3. *Asellius.* Idem Erl. 2. e correctione. At vero Codd. Zwicc. Luth. Heidelb. Lips. 1. *Asellio,* quos secuti sumus.

§. 66. *cujusmodi.* Adjeci e Codd. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 2. Edd. Ven. 1. 2. *cui cuimodi.*

itaque. Quae vero ex utroque casu obliquo sunt com- 66
posita nomina, manent indeclinabilia, ut huiusmodi, illiusmodi, istiusmodi, eiusmodi, cuiusmodi. Sin ex nominativo et obliquo, vel obliquo et nominativo, nominativus tantum declinatur, ut praefectusurbis, senatusconsultum. Et invenimus per omnes fere casus composita, ut jurisperitus, legislator, praefectusurbis et praefectusurbi, tribunusplebis et tribunusplebi. Agricola agrum colens: coelicola, id est coelum colens: macte, id est magis aucte. Antiqui tamen et mactus dicebant. Menceps, mente captus. Et singularia cum pluralibus componuntur, ut orbis terrae et orbis terrarum, paterfamilias et paterfamiliarum, armipotens et armorum potens, magister militum, a secretis, a caliculis, a responsis, a batis. Possunt tamen haec eadem 67
etiam separata esse, si diversos accentus his dederis, vel interponas conjunctiones, ut resque publica, populusque Romanus, tribunusque plebis. Siquis ad imitationem εἴτις Graeci enclitice prolatum quidam putant, ut numquis, nequis, ostenduntur tamen ea sine dubio composita tam a foeminino singulari quam neutro plurali in a desinentibus. Compositio enim, non enclisis, corrumpere dictiones solet: dicimus enim siqua, nequa, ut aliqua.

---

a caliculis — a batis. Vulgo, *a calculis — ab actis.* Non nego, receptam lectionem habere, quod offendat. Ego tamen recte fecisse mihi videor, quod pro officio in me suscepto Codices secutus sum, qui ad unum omnes receptas voces ostentant. Nec hi iidem Codices obscuros esse sinunt hos honorum in aula Byzantina titulos. MS. Heidelb. in marg.: *Iste est a caliculis. iste solet propinare imperatori: pincerna videlicet. batus est certa mensura. Iste assignat certam mensuram batis, quae batis continetur.* Cod. Zwicc. 1. *a caliculis* explicat *magister caliculorum*, *a calice*. Erl. 2. *pincerna*. *a batis* explicat ille: *magister batorum, mensura est.* in margine: *a batis vel a mensura procurationis quam ministrat.* Ibi et Lips. 3. *a mensuris dispensator pabuli.* Zwicc. 2. *disponens annonam*, quo hoc nomen omnium optime illustratur. Idem hic Codex legit *ab batis.* Vox *batus* inserenda est Lexicis. Derivatur ab hebraico בת et est genus mensurae liquidorum. Legitur in N. T. Luc. XVI, 6. Cf. Schleusner Lexic. N. T. sub voce βάτος. Adde Isid. Hisp. Orig. Lib. XIV. Cap. 25. apud Gothofr. p. 1233.

XIII Casus est declinatio nominis, vel aliarum casua-
68 lium dictionum, quae fit maxime in fine. Nominativus tamen sive rectus vel ut quibusdam placet, quod a generali nomine in specialia cadit, casus appellatur, ut stilum quoque, manu cadentem, rectum cecidisse possumus dicere; Vel abusive dicitur casus, quod ex ipso nascuntur omnes alii; vel quod cadens a sua terminatione in alias facit obliquos casus. Quaeritur autem, quid sit inter indeclinabilia et aptota et monoptota: et sciendum, quod aptota et monoptota indeclinabilia sunt. Similiter enim non variant
69 terminationem, sed immobilem eam servant. Aptota tamen sunt proprie dicenda, quae nominativum solum habent, qui plerumque et vocativus invenitur, et non accipitur etiam pro obliquis, ut Iupiter, Diespiter. Non enim licet eodem pro genitivo vel alio casu obliquo uti. Ideo dixi proprie dicenda, quia inveniuntur antiqui aptota pro monoptotis, et monoptota pro aptotis posuisse. Neutrum vero, si sit aptotum, necessario etiam pro accusativo et vocativo accipitur eius nominativus, quod generale est omnium neutrorum, ut
70 fas, nefas, ir, pus. Monoptota vero sunt, quae pro omni casu una eademque terminatione funguntur, qualia sunt nomina literarum et numerorum a quatuor usque ad centum. Mile quoque indeclinabile est, et siqua inveniuntur similia, ut hoc a huius a, hoc alpha huius alpha, hi quatuor horum quatuor, hoc gummi huius gummi, hic et haec et hoc nequam huius nequam, hi quot, tot, horum quot, tot, et barbara plurima, sed magis omnia: nisi ea ad Graecam vel ad nostram regulam flectamus, vel ab auctoribus flexa inveniamus. In his ergo, id est carentibus declinatione finalium syllabarum, quae monoptota nominamus, videntur casus fieri non vocis, sed significationis dunta-
71 xat. Itaque articulis diversis utimur pro varietate significationis, necnon etiam structurae rationem servamus, sicut in declinabilibus per sex casus. Velut au-

---

Cap. XIII. §. 68. *quod a generali nomine in specialia cadit.* Vulgo, *cadat.* Temere. Nec sententia, nec Codd. conjunctivo suffragantur. E nostris Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. indicativum exhibent.

§. 69. *Ideo dixi* rel. Vulgo, *Ideo autem.* Conjunctionem omnes

tem una voce diversas possunt habere significationes, tam declinabilia per quosdam casus, quam indeclinabilia per omnes casus, sic e contrario diversis vocibus saepe invenimus unam eandemque fieri significationem, ut labor et labos, honor honos, huius cornus et corni, pinus et pini, huius quaestus vel quaesti, ornatus vel ornati, tumultus vel tumulti, Achillis vel Achilli, aulai et aulae, a felice vel felici, deis et diis, sapientium et sapientum. Nec solum in nominibus, sed etiam in aliis partibus, ut amaverunt vel amavere, amaveram vel amaram, ei vel ii, eis vel iis, nimium vel nimis, satis vel sat. Est autem rectus, qui nominativus dicitur. Per ipsum enim nominatio fit, ut nominetur iste Homerus, ille Virgilius. Rectus autem dicitur, quod ipse primus natura nascitur vel positione, et ab eo facta flexione, nascuntur obliqui casus. Genitivus autem, qui et possessivus et paternus appellatur, genitivus, vel quod genus per ipsum significamus, ut genus est Priami: vel quod generalis videtur esse hic casus genitivus, ex quo fere omnes derivationes, et maxime apud Graecos solent fieri. Possessivus vero, quod possessionem quoque per eum casum significamus, ut Priami regnum, unde possessiva quoque per eum casum interpretantur. Quid est enim Priameium regnum nisi Priami regnum? Paternus etiam dicitur, quod per eum casum pater demonstratur, ut Priami filius. Unde patronymica pariter in eum resolvuntur. Quid est Priamides, nisi Priami filius? Post hunc est dativus, quem etiam commendativum quidam nuncupaverunt: do homini illam rem, et commendo homini illam rem. Quarto loco est accusativus, sive causativus: accuso hominem, et in causa hominem facio. Vocativus etiam salutatorius vocatur, ut o Aenea, et salve Aenea. Ablativus etiam comparativus dicitur, ut aufero ab Hectore, et fortior Hectore. Multas tamen alias quoque et diversas unusquisque casus habet significationes, sed a notioribus et frequen-

---

fere mei Codices omiserunt. Sunt etiam duo, qui totam enuntiationem repudiaverunt.

§. 72. *interpretantur*. Sic Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. Dresd. Vulgo, *interpretamur*, quod Codd. Erl. 2. aliorumque auctoritate confirmatur. Fortasse *interpretari* passive hoc loco positum est.

tioribus acceperunt nominationem, sicut in aliis quo que multis hoc invenimus: ut patronymica vocamus non quod omnia, sed quod pleraque a patribus derivantur: neutra dicimus verba, non quod solum ea in hac specie inveniuntur, quae neutram habent significationem, id est nec activam nec passivam absolute dicta, sed quod ex maxima parte. Syllabas nominamus, non quod omnes comprehensione literarum constant, sed quod pleraeque. Sic ergo etiam casus ab aliqua no-
74 tabiliore significatione sunt nominati. Ordo quoque naturalis eis datus est: quippe nominativus, quem primum natura protulit, ipse primum sibi locum defendit: unde verbis quoque intransitive iste quasi egregius adhaeret. Genitivus secundum locum sibi defendit. Hic quoque naturale vinculum generis possidet, et nascitur quidem a nominativo, generat autem omnes casus obliquos sequentes. Dativus, qui magis amicis convenit, tertium, et quod vel eandem habet vocem genitivo, vel unius abjectione vel mutatione literae ab eo fit. Qui vero magis ad inimicos attinet, id est accusativus, quartum. Extremum apud Graecos obtinuit vocativus, quippe cum imperfectior caeteris esse videtur; nisi enim secundae personae conjungi non potest, cum superiores quatuor omnes personas possunt complecti, figurate adjuncti pronominibus, ut ego Pri-

---

§. 73. *quod ex maxima parte.* Addunt libri impressi *sunt neutra.* Absunt haec a MSS. Zwicc. 1. 2. Dresd. Luth. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. Interpolatricem manum satis luculenter demonstrant. Ergo omisi.

§. 74. *Dativus, qui magis amicis convenit, tertium.* Libri typis exscripti addunt: *locum tenet.* Recte hoc quidem cogitatione additur, sed ut scriptum adjiciatur, non opus est. Codices omiserunt. Eadem ratione delevi mox *alius,* quod Ed. Bas. ante *abjectione* posuit, et restitui *unius,* quod pleraeque etiam Editiones habent. Deinde *magis ad inimicos* pro *ad inimicos magis* posui, quia illum verborum ordinem Codices frequentes tuentur.

imperfectior caeteris esse videtur. Indicativum reposui *videtur* pro *videatur.* Nam Codices optimi praestant indicativum. Ita et mox *possunt* scripsi pro *possint,* non solum quia Codd. praestantissimi, Lips. 1. 2. Erl. 2., hunc modum posuerunt, sed etiam quod Priscianus semper *cum* conjunctioni indicativum subjungit, ubi non causalis est.

§. 75. *quamvis ipse quoque tribus sociari potest.* Pro *possit* Co-

scianus scribo, tu Priscianus vel Prisciane scribis, ille Priscianus scribit. Mei Prisciani eges, tui Prisciani egeo, illius Prisciani eget. Mihi Prisciano das, tibi Prisciano do, illi Prisciano placet. Me Priscianum vides, te Priscianum video, illum Priscianum videt. Similiter ablativus tribus adjungitur personis, a me Prisciano accipis, a te Prisciano accipio, ab illo Prisciano accipit. Non egent autem nomina pronominibus, quamvis omnes circumeant personas, si cum vocativis aut substantivis verbis conjungantur, ut Virgilius nominor vel sum, Virgilius nominaris vel es, Virgilius nominatur vel est. Igitur ablativus proprius 75
est Romanorum, et quamvis ipse quoque tribus sociari potest, ut diximus, personis, tamen, quia novus videtur a Latinis inventus, vetustati reliquorum concessit, quamvis hunc quoque a vetustissimis Graecorum grammaticis accepisse videntur, qui sextum casum dicebant *οὐρανόθεν*, *ἐμέθεν*, *ἔθεν*, qui profecto ablativi vim possidet. Nam etiam praepositionem assumit, ut *ἐξ ἐμέθεν γάρ φασι κἀκ' ἔμεναι*. Sunt igitur formae casu- XIV
ales sex. Monoptota, quae una terminatione pro omni 76
casu funguntur, ut supradictum est, ut nequam, gummi, alpha, beta, cornu, quatuor, quinque, sex. His quidam addunt illa, quae tam voce quam significatione unum casum habent, ut hujusmodi, istiusmodi,

---

dicum frequentia *potest*, quibus cur hac in re non parendum sit, equidem non intelligo.

vetustati reliquorum concessit. Addunt libri typis exarati *casuum*, quod nonnullorum Codicum suasu omittere non dubitavi. Item post *accepisse videntur* delevi *Latini*, cum haec vox in MSS. Zwicc. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. frustra quaeratur. Ex antecedentibus repetendum est *Romani*.

οὐρανόθεν, ἐμέθεν, ἔθεν. Postremam vocem adjeci e Codd. Lips. 2. Erl. 2. Heidelb. In sequentibus Erlangensis 2. et Heidelb. auctoritate post *assumit ut* haec expuli: *οὐρανόθεν ἐμέθεν Homerus*. Negari quidem non potest, haec etiam verba Codicum patrocinio gaudere. At vero hi ipsi Codices inter se discrepant, ut ne unum quidem vera sentire et referre statuendum sit. Cod. Lips. 1. bis exhibet versum allegatum: priori loco, non addito Homeri nomine. MS. Dresd. omnia omisit. Codd. Zwicc., si recte notavi, cum Cod. Erl. 2. faciunt. Erl. 1. Homeri nomen exhibet. Ed. Ven. 1. Homeri nomen post versum ponit, Graecis autem pro more suo vacuum locum reliquisse satis habuit.

Diptota sunt, quae duos diversos casus habent tantum, ut verua veribus; nam veruum in usu non invenimus. Et fors forte. Terentius in Phormione: *O fortuna, o fors fortuna.* Virgilius in primo: *Forte sua Libycis tempestas appulit oris.* Et tabi tabo. Alia triptota, qualia sunt omnia neutra secundae declinationis in singulari numero, ut templum templi templo, et in plurali tam in secunda quam in tertia et quarta, id est omnia neutra pluralia, ut templa templorum templis, sidera siderum sideribus, cornua cornuum cornibus. Alia tetraptota, qualia sunt omnia in r desinentia secundae declinationis, puer pueri puero puerum. Alia pentaptota, qualia sunt omnia masculina vel foeminina secundae declinationis in us terminantia, doctus docti docto doctum docte, Virgilius Virgilii Virgilio Virgi-
77 lium Virgili. Hexaptota sunt, quae sex diversos casus habent, qualia sunt masculina in us desinentia, quae secundum declinationem quorundam pronominum in ius efferunt genitivum, unus unius uni unum une ab uno: cujus de vocativo quia quidam dubitant, Caper, doctissimus antiquitatis perscrutator, ostendit hoc usum Catullum et Plautum. Catullus: *Tu praeter omnes une de capillatis Celtiberosae Celtiberiae fili.* Plautus in Fribolaria: *O amice ex multis mihi une Cephalio.* Sole quoque. Atticidas in Himeneo: *Felix lectule talibus sole amoribus.* Sunt alia, quorum nominativus quidem in usu non est, obliqui autem sunt, ut Jovis Jovi Jovem a Jove. Quamvis vetustissimi nominativum quoque hic Jovis proferebant, sicut de nominativo tractantes

§. 76. *Diptota sunt.* Addidi e meis Codicibus *sunt*, quod quidem abesse possit, nec tamen, cum offeratur ab auctoribus sat gravibus, repudiandum esse videtur. Mox pro *verubus* scripsi *veribus.* Ita enim Codd. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. *Terent. in Phormione.* Est Act. V. Sc. 6. vers. 1. *Virg. in primo.* vs. 377.

§. 77. *Catullus.* Est carmen XXXVII. s. f. *Celtiberosae.* Ita Codices mei omnes et Edd. Ven. Putschius etiam hanc vocem recepit pro eo, quod in libris Catulli editis legitur, *cuniculosae.* Sed infra Lib. VII. Cap. V. §. 23. oblitus, quid antea scripserit, edidit *cuniculosae.* Equidem contra Codicum consensum nihil statuere debui.

Plautus in Fribolaria. Codd. aliquot *Fibolaria.* Alii *Fribularia.* Codd. Erl. 2. Heidelb. *Fribolaria.* Lips. 2. *Fibularia.*

ostendemus. Sunt alia, in quibus tres obliqui inveni- 78
untur, precis preci prece, frugi frugem fruge. Vetustissimi tamen et frux et fruges nominativum protulerunt. Alia, in quibus duo, vicem vice, tabi tabo. Alia, in quibus unus, ut sponte, laterem: quamvis et ablativus eius singularis, et nominativus et accusativus plurales inveniuntur. Plautus in Truculento: *Quid maceria illa agit, in horto quae est, quae in noctes singulas latere fit minor, qua is ad vos dampni permensus viam est? Nihil mirum* (*vetus est maceria*), *veteres si lateres ruunt. aiin' tu veteres lateres ruere?* Fas, nefas, cepe. Illud quoque non est praetermittendum, quod quibusdam septimus casus esse videtur ablativus, quando sine praepositione profertur, quod satis irrationabile videtur. Minime enim praepositio addita vel subtracta mutare valet vim casus. Neque enim cum 79
accusativo casui multae praepositiones solent adjungi, alius est casus, quando habet eas praepositiones, et alius, quando absque his profertur. Quis autem dubitat, quod omnes praepositiones vel accusativo, vel ablativo apud Latinos jungi solent? Ergo si adjunctae vel non ablativo mutant ejus vim, accusativo quoque adjunctae vel non, debent similiter mutare casum. Denique in comparationibus absque praepositione solet proferri ablativus, nec tamen dicit quisquam, septimum tunc esse casum, sed ablativum, cum dico fortior Achilles Hectore. In quo omnes artium scriptores consentiunt, et sex esse casus confitentur, non septem. Uno enim, non duobus, Latini casibus superant Graecos. Septimum

---

§. 78. *Plautus in Truc.* Act. II. Sc. 2. vs. 49 sqq. (in Ed. Both. Act. I, 3, 2 4 seqq.). *Quid maceria illa agit.* Scripsi *agit* pro *ait*, nam scribi ita jusserunt MSS. Lips. 1. 2. quibus plurimum verecundiae debetur. Erl. 1. Lips. 3. *aut.* Edd. Ven. 1. 2. *aut illa in orto.* Erl. 1. *in nocte singula.* Pro *qua is ad vos* MS. Lips. 2. *quamvis haec.* MSS. Dresd. Lips. 1. 5. Erl. 2. *quamvis hoc.* Ita et Edd. Ven. 1. 2. Pro *dampni* Erl. 1. *dampno.* Pro *permensus* Cod. Lips. 1. *mensus.* Pro *permensus viam est* MS. Erl. 2. *permensus est viam.* Ed Ven. 2. *vitam. Nihil* posui pro *non*, cum illud Codices omnes et Edd. Ven. 1. 2. exhibeant.

veteres si lateres ruunt. Haec e Codd. struxi. Vulgo sic: *si veteres* rel. *Aiin'.* Hanc lectionem e Codicibus concinnavi. Lips. 1. *ain.* MS. Erl. 2. *ain.* Reliqui *an.* Ita et Edd. Ven. Erl. 1. *rueres.*

igitur qui addunt, supervacuum faciunt, qui nulla dif-
80 ferentia vocis in ullo nomine distat a sexto. Sciendum tamen, quod hic casus, id est ablativus, est quando pro genitivo, est quando pro dativo accipitur Graeco. Pro genitivo, quando praepositionibus vel adverbiis ablativi casus subjungitur, ut ex illo, de illo, ab illo, pro illo, coram illo, cum illo: et quando comparatur, fortior illo: et quando nominis et participii ablativus verbo et nominativo alterius nominis cum transitione personarum adjungitur, ut Sole ascendente dies fit, et Trajano bellante victi sunt Parthi. Hac autem utimur constructione, quando consequentiam aliquam rerum, quae verbo demonstrantur, ad eas res, quae participio significantur, ostendere volumus. Quid est enim, Trajano bellante victi sunt Parthi, nisi quod secuta est victoria Trajanum bellantem: et, Sole ascendente factus est dies, nisi quod ascensionem solis secutus est dies. Inveniuntur tamen etiam nomina loco participiorum in huiuscemodi elocutione posita, ut Virgilius in VII. *Non vobis rege Latino divitis uber agri Trojaeve opulentia deerit.* Rege Latino, pro regnante Latino. Quamvis in huiuscemodi quoque constructionibus subauditur
81 participium substantivum. Graeci autem in hujuscemodi constructione solent pro genitivo participii etiam infinitum verbum ponere, ut *ἐν τῷ βασιλεύειν Τραϊανὸν, ἀντὶ τοῦ, βασιλεύοντος Τραϊανοῦ.* Etiam tunc pro genitivo ponitur graeco, quando per participium habens et accusativum interpretamur eum, ut pulchra forma mulier, id est pulchram formam habens; magna altitudine domus, id est magnam altitudinem habens. Pro dativo quoque, quando cum in vel sub praepositionibus jungitur, ut in illo, sub illo, et quando ipsum ablativum interpretamur per accusativum et per praepositionem per, ut vinco te manu, id est per manum, video te lumine, id est per lumen.

---

§. 79. *in ullo nomine distat a sexto.* Vulgo, *distet.* Haec quidem lectio ab omnibus fere Codicibus reprobatur. Valeat igitur hic quoque lectio Codicum optimorum, indicativum praestantium, auctoritas.

§. 80. *Virg. in VII.* Est vs. 262.

LIBER SEXTVS.

PROOEMIVM.

Breviter regulas Tibi me jussisti, Juliane, Consul ac Patricie, nominum colligere, quibus Latina utitur eloquentia. Quod suscepi non tam rei facilitate, vel ingenii confidentia, quam ne quid Tibi, cui omnia debeo, prorsus negarem, et quoniam ornamentum te esse Latinorum non minus quam Graecorum studiis gaudebam. Igitur excusatio mihi sit audacis incepti, difficillima recusatio Tuae jussionis. Nunc de nominativo, et genitivo singulari, quibus inventis alii casus tam singularis quam pluralis numeri facile dignoscuntur. Pleraque quidem a doctissimis viris, paucula tamen et a me pro ingenii mediocritate inventa exponam. Et haec modo compendii causa, postea vero, Deo vitam praebente, de accusativo et ablativo singulari et genitivo plurali tertiae declinationis, cum de

---

Prooem. *Juliane.* Tres meorum Codicum *o Juliane.* MS. Lips. 1. post *jussisti* addit *in hanc*, quod quomodo explicandum sit, difficilius dictu est. *rei facilitate.* MSS. Lips. 1. 2. et Luth. ante corr. *facultate*, quod fortasse recipiendum est. MS Lips. 3. *felicitate. Nunc de nominativo et genitivo.* Inserui e Codd. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 2. Dresd. conjunctionem *et. paucula.* MSS. Lips. 2. 3. *pauca.* Pro *et a me* unus vel alter MS. *et a me etiam.* Caeterum notandum est, omnia inde a verbis *quoniam in superioribus* usque ad *quod sit emendandum* prooemio in editionibus plerisque adnexa esse. Equidem secernenda ab epistola dedicatoria et cum ipsa tractatione conjungenda esse putavi, partim sententiarum ratione ac natura considerata, partim Codicum gravissima auctoritate motus. Codices enim Lips. 1. 2. Luth. et Edd. Ven. 1. 2. hunc rationem iniri jusserunt.

obliquis tractavero casibus, multo labore inventa, et diverso auctoritatis usu approbata subjungam. De verbi quoque praeterito perfecto, cum de ejus temporibus disseram, explanabo, in quibus vos dubitare dicitis. Nec mirum, cum etiam ipsi probatissimi artium scriptores non omnino certis haec regulis disseruisse noscuntur.

I 1 Quoniam in superioribus libris de literis et syllabis, et accidentibus nomini, et de omni derivativorum specie nominum, quantum potui, diligenter exposui, nunc de regulis in hoc quidem libro nominativi et genitivi, in sequenti vero caeterorum casuum tractare incipiam. Nec me pigeat, dum vivo, et haec, et quaecunque scripsero, vel mea diligentia, vel amicorum monitu, vel invidorum vituperatione, si justa fuerit, emendare. Solatio enim mihi ipse esse possum, qui veterum scriptorum artis grammaticae vitia corrigere, quamvis audacissime, sed maximis auctoribus Herodiano et Apollonio, confisus ingredior, si quid in meis quoque humani erroris acciderit scriptis, quod sit emendandum.

2 Quatuordecim sunt literae terminales nominum, quibus Latinus utitur sermo. Vocales omnes, semivocales similiter omnes, absque z et f, quam magis mutam esse, cum de litera tractabamus, in primo libro ostendimus; praeterea mutae tres c d t, ut sophista, mare, gummi, Cicero, cornu, sol, templum, numen, Caesar, virtus, pax, lac, aliud, Bogud, caput.

Cap. I. §. 1. *quantum potui diligenter.* Adverbium supplevi e Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. nec abesse posse existimo.

sed maximis. Duo meorum Codd. *maxime.* Nec tamen lectionem vulgatam sollicitandam esse puto.

humani erroris acciderit scriptis. Hunc verborum ordinem tuentur plerique MSS. Vulgo, *scriptis acciderit.*

§. 2. *aliud, Bogud, caput.* Persuadere mihi non possum, Priscianum ipsum *Bogud* scripsisse. Non est enim vox Latina. Accedit, quod nullius literae finalis bina proferuntur exempla. Intactam tamen reliqui hanc vocem, cum Codicum omnium auctoritate satis tuta sit.

Dory, nomen oppidi Pontici. MS. Lips. 1. omisit *Pontici* et *nomen oppidi* punctis distinxit.

Statius in IV. Theb. Est vs. 180. *Valerius Max. Mem.* Lib. II. Cap. 1. extr.

In Graecis autem invenitur etiam y, ut Dory, nomen oppidi Pontici, et Aepy. Statius in IV. Thebaidos: *Et summis ingestum montibus Aepy.* In a desinentia nomina sive Latina seu Graeca, masculina vel foeminina vel communia, addita e faciunt genitivum in ae diphthongum, ut hic scriba hujus scribae, haec Musa hujus Musae, hic et haec auriga hujus aurigae. Inveniuntur tamen quaedam ex communibus etiam neutro generi adjuncta, sed figurate per ἀλλοιότητα, ut advena, mancipium. Valerius autem Maximus in secundo Memorabilium ponit *alienigena studia*, quod prima declinatio non habet. Nullum enim neutrum, nec primae, nec quintae declinationis potest inveniri: nec idem esse singularis nominativus neutri generis in a desinens, et nominativus pluralis. Sed antiquissimi hic alieni- 3
genus, et haec alienigena, et hoc alienigenum dicebant, ex quo potest et hoc esse plurale. Necnon caetera similiter a genere composita proferebant, caprigenus, terrigenus, taurigenus, idque usus confirmat. Pacuvius in Paulo: *Qua via caprigeno generi gradibilis gressio est.* Cicero in Prognosticis: *Caprigeni pecoris custos de gurgite vasto.* Virgilius in tertio Aeneidos: *Caprigenumque pecus, nullo custode per herbam.* Hoc tamen potest etiam per syncopam accipi pro caprigenarum, sicut idem in VIII. *Optime Graiugenum, cui me fortuna precari,* pro Graiugenarum. Attius in Ioe: *Ex taurigeno semine ortam fuisse an humano eam.* Illud etiam observandum, quod octo sunt nomina in a desi-

---

§. 3. *Pacuvius in Paulo.* MSS. Lips. 1. Heidelb. *Pacubius. Qua via.* Vulgo *quae via.* MSS. Lips. 2. Dresd. Erl. 2. vel *qui avia*, vel *quia via.* Hanc lectionem et Edd. Ven. exhibent. Sed *quia* parum mihi videtur probabile. Scripsi igitur *qua* auctoritate Cod. Heidelb. Pro *gradibilis* Ed. Ven. 1. *gradibus.* Pro *gressio est* Lips. 2. *gressione.* Is ergo Codex totum locum ita exhibet: *qui avia caprigeno generi gradibilis gressione.* MS. Lips. 3. satis habuit *caprigeno generi* in medium attulisse.

Virgilius in tertio. Est Aen. vs. 221. *Idem in VIII.* Est vs. 127.

Hoc tamen potest etiam. Pro *et* scripsi *etiam* secundum MSS. Zwicc. 1. 2. alioque.

Attius in Ioe. MS. Lips. 2. *Ione.* Lips. 3. *Iunone.* MS. Erl. 1. *Actius in I.* MS. Dresd. *Minoe.* Idem pro *taurigeno* exhibet *aurigeno.* MS. Lips. 1. *orta* pro *ortam.* Caeterum nullus

nentia foeminina, quorum masculina in ius plerumque terminant genitivum, et in i dativum, more quorundam pronominum. Itaque foeminina quoque, necnon et neutra eosdem habent genitivos et dativos. Vnde quidam decepti inter pronomina posuerunt ea. Sunt autem haec: Unus una unum unius uni, ullus ulla ullum ullius ulli, nullus nulla nullum nullius nulli, solus sola solum solius soli, totus tota totum totius toti, alius alia aliud alius alii, uter utra utrum utrius utri, 4 alter altera alterum alterius alteri. Similiter ab eis composita, uterque utraque utrumque utriusque utrique, alteruter alterutra vel altera utra alterutrum vel alterum utrum, alterutrius vel alterius utrius, alterutri vel alteri utri; utraque enim declinatio in usu veterum est: neuter neutra neutrum, neutrius neutri. Sed in hoc nomine neuter ex contrario aliis, quae simili forma declinantur, frequentior est usus genitivi in i, et dativi in o terminantis in masculino et neutro. In foeminino vero in ae diphthongum, hic neuter et hoc neutrum, hujus neutri, huic neutro: haec neutra, hujus et huic neutrae. Et sciendum, quod, quotiens superioru masculina in i desinunt in genitivo, et in o dativo, (hoc enim quoque rarior habet usus, et vetustior) necessario foeminina in ae diphthongum supradictos 5 terminant casus. Itaque non solum una unius uni, sed

---

meorum Codicum nullo loco nomen Attii ita, ut edidi, scripsit, sed aut per *ct* aut per *cc* scriptum omnes exhibent.

§. 4. *in genitivo et in o dativo.* Omisi ante *dativo* praepositionem *in* MSS. Dresd. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. auctoritate. Mox transposui verba et pro *supradictos in ae diphthongum* scripsi secundum Codd. *in ae diphthongum supradictos.*

§. 5. *Hoc judicium sic expectatur.* Cod. Erl. 2. *expectabatur.* Idem *videtur* pro *putetur.* Est fragmentum orationis deperditae.

Idem ad Herennium in VI. Ego numerum libri, quem optimi quique MSS. Lips. 1. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Lips. 2. Dresd. Erl. 2. VI. referunt, posui pro vulg. IV. Est Lib. IV. Cap. 48. MS. Erl. 1. exhibet III. Deinde pro *non* idem Cod. scripsit *annon.* Denique, quod desideratur in libris editis, ad *res* e MSS. Luth. Lips. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Heidelb. addidi *tota.*

Terentius in Heautont. Est Act. III. Sc. 3. vs. 30. *Idem in Eun.* Est Act. V. Sc. 7. vs. 3.

Caecilius. MS. Lips. 1. *Et Cilius.* Hac auctoritate posui *Coe-*

etiam hujus et huic unae, et similiter ullae, nullae, solae, totae, aliae, alterae in usu antiquiore invenimus. Cicero pro M. Tullio: *Hoc judicium sic expectatur, ut non unae rei statui, sed omnibus constitui putetur.* Idem ad Herennium in VI. libro: *Non res tota totae rei necesse est similis sit.* Terentius in Heautontimorumeno: *Haec ipsa in itinere alterae dum narrat, forte audivi.* Idem in Eunucho: *Nunquam, aedepol, quicquam jamdiu, quod magis vellem evenire mihi, evenit, quam quod modo senex intro ad nos venit errans mihi solus ridiculo fuit, quae quid timeret sciebam.* Coelius: *Nullae nationi tot, tantas, tam continuas victorias, tam brevi spatio datas arbitror quam vobis.* Eiusdem id est primae declinationis foeminino- 6
rum genitivum etiam in as more Graeco solebant antiquissimi terminare: unde adhuc paterfamilias et materfamilias pro familiae solemus dicere, et frequens hoc habet usus. Livius in Odissia: *Atque escas habemus mentionem.* escas pro escae. Ibidem: *Nam Diva monetas filiam docuit.* monetas pro monetae. Idem in eodem: *Mercurius cumque eo filius Latonas:* pro Latonae. Naevius in carmine belli Punici primo: *Inerant signa expressa quomodo Titani bicorpores, Gigantes, magnique Atlantes, Runchus, atque Purpureus, filii Terras:* pro Terrae. In eodem: *Ei venit in mentem hominum fortunas:* pro fortunae. Ennius in XVII. Annali: *Dux ipse*

---

lius, cum ex opere historico fragmentum desumptum esse pateat. Pro *nationi* pauci Codd. *rationi*. Pro *vobis* scribendum fortasse est *nobis*.

§. 6. *more Graeco.* Vulgo, *more Grascorum.* Illud MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2.

Livius in Odissia. Ita Codd. Erl. 2. Heidelb. Plurimi *Odissa.* Quod haud dubie rectius est, quam quod libri editi exhibent *Odyssea.* At vero *Odissia* tenendum puto, cum probabile sit Romanos Itacismo usos olim esse in pronunciandis vocibus Graecis.

Idem in eodem. Vulgo *in eodem.*

bicorpores. Lips. 2. Erl. 1. *bicorpore.* MS. Lips. 2. *Athalantes. Runchus.* Ita Codd. Lips. 1. 2. Luth. Erl. Vulgo *Rhunchus.* MS. Heidelb. *Rumchus. Purpureus.* MS. Lips. 2. *Purpureus.*

Ennius in XVII. Annali. Vulgo, *VII.* Variant Codd. in numero. MS. Dresd. *XVIII.* Erl. 1. 2. Zwicc. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2. 3. *XVII.* Equidem frequentiam Codicum secutus sum. *Annali* scripsi pro *Annalium* secundum Codices praestantissimos.

vias: pro viae. Cicero in quarto Verrinarum: *Liberos, matresfamilias, bona fortunasque omnes.* Dicitur tamen et paterfamiliae, et patresfamiliae, et familiarum, et familiis. M. Brutus de officiis: *Itaque patresfamiliae domini sumus.* Salustius in Catil. *Sed filii familiarum, quorum e nobilitate maxima pars erat, parentes interficerent.* Cicero in Frumentaria: *Itaque ex his scribis, qui digni sunt illo ordine, patribus familiis, viris bonis atque*
II *honestis percontamini.* Neutra ejusdem terminationis
7 graeca sunt, et addita tis faciunt genitivum, ut hoc peripetasma, hujus peripetasmatis, hoc poema, hujus poematis. Haec tamen antiquissimi secundum primam declinationem saepe protulerunt, et generis foeminini, ut Plautus in Amphitrione: *Cum servili schema:* pro schemate. Valerius in Phormione: *Quid hic cum tragicis versibus et syrma facis?* pro syrmate. Plautus in Persa: *Theatrum lepida condecorat schema.* Caecilius in Hippo: *Filius in me incedit satis hilari schema.* Pomponius in Satura: *Cujusvis leporis liber diademam dedit:* pro diadema. Liberius in Cancro: *Nec Pythagoream dogmam doctus.* Plautus in Milite Glorioso: *Glaucomam ab oculis obiiciemus, eumque ita faciemus, ut, quod*

Cic. in IV. Verrin. v. Ind.

Salustius in Catil. Est cap. 43. §. 2. *quorum e nobilitate maxima pars erat, parentes interficerent.* Ita Codices mei omnes praeter unum. Vulgo post *erat qui* interponitur, quod Editiones quoque Venetae et Putsch. dammaverunt. In Ed. Cortiana *erat* omissum est; hoc autem non probant Codices nostri praeter Lips. 3. Sed si hic audiendus esset, *interfecerunt* etiam poni deberet.

Cicero in Frumentaria. Est Or. Verr. III. Legitur locus a Nostro allegatus in Cap. 79. Ern. edidit *patribus familias.*

§. 7. *Plaut. in Amphitr.* Est Prol. vers. 116. Equidem Codicis Lips. 2. auctoritatem secutus delevi versus Plautinos in editis libris expressos, *Nunc ne ornatum hunc vos meum admiremini, quod ego huc processi cum servili schema.* Nam cum Prisc. in antecedentibus scripserit *cum servili schema*, vix, plura commemorentur, opus esse videtur.

Valerius in Phormione. MS. Dresd. *Valerius nomen comici.*

Plautus in Persa. Codices nonnulli et Edd. Ven. *Persis.* Est fragm. *condecorat.* In Edd. Bas. Colon. Ald. *cum decorat.* Nos Codices secuti sumus, et Putschium. Edd. Ven. 1. 2. *Theatrum lepida cum decora schema.* MS. Dresd. *lippida.*

Caecilius in Hippo. Alii meorum Codicum *in ippo*; alii omiserunt totum locum. Intelligenda haud dubie est fabula *Hypobolimaeus.* Putsch. *Hippol.*

viderit, non viderit. Quidam autem in um etiam teste 8
Celso hujuscemodi nominum protulerunt nominativos, hoc emblematum hujus emblemati, hoc toreumatum hujus toreumati declinantes. Vnde frequens usus veterum eorum dativos et ablativos plurales in is terminat, his et ab his schematis, emblematis, peripetasmatis, toreumatis, quibus frequenter casibus in Verrinis utitur Cicero. Nam a et h et k nomina literarum indeclinabilia sunt, *sicut* aliarum quoque omnium literarum, necnon numerorum a quatuor usque ad centum. Sic etiam mile. Nam a centum compositi numeri declinantur, ut ducenti ducentorum ducentis et similes. Et literarum quidem nomina neutri generis sunt, numeri vero, qui sunt indeclinabiles, omnis sunt generis, hoc est et masculini et foeminini et neutri. Mulucha flumen, et Turia, et siqua similia inveniuntur, magis figurate masculina cum neutris junguntur, ut si dicam Tiberis flumen, vel Hister flumen: quod autem non sunt neutra Turia et Mulucha et similia, ostendit etiam natura ipsius sermonis Punici, in quo omnia nomina vel masculina sunt vel foeminina. Ergo Capsa quoque 9
et Thala oppidum, et Tirimida similiter foeminina

Pomponius. Lips. 3. *Pompejus.* Erl. 1. *Pompinius.* Scripsi *Satura* pro *Satyra* MSS. Luth. Lips. 2. Heidelb. Erl. 1. secutus. Reliqui *Satira.*

Plautus in Milite glorioso. Est Act. II. Sc. 1. vs. 70. (148. 149. ed. Bothe). *Glaucomam.* MS. Dresd. *Glaucumam. ab oculis.* Vulgo *ob oculos.* In Codicibus etiam plurimis haec lectio reperitur. Praetuli tamen lectionem Codd. Lutherii, Dresd. Erl. 1. Lips. 3. Ed. Ven. 1. *ab oculos.*

non viderit. Vulgo *ne videat.* Illud exhibent Codd. Zwicc. 2. et Luth. *Videat* nullo modo ferri posse videtur, quamvis plurimorum Codicum testimoniis nitatur.

§. 8. *unde frequens usus veterum.* Adjeci postremam vocem e Cod. Erl. 1. *Sic etiam mile.* Vulgo, *sed et mille.* Illam lectionem praebuerunt Codd. Lips. 1. 2. *etiam* pro *et* omnes fere MSS.

quod autem non sunt. Vulgo *sint* constanti editorum morositate circa grammaticae leges, quas violari indicativo posito, putarunt. At vero Priscianus, si Codices audiendi sunt, ubi certum aliquid declaratur, indicativo semper usus esse nec illiam relativae constructionis regulam curasse deprehenditur.

§. 9. *Tirimida.* Alii Codd. *Tirida*, alii *Tirmada*, alii *Tirmide.* Nullus vero per *Th* scriptum hoc nomen exhibet, quibus literis in Editionibus hoc nomen effertur.

figurate neutris sunt conjuncta. Vnde Salustius in II. Historiarum: *Inter laeva moenium et dextrum flumen Turiam, quod Valentiam parvo intervallo praeterfluit.* Turiam dixit, qui accusativus masculini est, non neutri. Plurima tamen non solum in Africa, sed in aliis etiam regionibus nomina fluviorum in a inveniuntur desinentia. Lucanus in secundo: *Nullasque vado qui Macra moratus Alnos.* Idem in eodem: *Senaque et Adriacas qui verberat Aufidus undas,* qui sunt Italiae. Similiter Himella, et Allia. Virgilius in septimo: *Prope flumen Himellae.* Idem in eodem; *Et quos infaustum interluit Allia nomen.* Salustius in II. Historiarum: *Nisi quia flumen Durda Tauro monte defluens.* Necnon etiam Graeca nomina tam fluviorum quam aliorum in as apud illos desinentia, quae in *ov* faciunt genitivum Graecum, nostri absque s solent plerumque proferre, ut Marsya, Geta, Chaerea, Sosia. Lucanus in tertio: *Qua celer et rectis descendens Marsya ripis, errantem Maeandron adit.* Hoc etiam sciendum, quod omnis nominativus in a desinens corripitur, quamvis sit apud Graecos productus, ut Lydia, Syria, Phrygia, Italia, Hispania. Unde accentus quoque cum tempore mutatur. In paucis tamen inveniuntur nostri poetae Graecis servasse morem Graecum. Statius in IV. Thebaidos: *Non Te-*

Salustius in II. Hist. MS. Dresd. *III. inter laeva.* Edd. Bas. Colon. Ald. *inter laevam.* Nos Pulschii vestigia hoc loco prementes Codicum lectionem expressimus.

qui accusativus masculini est. Addunt libri impressi *generis,* quod a Codicibus tantum non omnibus abest. Ed. Ven. 1. *masculinum est.* Mox pro *sed etiam in aliis* posui secundum Cod. Luth. *sed in aliis etiam.* Ed. Ven. 1. *sed in aliis regionibus etiam.*

Lucanus in secundo. Est vs. 426. *In eodem.* Est vs. 407. Pro *undas* unus meorum *oras.*

Virg. in septimo. Est vs. 714. *Idem in eodem.* Est vs. 717.

Flumen Durda. Hoc nomen plerumque scribitur *Lurda.* Equidem Codices meos praestantissimos Lips. 1. Zwicc. 1. Heidelb. Erl. 2. Dresd. sequendos putavi. Luth. e corr. *Lurda.* Erl. 1. *Lurcha.* Lips. 2. pro *Durda Tauro* exhibet *dutauro.*

§. 10. *Lucanus in tertio.* vs. 207. 8. *Statius in IV. Theb.* vs. 605. *Idem in sexto.* 517. 18.

§. 11. *mantele* scripsi pro *mantile.* Codices enim plerique sic scribi jubent. *Ovid. IV. Fast.* vs. 934. *ac dextra.* Vulgo *ad dextram.* Ita et plures MSS. Equidem MS. Lips. 2. secutus

gea non ipsa deo vacat alite felix Cyllene. Idem in sexto: *Te plangeret Argos, te Nemea, tibi Lerna comas, Larissaque supplex poneret.* In e correptam Latina sunt neutra, quae e in is conversa faciunt genitivum, ut hoc mare hujus maris, hoc monile hujus monilis, hoc mantele hujus mantelis. Ovidius in IV. Fast. *Dixerat, ac dextra villis mantele solutis cumque meri patera turis acerra fuit.* Hoc Soracte hujus Soractis. Horatius in primo Carminum: *Vides, ut alta stet nive candidum Soracte.* Virgilius in XI. *Sancti custos Soractis Apollo.* Excipitur unum indeclinabile in singulari numero, hoc cepe hujus cepe. Apuleius in Medicinalibus: *Cepe sucum melle mixtum.* Quod in plurali numero foemininum est primae declinationis, hae cepae harum ceparum, quamvis antiquissimi in a quoque singulare foemininо genere hoc recte protulisse inveniuntur. Naevius in Apella: *Ut illum Dii ferant, qui primum olitor cepam protulit.* Lucilius in VI. Saturarum: *Lippus edenda acri assidue ceparius cepa.* Frequentior tamen usus hoc cepe protulit. Naevius in Apella: *Cui cepe edundo oculus alter profluit.* Novius in Eculeo: *Oleas, cepe, ficus.* Varro de Actionibus scenicis tertio: *Multifariam in patellis coquere cepe.* Caper tamen et cepitius et cepitium veteres dixisse ostendit. In e productam Graeca sunt 11 III 12

---

sum, ad cujus lectionem propius accedit Lutherius Codex, *at dextra* exhibens. MS. Dresd. *in dextra.*

Horatius in primo Carm. Locus notissimus. Oda IX. *Virgilius in VI.* vs. 785.

hae cepae harum ceparum. Harum e Codicibus addidi.

Naevius in Apella: Ut illum Dii ferant. Vulgo, *terant.* Secutus ego sum auctoritatem MS. Heidelb. *ferant* positum est pro *auferant, tollant de medio.* MSS. Lips. 1. Erl. 1. Dresd. Luth. Edd. Ven. *differant.* Erl. 2. *deferant.* Lips. 2. *dii ferant.* Idem *molitor* pro *olitor.*

Lucilius in VI. Saturarum. Lips. 1. *Lucinius.* Post *assidue* addunt Edd. Bas. Colon. Ald. Ven. *κρομμυοπώλης homo.* A Codicibus haec absunt. Ergo cum Putschio omisi. Mox pro *edendo* secundum Cod. Lips. 2. scripsi *edundo.*

Naevius in Eculeo. Vulgo, *Idem in Feuleo*, ut ad Naevii nomen *idem* referendum sit. Ego eo fidentius Erl. 2. lectionem in textum recepi, quod omnes fere Codices praeter Lips. 2. non *idem*, sed *Nevius* exhibent, quod non fecissent, si idem poëta a Prisciano notatus esset. Accedit, quod constans est horum nominum in libris manu scriptis confusio.

foeminina, et vel Graece declinantur, ut Libye Libyes: vel mutata e in a, et accepta e faciunt in ae diphthongum genitivum, ut Helena Helenae. In i Latina sive Graeca inveniuntur et neutra, sunt vel omnis generis, et aptota, hic et haec et hoc frugi, nihili, mancipi, hujusmodi: nauci quoque, quod putamen nucis significat, et pro nihilo accipitur. Plautus in Mostellaria: *Qui homo timidus erit, in rebus dubiis nauci non erit.* Idem in Truculento: *Tympanotribam amas, hominem non nauci.* Quibusdam autem non irrationabiliter genitivi vel dativi casus isti sunt existimati, qui figurate cum omnibus aliis casibus et generibus possunt adjungi. Nam frugi dativus est a nominativo frux vel fruges, et mancipi a manceps, et nihili genitivus a nominativo nihilum. Hoc gummi, hoc sinapi, magis peregrina sunt: quamvis quidam haec sinapis dixerunt, ut Plautus in Pseudolo: *Teritur sinapis scelerata cum illis; qui*
13 *terunt, priusquam triverint, oculi ut extillent, facit.* Inveniuntur et barbara, ut Illiturgi oppidum. Livius in XXIII. ab urbe condita: *Illiturgi oppidum oppugnabatur.* Trajanus in primo Dacicorum: *Inde Berzobim, deinde Aixi processimus.* Herodianus gummi quoque et piperi barbara dicit esse: sed nostri piper piperis declinaverunt, ut Persius: *Et piper et pernae.* Idem: *Rugosum piper.* Et Juvenalis: *Solvite funem, frumenti*

---

§. 12. *mutata et in a et accepta e.* Ineptissime Edd. Colon. Bas. pro *e* ponunt *d*, quod vitium a Putschio, interdum parum diligente, non sublatum esse, eo magis mireris, cum Edd. Ven. Ald. recte posuerint *e*.

Plautus in Mostellaria. Act. V. Sc. 1. init. Plerique Codd. et Edd. Ven. *Mustellaria.* *Idem in Truculento.* Est Act. II. Sc. 7. vs. 48. Pro *tympanotribam* unus meorum Codd. *tympanotubam.* Ed. Ven. 1. *Trimpanotribam.*

Plautus in Pseudolo. Est Act. III. Sc. 2. vs. 28. Pro *triverint* Ed. Ven. 1. *teruerint.* MS. Luth. *triverunt.*

§. 13. *Livius in XXIII.* Est Cap. 49. Hic quoque locus non diligenter a Prisc. enotatus est. Ea scilicet verba retulisse satis habuit, quae ad sententiam confirmandam pertinerent, omissis, quae nihil ad probandum facerent.

Aixi. Unus meorum Codicum *Arzi.*

Persius: Et piper et pernae. Sat. III. 75. Sequens locus V. 55. *Iuvenalis.* Est Sat. XIV. vs. 293. 94.

sic in his, quia uterque. Vulgo, *sic in his nominibus.* Postremam vocem omittunt MSSi mei.

§. 14. *Plautus in Poenulo.* Est Act. II. Sc. 2. vs. 225. ed. Both.

dominus clamat piperisse coemptor. De hujuscemodi, istiusmodi, illiusmodi, et aliis talibus multi dubitaverunt, utrum composita sint an non: sed ea composita esse ipse accentus docet, qui in fine praecedentis dictionis poni non posset, nisi essent composita. Ideo autem indeclinabilia sunt, quia utraque pars genitivum casum habet. Quomodo igitur, si uterque sit nominativus in compositis, uterque declinatur, sic in his, quia uterque genitivus est, mansit indeclinabilis. In 14
o correptam, quam tamen veteres frequenter producunt, Latina sunt: et si foeminina fuerint g vel d antecedentibus, mutant o in i, et accepta nis faciunt genitivum, ut haec Carthago hujus Carthaginis, haec virgo hujus virginis, haec dulcedo hujus dulcedinis, alcedo alcedinis. Plautus in Poenulo: *Quam mare olim est, cum ibi alcedo pullos educat suos.* Alia vero omnia producunt o in genitivo, Cicero Ciceronis, caupo cauponis, Juno Junonis, Castulo Castulonis, Ruscino Ruscinonis: nomina sunt urbium Hispaniae. Hic et haec bubo bubonis. Excipiuntur haec, quae non ser- 15
vant in genitivo o, hic cardo hujus cardinis. Quidam tamen veterum etiam foeminino genere hoc protulerunt. Gracchus in Atalanta: *O grata cardo, regium egressum indicans.* Ordo etiam ordinis, homo hominis, quod est commune. Cicero pro Cluentio, cum de ejus

---

Quam mare olim est. Vulgo, *quam mare est olim.* Ita et Putschius. E nostris Codicibus praestantissimi, Zwiccavienses scilicet, Lutherius, Heidelb. Lipsienses 1. 2. Erl. 2., eam, quam recepimus, lectionem exhibent.

educat. Ita pro *educit* e Cod. Erl. 2. et Edd. Ven. 1. 2. scripsimus, quod et Putschius recepit.

Cicero Ciceronis. Sic complures MSS. Vulgo, *ut hic Cicero hujus Ciceronis. Juno Junonis.* Vulgo, *haec Juno hujus Junonis. hujus* etiam ante *bubonis* MSS. auctoritate omisi.

§. 15. *quae non servant in genitivo.* Vulgo, *quae in genitivo non servant.*

Cic. pro Cluentio. Cap. 70. Nec hic locus accurate redditus. *ait.* Haec vox notanda hoc loco est. Godofredus enim Hermannus, vir supra discipuli laudem elatus, in Elementis doctr. metr. p. 627. locum ex Livii Andronici Odyssea allegatum tractans, vocem *ait* corruptam putat, hanc addens rationem: „neque enim Prisciano recte tribuas, qui non solet ita loqui.“ Illud quidem vere monuit vir summus, hanc vocem non frequenter usurpatam esse Nostro: hic tamen lo-

matre loqueretur, ait: *Cujus ea stultitia est, ut eam nemo hominem appellare possit.* Et Lucanus in V. de Phemonoe: *Atque hominem toto sibi cedere jussit pectore.* Virgilius in I. Aeneidos: *Nec vox hominem sonat,* de foemina loquens. Vetustissimi tamen etiam homo homonis declinaverunt. Ennius: *Vulturis in silvis miserum mandebat homonem, heu quam crudeli condebat membra sepulcro.* Nam et vultur et vulturis et vulturius dicitur. Nemo quoque, sive ex hoc compositum, ut quibusdam videtur, seu non, communis est generis, et similiter o in i convertit in genitivo, ut nemo neminis. Lucilius in XXX. *Neminis ingenio quenquam confidere oportet.* Plautus in Captivis: *Neminis misereri certum, quia mei miseret nemo.* Titinnius: *Quod rogas, neminem decet bonam.* Terentius in Andria: *Hoc ego scio unum,*
16 *neminem peperisse hic.* Nec solum de hominibus dicitur. Virgilius in nono: *Turne, quod optanti Divûm promittere nemo.* Turbo turbinis, quando de vi ventorum loquimur. Nam si sit proprium, servat o in genitivo, hic Turbo, nomen proprium gladiatoris, Turbonis.

---

cus et alter Lib. X. §. 33. docet, non prorsus repudiatam esse a Prisciano hanc formulam. Sic et *inquit* infra §. 78. et alibi.

Lucanus in quinto. vs. 168. 69. *cedere jussit pectore.* Edd. Ven. Bas. Colon. Ald. *cedere pectore jussit.* Nec Putschius vitium animadvertit. Ego Codd. Zwicc. 1. Lips. 1. Luth. secutus sum. *Virg. in I. Aen.* vs. 328.

Ennius: Vulturis — homonem. Unus meorum Codd. Lips. 2. *Vulturus.* Silentio transmisissem hanc lectionis varietatem, cujus vis eo infringitur, quod idem Codex cum reliquis omnibus in sequentibus *vulturis* exhibet, nisi viderem, Ger. Io. Vossium in Arte Gr. III. Cap. 36. p. 171. b. haec notasse: „Simileque *vulturis* pro *vultur.* Ennius: (apud Charis. in I. et Prisc. in VI.) *Vulturis in silvis miserum mandebat homonem,* nisi potius *vulturus* legendum, quomodo scribi in chirographis libris et ipsi observavimus et autor quoque est Obertus Giffanius in indice Lucretiano." Ut jam notavimus, a nostris quidem membranis nulla suppeditatur ratio, cur in sententiam Viri eruditissimi transeamus. Imo, omnibus fere adversantibus, habemus profecto, quod isti sententiae obsistamus.

Plautus in Captivis. Act. III. Sc. 5. vs. 107.

Terentius in Andria. Act. III. Sc. 2. vs. 26. MS. Dresd. *Hoc ego scio, neminem nunc peperisse hic.*

§. 16. *Virgilius in nono.* vs. 6.

Sic Horatius in II. Serm. Sat. III. vs. 310.

quod antiqui. Ita MSS. Zwicc. 1. Lips. 2. Erl. 1. 2. Vulgo,

Sic Horatius in secundo Sermonum: *Corpore majorem rides Turbonis in armis spiritum.* Anio etiam Anienis, quod antiqui secundum analogiam Anien nominativum proferebant. Cato contra Veturium: *Aquam Anienem in sacrarium inferre oportebat: non minus XV. milia Anien abest.* Ovidius: *Quaque Numici aut Anienis aquae, cursuque brevissimus Almo.* Cicero pro Cornelio in primo: *Trans Anienem.* Horatius in I. Carminum: *Et praeceps Anio ac Tiburni locus.* Apollo Apollinis. Praeterea Cupido Cupidinis, quod masculino quidem genere deum significat plerumque, et est proprium; foeminino vero ipsam rem. Itaque foeminini praevaluit declinatio. Margo quoque marginis. Notandum, quod tam masculini quam foeminini generis invenitur. Statius in III. Thebaidos: *Solverat Hesperii devexo margine ponti.* Juvenalis in primo: *Aut summi plena jam margine libri.* Excipitur etiam caro foemininum carnis. Vetustissimi tamen etiam nominativum haec carnis proferebant, qui magis rationabilis est ad genitivum. Livius Andronicus in Odissia: *Carnis*, ait, *vinumque,*

---

antiquissimi. Ovidius autem et Cicero non sunt *antiquissimi*, sed *antiqui.*

non minus XV. milia. Haec est lectio Codicum manu scriptorum Zwicc. 1. Lips. 2. Heidelb. Dresd. Luth. Erl. 2. Lips. 1. Vulgo, *non minus quam XV. millibus.* Pro *aquam Anienem* MS. Erl. 1. *aquam ab aniene.*

Ovidius: Quaque Numici. Metam. XIV. 329. 30. In Ovidio non *quoque*, sed *quasque* legitur, debetque legi. Cave, in Prisciano corrigas. Tres meorum Codd. *quoque.*

Horat. in I. Carm. VII, 13. *Tiburni.* Ita secundum MSS. Zwicc. 1. Lips. 1. Dresd. Luth. Heidelb. pro *Tiburti* scribendum fuit. Lips. 2. *turbini.* Unus Erl. 2. vulgatam *tiburty* expressit. Cf. Bentl. ad Hor. l. l.

§. 17. *Juvenalis in primo.* Sat. I. 5.

Livius in Odissia: Carnis, ait, vinumque. Vulgo *vinum quoque*, quod Codices mei damnant. Cf. Godofr. Hermanni Elem. doctr. metr. p. 627. *anclabatur.* Edd. Ven. 1. 2. *antlabatur.* Ita et Hermannus legendum censet. Equidem Codices sequendos eamque ob causam vulgatam retinendam esse arbitratus sum. MS. Lips. 1. *exmiscebantur anclabatur.* Huic voci superscriptum est *furabatur.* Erl. 1. pro *anclabatur* posuit *libantur*, literam *n* vero punctis suppositis pro spuria declaravit. Vocem Graecam *ἐξηρύσατο*, quam Edd. Ald. Colon. Bas. Putsch. ad explicandum Latinum *anclabatur* addunt, omisi ego, auctoritate Codd. Luth. Lips. 1. Erl. 1. Heidelb. In reliquis diversissime scripta legitur. Dresd. *ἐξεστάσετο.*

quod libabant, anclabatur. Et T. Livius in XXVI. ab urbe condita: *Latinaeque instauratae, quod Laurentibus carnis, quae dari debet, data non fuerat.* Itaque eius, quod est caro, diminutivum caruncula est, ut virgo virguncula, ratio ratiuncula. Varro in Andabata: *Sed quidvis potius homo quam caruncula nostra.* Ab eo autem, quod est carnis, carnicula debet esse, ut canis canicula. Et sciendum, quod quinque inveniuntur in o terminantia, quae faciunt in a foeminina, ut leo leaena vel lea, draco dracaena, leno lena, caupo caupona: quod significat tam ipsam tabernam quam mulierem. Lucilius in III. *Caupona hic tamen una Syra.* Strabo etiam straba facit. Varro de Numismatis: *Non*
IV *haec res de Venere paeta strabam facit.* In o productam
18 desinentia Graeca sunt foeminina, et vel Graece declinantur, ut Manto Mantus. Virgilius in decimo: *Fatidicae Mantus et Tusci filius amnis.* Vel addita nis faciunt genitivum, ut Dido Didonis, Calypso Calypsonis, Io Ionis, idque usus antiquorum comprobat. Attius in

---

Erl. 2. ἐξενταανto. Zwicc. 1. ἐξενταανο. Zwicc. 2. ἐξνητλατοα. Ed. Ven. 2. ἐξηνιλήσατο. Denique incerta est sedes hujus vocis in MSS. In Codd. Dresd. Zwicc. 2. Erl. 2. Edd. Ven. 1. 2. ante *anclabatur*, in Cod. Zwicc. 1. postponitur. Hermannus legi vult, ἐξηντλεῖτο vel ἐξηφύσσετο. Nota interlinearis, quam exhibet MS. Heidelb., explicat vocem *anclabatur* ita: „*exhauriebatur. perficiebatur quantitas. perficiebatur quantum dandum erat. dabatur, quod poscebat sacrum hoc. implebatur.*" Mihi quidem ministrandi vim habere videtur, cum ab ancula derivatum esse appareat. Caeterum tam ad *carnis* quam ad *vinum* pertinere hoc quidem loco videtur. Glossema, quod MS. Lips. 1. praebet, *carnis* pro accusativo habet.

Livius in XXVI. Est Lib. XXXVII. Cap. 3. Duo meorum Codicum MSSorum *a Laurentibus*, quae lectio non plane spernenda esse videtur. Constat enim, singulas civitates foederis Latini pro suis partibus ad commune sacrum vel carnem vel lac vel caseos et id genus alia contulisse.

Itaque ejus, quod est caro. Ita MSS. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. pro vulgato *ejusdem caro.*

Sed quidvis potius homo. Vulgo, *o homo.* Nos Codicum lectionem expressimus.

Lucilius in III. Syra. Vulgo, *Syria*, quod MSS. et Edd. Ven. damnant.

strabam facit. Hic addunt libri editi ἑτερόφθαλμον. Equidem delevi hanc vocem, cum omissa sit ab iis quoque Codd., qui Graeca diligentissime referre solent. Frustra requiras hanc

Ioe: *Custodem assiduum Ioni apposuit virgini.* Pacuvius: *Filios sibi procreasse dicitur, eundem per Calipsonem autumant.* Plautus in Aululania: *Quod si Argus servet, qui oculeus totus fuit, quem quondam Ioni Juno custodem addidit.* Quod autem Ionis, et Didonis, Calypsonis dicitur, ostendit hoc etiam Cesellius Vindex in Stromateo his verbis: *Calypsonem ita declinatum esse apud antiquos,* Livius: *Apud nympham Atlantis filiam Calypsonem.* Ennius in VIII. *Poenos Didone orundos.* Attius in Ioe: *Custodem assiduum Ioni apposuit virgini.* In u latina sunt generis neutri, et aptota in singulari 19
numero, non etiam in plurali, ut hoc cornu, tonitru, genu, quae tamen antiquissimi inveniuntur in um quoque proferentes in eodem genere, et in us genere proferentes masculino, et quartae declinationis, ut Lucanus in septimo: *Cornus tibi cura sinistri.* Idem in eodem: *Seu tonitrus ac tela Jovis praesaga notavit.* Cicero tamen in Arato hoc genus pro genu protulit: *Tertia sub cauda ad genus ipsum lumina pandit.* Idem in eo-

---

vocem in MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. Erl. 1. 2. In MS. Zwicc. 2. ante *facit* legitur. Auctor Cod. Dresd. audere forsan voluit; leguntur certe post *peta* hae literae: *ηηθτρος.* Secundus quidem Lipsiensis habet *αατπφοπταλμου.* At vero, si haec auctoritas valet, etiam ante *straba* quae in hoc Codice leguntur literae *ωληο* textui inseri debent. Nec, fateor, equidem mihi persuadere possum, Nostrum notissimam vocem Latinam, Graeca addita, explicare voluisse. Illustravit quidem interdum Latina Graecis, nec tamen nisi ubi lucis aliquid affunderent, vel analogiam linguae utriusque demonstrarent. Edd. Ven. 1. 2. pro *Venere paeta* exhibent *Veneripeta.* In uno meorum pro *de Venere* reperitur *devenire.*

§. 18. *Virgilius in decimo.* Aen. vs. 499.

Attius in Ioe. Edd. *Ione.* Ita Putschius quoque. Mea quidem sententia perperam. Nam si Prisc. *Ione* scribi voluisset, non opus fuisset sequentibus verbis ad regulam demonstram lam. Neque huic lectioni suffragantur Codices; nostram potius fere omnes exhibent. Et cum Putsch. in antecedentibus scripserat *Ioe*, nec hoc loco aliter scribere debebat. Edd. Ven. omittunt *in Ioe.* Ita et nonnulli Codd. *Pacuvius: — per Calipsonem.* In Cod. Luth. *per* punctis distinctum est, ita ut spurium judicari videatur.

§. 19. *ut hoc cornu, tonitru, genu.* Sic Codices mei fere omnes. Vulgo, *hoc cornu cornu, tonitru, genu, gelu.* Ed. Ven. 1. omisit *genu.*

Lucanus in VII. vs. 217. *Idem in eodem.* vs. 197.

dem: *At propter laevum genus omni ex parte locatas parvas Vergilias tenui cum luce videbis.* In eodem: *Haec genus ad laevum nixi delapsa resedit atque inter flexum genus et caput alitis haesit.* Attius in Prometheo: *Profusus flamine hiberno gelus.* Illud etiam notandum, quod, cum plerumque composita simplicium declinationem servant, Capricornus secundae invenitur. Cicero in Arato: *Cordore semifero magno Capricornus in orbe.* Idem in eodem: *Tum magni curvus Capricorni corpora propter Delphinus jacet, haud nimio lustratus nitore.* Ovidius in II. Metamorph. *Dextra cornum tenet.* Idem in V. *Flexile cornum.* Lucretius similiter in VI. *Propterea fit, uti, quae semina cunque habet ignis, Demittat, quia saepe gelum, quod continet in se, emittit.* Attius in Troadibus: *Sed utrum terraemotus sonitusne inferûm pervasit auris inter tonitra et turbines.* In c duo sunt generis neutri, lac lactis: quod antiquissimi etiam hoc lacte protulisse inveniuntur teste Capro, apud quem exem-

---

At propter laevum. Vulgo *ac*, quod falsum est. Nos Codicum Dresd. Luth. Erl. 1. auctoritate *at* restituimus. Cod. Lips. 1. *aut.*

§. 20. *servant* scripsi pro *servent* secundum MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Mox *declinationis*, quod post *invenitur* libri impressi addiderunt, eorundem Codicum suasu omisi.

Ovid. in II. Metam. vs. 871. *Item in V.* vs. 483. Hoc loco Gierigius edidit *cornu.*

Lucr. in VI. vs. 577. 78. Hos versus turbaverunt librarii in membranis nostris. Omittunt *semina*, pro *ignis dimittat* exhibent *in se mittat* et pro *quum — mittit* posuerunt, quod nos recepimus, *quia — emittit*, quamvis versus Lucretii postremam vocem non ferat. Cum vero primus versus tam misere mutilatus et vexatus in membranis appareat, ut ne sensum quidem fundat, jure, puto, hanc lectionem exprimere dubitavi, nec Venetae Editionis auctoritate decipi me passus sum, quippe quae ita hunc versum refert: *Propterea fit utique semina quodcunque habet in se mittat quia — emittit.* Credat Iudaeus Apella, Priscianum, sanae mentis hominem, sic scripsisse.

exempla invenis. Ita Codices mei pro *invenies* scribi jusserunt.

Plautus in Menaechmis. Est Act. V. Sc. 9. vs. 30. (vs. 983. ed. Both.)

Martialis. Lib. III. Epigr. 77. vs. 5. Edd. Bas. Colon. Ald. *Capparim.* Codex Zwicc. 1. Ed. Ven. 1. *Capparin.*

Horatius in II. Serm. Est Sat. VIII. vs. 9. Hunc etiam locum librarii variis modis turbaverunt. Nonnulli omittunt *pervel-*

pla invenis. Plautus in Menaechmis: *Neque aqua aquae, neque lacte est lacti, crede mihi, usquam similius.* Et alec alecis. Sic Martialis: *Capparin, et putri cepas alece natantes, et pulpam dubio de petasone voras.* Horatius in II. Sermonum: *Pervellunt stomachum siser, alec, faecula Coa.* Est autem alec genus piscis. Inve- 21
niuntur tamen quidam veterum etiam haec alec foemininо genere protulisse, quod Caper ostendit de dubiis generibus Verrium Flaccum posuisse, alecem hanc, dicens: *Non habet plurale, nec hoc neque lac. Nam hae lactes partes sunt intestinorum a Graeco γαλακτίδες dictae, et servaverunt apud nos quoque idem genus, cujus singulare haec lactis est.* Titinnius in Ferentinati: *Craticula, cerebellum, lactis agnina.* Pomponius in Lare familiari: *Oro te, Basse, per lactes tuas.* In d quoque duo sunt neutra, quae a masculinis nascuntur in s desinentibus, aliud et quid: et ex eo composita, ut aliquid, siquid, nequid, quorum genitivus in ius profertur, ut alius et

---

lunt. Unus tantum, *si recte notavi*, MS. Erl. 1. exhibet *siser.* MS. Luth. supra scriptum ostentat *cicer.* Item MS. Lips. 1. supra scriptum refert *ciser.* Erl. 2. omisit *Coa.* Omnes autem addunt haec: *piper allece non sine aceto.* Ed. Ven. 1. hunc locum ita exhibet: *Pervellunt stomachum siser: allec: faecula: choa: piper alece non sine aceto.* Haec ultima leguntur in Hor. Serm. II. 8. 49. ita: *pipere albo non sine aceto.* Nec tamen fieri ullo modo potuit, ut haec a Prisciano scriberentur, nisi memoria miro modo deceptum utrumque locum confudisse statuendum sit. Nos rationem priorum Editorum secuti Horatio sua restituimus, et additamentum, quibus debetur, librariis reliquimus.

§. 21. *Inveniuntur tamen — neque lac.* Haec periodus in libris editis perversa interpunctione sensu fere omni destituitur. In Ed. Putsch. ante *quod* major est interpunctio, et additur huic voci *autem*; deinde *dicens* regit secundum Putschium *allecem hanc*, ergoque ad Verrium referendum est, quod nullo modo ex regulis grammaticis fieri posse, sponte patet. Equidem Codicum et Edd. Ven. auctoritate delevi *autem*, et virgulam pro puncto posui; deinde virgulam posui post *alecem hanc*, et *dicens* referendum ad Caprum puto, ita ut, quae sequuntur, ab eodem prolata sint. *Nec hoc.* Putsch. *nec hale.*, qua auctoritate, nescio. Codices et vetterrimae editiones *hoc.* Pertinet enim ad *alecem hanc.*

Ferentinati. MS. Lips. 1. *ferenti.* Lips. 2. *ferrencinati.* Idem pro *Pomponius* habet *Ponponius.* Erl. 1. *Pompinius.* *Basse.* Ita e MSS. Lips. 1. Erl. 1. Heidelb. scripsi pro vulgato *Base.* Lips. 2. hoc nomen post *lactes tuas* ponit. Erl. 2. *Baso.*

cujus; et dativus in i, alii et cui, secundum quorundam pronominum declinationem; unde quidam indocti pronomina ea esse putaverunt. Sed ipsa significationis ratio, et omnes Graecorum doctissimi haec nomina esse comprobant. Probus etiam alius alia aliud inter nomina posuit. Latius autem de his in pronomine disseremus. Inveni tamen apud Livium in CXII. ab urbe condita in d desinens Barbarum nomen regis Maurorum Bogud, cujus genitivum secundum tertiam declinationem Bogudis protulit, ut: *Castra quoque diversis partibus Cassius et Bogud adorti, haud multum abfuere, quin opera perrumperent.* In eodem: *Quo tempore firmandi regni Bogudis causa exercitum in Africam velociter trajicere conatus sit.* Idem in eodem: *Cassius gessisset cum Trebonio bellum, si Bogudem trahere in societatem furoris potuisset.* Idem in CXIII. oppidi nomen in d desinens per accusativum neutro genere protulit: *Et ipse circa Pulpud oram tuebatur.* In t hoc caput capitis invenitur, et ex eo composita sinciput sincipitis, occiput occipitis. Git μελάνθιον, et Nepet nomen oppidi Italici, indeclinabilia sunt. In al Latina et barbara inveniuntur, et sunt masculini generis vel neutri, quae addita is faciunt genitivum, ut hic sal hujus salis, Annibal Annibalis, hoc tribunal hujus tribunalis, cervical cervicalis. Sed neutra a producunt in obliquis casibus. In el desinentia correptam Latina sunt et neutra, et addita lis faciunt genitivum, ut mel mellis, fel fellis. In el productam quae sunt barbara, vel in il vel in ol vel in ul desinentia, cujuscunque sint generis, Latina sive barbara, addita is, faciunt genitivum, ut hic Daniel hujus Danielis, haec Tanaquil hujus Tanaquilis, hic sol hujus solis, hic consul hujus consulis, hic et haec exul hujus exulis. Nihil indeclinabile est, quia per apocopam ab eo, quod est nihilum, prolatum est. Sicut

---

§. 22. *Idem in eodem.* Pro *Trebonio* MS. Dresd. *tribuno.* Reliqua MS. Erl. 1. sic: *bellum si bogudem trahere in societatem secum potuisset furoris.* Mox pro *oram* unus meorum *ora.*

§. 23. *Terentius in Andria.* Act. I. Sc. 1. vs. 31. Apud Terentium hic versus ita legitur: *Horum ille nihil egregie praeter caetera.*

Potest autem. Vulgo, *tamen.* Pro *Lucilius* MS. Erl. 1. *Lucius.* Lips. 2. haec tantum refert: *hilo non rectius vivas.*

etiam apud Graecos κρῖ et δῶ et κυκεῶ pro κριθὴν et δῶμα et κυκεῶνα. Quidam tamen adverbium esse putant, quod nomen esse adjectivum quantitatis, ipsa ostendit constructio. Quomodo enim dicimus multum bonum et boni et bonorum, et minimum lucrum et lucri et lucrorum, sic nihil malum vel mali vel malorum. Terentius in Andria: *Nihil horum egregie praeter caetera.* Et Cicero de Signis: *Nihil minus ferendum.* pro nihil intolerabilius. Potest autem etiam loco adverbii accipi, quomodo multum et primum. Nihil autem vel nihilum a non et hilum est compositum, quod sine dubio est nomen. Hilum enim pro ullum vetustissimi proferebant. Lucilius in XIIII. *Naumachiam, licet haec inquam alveolumque putare, et calces delectes te hilo non rectius vivas.* In am unum desinit ge- 24
neris omnis indeclinabile, hic et haec et hoc nequam. In im quoque unum indeclinabile, Cim. nomen vici, ut dicit Celsus. In um Latina seu Graeca, apud Graecos in on desinentia, neutra sunt, et mutata um in i, faciunt genitivum, ut hoc templum hujus templi, hoc Pelium hujus Pelii, hoc ostorium hujus ostorii, lignum, quo modius aequatur. Inveniuntur tamen apud Comicos multa hujuscemodi neutrorum formam habentia, mulierum nomina, quibus articulos foeminini generis necessario significationis gratia praeponere solent, ut ἡ *Δόρκιον* haec Dorcium, ἡ *Γλυκέριον* haec Glycerium, ἡ *Χρύσιον* haec Chrysium, ἡ *Ἀβροτόνιον* haec Abrotonium, ἡ *Λεόντιον* haec Leontium. Hoc autem solet fieri adulationis causa, sive diminutionis aetatis. In an, aut in on, aut in in desinentia Graeca sunt 25
masculina vel foeminina, et producuntur omnia, et vel Graece declinantur, ut Pan Panos. Virg. in VIII. *Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.* vel ex genitivo Graeco fit Latinus, mutata os ultima in is, ut *Τιτὰν Τιτᾶνος* Titan Titanis, *δελφὶν δελφῖνος* vel delphin delphinis. Dicitur tamen et delphinus delphini. In multis enim invenimus

---

§. 24. *Hoc ostorium hujus ostorii.* Edd. Ven. Bas. Colon. Ald. Putsch. *hostorium, hostorii.* Ego meliorum Codicum Lips. 1. Lips. 2. Erl. 1. 2. Dresd. scripturam retinendam esse putavi.

§. 25. *Virg. in VIII.* 334. *Plautus in Menaechmis.* Est Act. V. Sc. 2. vs. 101. (754. ed. Both.) Uti hic versus Plautinus apud nos legitur, ita omnes Codices eum exhibent, nisi quod MS. Lips. 3. (in multis hic vitiosissimus) pro *Titanum* legit *tyrannum* et pro *Cygno patre* exhibet *patria.* Libri etiam Plautini, typis scilicet exscripti, inter se discrepant.

a genitivo Graeco factum Latinum nominativum, ut ἐλέφας ἐλέφαντος, hic elephas hujus elephantis, et hic elephantus hujus elephanti, a genitivo Graeco elephantos. Similiter hic abacus hujus abaci, a genitivo Graeco ἄβακος. Ἄραψ Ἄραβος, Arabs Arabis, et Arabus Arabi; Τιτὰν Τιτᾶνος, hic Titanus hujus Titani. Plautus in Menaechmis:
26 *Barbatum tremulum Titanum quia lucet Cigno patre.* Necnon et ab accusativo, panthera, cratera, quod Graeci quoque in multis fecere, quos in hoc quoque sequimur, qui saepe et genitivo et aliis casibus pro nominativo sunt usi, ut ὁ μάρτυρ, τοῦ μάρτυρος, καὶ ὁ μάρτυρος, μαρτύρου, ἰκτὶν, ἰκτῖνος, καὶ ὁ ἰκτῖνος, ἰκτίνου. Virg. in VII. *Hircanisve Arabisve parant seu tendere ad Indos.* Qui est a nominativo hic Arabus. Idem in VIII. *Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.* Lucil. in IIII. *Aethiopus* dixit pro Aethiops: *Rhinocerus velut Aethiopus.* Titanus quoque pro Titan dicebant. Unde Naevius in carmine belli Punici primo: *Inerant signa expressa quomodo Titani bicorpores Gigantes, magnique Atlantes.* Lucanus in IX. *Nec tutus spatio est elephas.* Iuvenalis in IIII. *Rursus ad Aethiopum populos aliosque elephantos.* Virgilius in VIII. *Pantherae terga retorquens.* Cicero in Arato: *Tum magni curvus capricorni corpora propter delphinus jacet, haud nimio lustratus nitore.* Horatius in II. Carminum: *Nec curat Orion leones, aut timidos agi-*
27 *tare lyncas.* Et notandum etiam de genere, quod masculino genere protulit Horatius, cum Virgilius foeminino in III. Georgicon: *Quid lynces Bacchi variae?* Horat. in II. Carminum: *Nulla decempedis metata pri-*

---

§. 26. *Necnon et ab accusativo.* Vulgo additur: *Graeco fit nominativus Latinus.* Omissa haec a me sunt, quia a Codicibus omnibus absunt.

Virg. in VII. vs. 605. *Idem in VIII.* 706. *Lucanus in IX.* 732. *Juvenalis in IV.* Sat. X. vs. 150. *Virg. in VIII.* vs. 460. *Hor. in II. Carminum.* Oda XIII. extr.

§. 27. *Virg. in III. Georg.* vs. 264. *Quid lynces Bacchi variae.* Ita Codices omnes et Edd. Ven. Putsch. Edd. Ald. Bas. Colon. *qui — varie.* Quae post haec in editis libris sequuntur inde a *Persius — major*, Codicum meorum omnium et Edd. Ven. auctoritate transposui et hanc paragraphum claudere jussi.

Horat. in II. Carm. XV. vs. 14. 15. *In eodem.* Vulgo *in II. Epistolarum.* Recte hoc quidem ad sensum, sed e correctione, puto, cum Codices mei et Edd. Venetae, quod scripsi, ex-

vatis opacam porticus excipiebat Arcton. Haec decempeda ab accusativo Graeco ἀπὸ τοῦ δεκάποδα. In eodem: *Diversum confusa genus panthera camelo.* Cassida quoque accusativus est Graecus, ab eo quod est cassis, quo usus est pro nominativo Virg. in XI. *Aurea vati cassida.* Statius vero cassis protulit in II. Theb. *Bellipotens cui torva genis horrore decore cassis, et asperso crudescit sanguine Gorgon.* Quod autem Graecum est hoc nomen, ostendit etiam Probus in libro, qui est de catholicis nominum. Persius: *Crateram argenti sudabit praetrepidum cor.* Juvenalis in I. *Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex ornamentum abaci.* Idem in IV. *Quanto delphinis balaena Britannica major.* Et sciendum, quod 28
omnia in in desinentia etiam in is productam finiuntur. Arin proprium nomen et Aris, delphin et delphis, Eleusin et Eleusis, Trachin et Trachis. Et notandum, quod auctores Graecorum in is magis terminatione sunt usi. Nostri vero frequentius in in, quamvis Cicero pro Scauro, *Cum dare nollet,* inquit, *Aris, clam ex Sardinia est fugere conatus.* In eadem: *Arinis uxorem pellicatus dolo concitatam.* In yn quoque terminantia, addita is, faciunt genitivum, Adramyn nomen herois, Adramynis, Phorcyn Phorcynis. Unde Lucanus in libro IX. *Squa-* VI
lebant late Phorcynidos arva Medusae. Nam Phorcys 29
per s Phorcyis declinatur, non Phorcynis. Euan Euantis, notandum, quod t assumpsit in genitivo. Ovid. in IIII. Metamorphoseon: *Nycteliusque Eleleusque parens, et Iacchus et Euan.* Statius in V. *Et a summis auditus montibus Euan.* Virgilius in VI. *Illa chorum simulans*

---

hibeant. Est Lib. II. Ep. 1, 195. *Virg. in XI.* vs. 775. *Statius in II. Theb.* 715.

Persius. Videtur esse Sat. II. 52. Si vere hic locus allegatus est, quam misere laceratus sit, vix dici potest.

Juven. in I. Est Sat. III. vs. 203. *Idem in IV.* Est Sat. X, 14. MS. Erl. 1. *ballena plitonica* (e corr. *phitonica.*)

§. 28. *Cic. pro Scauro.* Fragm. *nollet.* Ed. Ven. *nolet.*

§. 29. *Lucanus in Libro IX.* vs. 626. *Ovidius in IV. Metam.* vs. 15. *Statius in V.* vs. 95. *Cicero in libro Verrin.* Est Or. V. cap. 6. extr. *Imacharensi* scripsi secundum Codices Lips. 1. Lips. 2. pro *Macharensi.* Ern. edidit *Megarensi.* *Idem in Frumentaria.* Est Verr. III. cap. 22. Pro *Veneris* Edd. Ven. Putsch. *Veneris.* *Idem de suppliciis.* Or. Verr. V. cap. 42. Pro *Tindaridanus* Lips. 2. *Tindarianus.* *Statius in I. Achill.*

Euantis orgia circum. Quidam tamen participium accusativi casus pluralis hoc magis esse volunt, ne sit communis extrema syllaba, Euantis Phrygias pro Bacchantis. In on quoque genitivi Graeci supradictam servant regulam, penultima secundum Graecos manente producta vel correpta, *Μέμνων Μέμνονος*, hic Memnon hujus Memnonis, *Σίνων Σίνωνος*, hic Sinon hujus Sinonis, *Λαοκόων Λαοκόοντος*, hic Laocoon hujus Laocoontis. Haec tamen antiqui solebant ablata n proferre, et secundum Latinorum regulam in o terminantium, quod ubique Terentius facit, declinare, ut hic Antipho hujus Antiphonis, hic draco hujus draconis, hic leo hujus leonis. Si enim leon dicas, necessario servas, ut genitivus quoque secundum Graecos t habeat leontis. Unde Cicero in libro Verrinarum, qui est de suppliciis, proprium nomen Leon Leontis declinavit: *Quid? In Leonte Imacharensi non idem fecisti?* Idem in Frumentaria: *Tum iste Veneriis magna voce imperat, ut Xeno audiret,* pro *Ξένων* Graeco. Idem de suppliciis: *Dexto Tindaridanus homo nobilis,* pro Dexon. Idem pro Muraena Zeno pro Zenon profert. Idem pro Fundanio: *Essetne id, quod Meno nuntiasset,* pro Menon. Statius in I. Achilleidos: *Conclamant Danai, stimulatque Agamemno volentes.* Horatius in III. Carminum: *Diffidit urbium portas vir Macedo, et subruit aemulos.* In en desinentia correpta Latina sunt masculini vel neutri generis, quae mutant e in i, et addita is faciunt genitivum, ut hic flamen flaminis, hoc numen numinis. In en productam Latina et Graeca generis sunt masculini vel foeminini, et accepta is faciunt genitivum, ut hic lien hujus lienis, rien rienis, vel ren renis. Horat. in II. Sermonum: *Quod latus aut renes morbo tentantur acuto.* Splen splenis.

---

vs. 553. *Horatius in III. Carm.* Od. 16. vs. 13. 14. Post *aemulos* omisi *pro Macedon* Codd. jussu.

§. 30. *Horatius in II. Serm.* Sat. 3, 163.

§. 31. *Horatius in II. Epistolarum.* Ep. 1. vs. 217. *Virgilius in VI.* vs. 882.

Ovidius, ut in III. Metam. Vulgo omittitur *ut.* Codices praestantissimi Lips. 1. 2. Dresd. Luth. exhibent. Nec omitti debet; alioquin ne sensum quidem habet formula, *frequenter ponit Ovidius in III. Metam. Panda naris erat.* Sic scripsimus ex MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2.

Damen nomen proprium historici Graeci, Damenis. Similiter Seben nomen herois socii Ulixis, qui habitavit Temesae, Sebenis, Hymen Hymenis, haec Siren hujus Sirenis, haec Troezen hujus Troezenis. In ar 51
Latina et Graeca inveniuntur et barbara generis masculini vel neutri vel omnis, quae accepta is faciunt genitivum, ut hic Caesar Caesaris, hoc nectar nectaris, hic et haec et hoc par hujus paris, hic Aspar hujus Asparis, hic Bostar hujus Bostaris. Sed neutra, si derivata sint, producunt a in obliquis casibus, a lupa hoc lupanar hujus lupanaris, a lacu hoc lacunar hujus lacunaris, a laqueo hoc laquear hujus laquearis, a calce hoc calcar hujus calcaris. Horatius in II. Epistolarum: *Si munus Apolline dignum vis complere libris, et vatibus addere calcar.* Virgilius in sexto: *Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.* Nar quoque Naris monosyllabum similiter producit a in genitivo, et est proprium fluvii. Nam si nasum velimus significare, haec naris hujus naris, similem genitivo nominativum proferemus, sicut frequenter ponit Ovidius, ut in III. Metamorphoseon: *Panda naris erat.* Idem in VI. *Defluxere comae, cum quis et naris et auris.* Lucanus in II. genitivum protulit: *Hic aures, alius spiramina naris aduncae amputat.* Far etiam farris positione habuit penultimam longam, quod solum r literam geminavit: et puto differentiae causa, ne verbum esse putetur secundae personae, for faris fatur. Et sciendum, quod par et Nar producuntur in nominativo, ut Lucanus in IIII. *Par animi laus est, et quos speraveris annos.* Et Virg. in VI. *Sulphurea Nar albus aqua.* Sed Nar servavit a productam etiam in obliquis casibus. Ennius in VI. Annalium: *Sulphureas posuit spiramina Naris ad undas.* Par corripuit. 52

---

pro *et panda loquendi.* Hoc enim ex Ovidio huic Nostri loco adscriptum est. *Idem in VI.* Est vs. 141. Gierigius edidit: *cumque his.* Praestat haud dubie Nostri lectio.

Lucanus in II. vs. 183. *Lucanus in IV.* 482. *Virg. in VII.* 517.

§. 52. *Par corripuit.* Scilicet *a in obliquis casibus.* Haec enim unusquisque ex proxime antecedentibus facile supplebit. Libri impressi addunt *obliquos.* A MSS. abest hoc. Ergo ponere non potui; nec opus est, ut ponatur. Editor antiquus Venetus posuit: *corripitur,* e suo, puto, arbitrio.

Virgilius in Bucolicis: *Numero deus impare gaudet.* Lucanus in IX. *Ergo pari voto gessisti bella juventus.* [Virg.] Et, *paribus se sustulit alis.* Similiter Lar Laris. Virg. in V. *Pergameumque Larem, et canae penetralia Vestae.* Plautus: *Ego sum Lar familiaris.* In er correptam desinentia, s et t antecedentibus, nisi sint possessiva, quorum in is desinunt foeminina, er in ri mutant, et faciunt genitivum, ut hic Auster Austri, hic oleaster oleastri, hic apiaster apiastri. Excipitur sequester sequestris, quod duplici ratione compellitur secundae esse, quoniam et t et s ante er habet, nec est possessivum, et quod in a facit foemininum, sequestra. Virgilius in undecimo: *Et pace sequestra.* Tertiae tamen invenitur declinationis apud plerosque. Cicero in II. Verrinarum: *Aut sequestres, aut interpretes corrumpendi judicii.* Sed Plautus hoc quoque secundum analogiam declinavit, ut in Vidularia: *Animum advortite, amabo. Si vultis, vidulum hic apponite: ego servabo, quasi sequestro detis; neutri reddibo, donicum res dijudicata sit.* In eadem: *Haud fugio sequestrum.* In er quoque desinentia Graeca masculina supradictam servant regulam, quae in ros apud Graecos finita, antecedente alia in ea-

---

Virgilius in Buc. VIII. 75. *Lucanus in IX.* 256. [*Virgilius*] *Et, paribus* caet. Uncis inclusi nomen Virgilii, quoniam in Codicibus meis non reperitur. Erl. 2. pro eo habet *aliud*, e glossemate procul dubio. Reliqui per *et* verba sequentia cum antecedentibus jungunt. Est Aen. IX. 14.

Virgilius in V. vs. 745. *Plautus: Ego sum* rel. Est Aulul. Prol. vs. 2.

quorum in is desinunt. Indicativum pro conjunctivo *desinant* dedi e Codd. Zwicc. 1. Erl. 2. Lips. 1. 3. Dresd. Edd. Ven. 1. 2.

austri — oleastri — apiastri. Addunt libri editi ternis his vocibus pronomen articulare genitivi *hujus*, quod, cum a Codicibus meis absit, omisi.

foemininum sequestra. Ante *sequestra* omisi *id est*, quod libri impressi inserunt, scripti ignorant.

Virg. in undecimo. vs. 133. *Cicero in II. Verrinar.* Or. I. Cap. 12 extr.

Plautus — in Vidularia: Animum advortite. MS. Lips. 2. *avertite.* Mox *amabo* e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. recepi pro vulgato *ambo*, quod editiones Ald. Bas. Colon. Putsch. exhibent. Majori interpunctione sejunxi ab his sequentia. Pro *vitulum*, quod editiones omnes et Codices manuscripti praestant, ex Ed. Ald. reposui *vidulum*. Il-

dem syllaba consonante, mutant ros in er apud Latinos, *Μένανδρος* Menander Menandri, *Ἀλέξανδρος* Alexander Alexandri, *Μελέαγρος* Meleager Meleagri. Excipitur gongrus, quamvis gonger dixit Plautus in Persa: *Memini, ut muraena et gonger ne calefierent.* Codrus, Petrus, Hydrus, Scombrus, Ebrus, Amphimacrus, Locrus, quae o in u mutant, non ros in er. Quamvis antiqui etiam in aliis nominibus ejusdem terminationis est quando sic protulerint nominativos, ut Virgilius Teucrus et Euandrus protulit in III. Aeneidos: *Teucrus Rhoeteas primum est advectus in oras.* Idem in VIII. *Rex Euandrus ait non haec solemnia nobis.* In eodem: *Tum pater Euandrus dextram complexus euntis.* Idem in X. *Pallas, Euander in ipsis omnia sunt oculis.* Illa quoque Latina nomina, quae foeminina in a faciunt, er in ri mutant in genitivo, ut par sit syllabis suo nominativo, ut ater atri, facit enim atra, niger nigri nigra: exceptis illis, quae s vel sp vel n ante r habent, et a gerendo vel ferendo compositis, quae accepta i faciunt genitivum, una syllaba vincentem suum nominativum, ut miser miseri, prosper prosperi. Donatianus in senatu pro se: *Ut prosper dicendi successus ostenderet et auditorum benivolentia* VII 34

---

lud enim quomodo salvo sensu retineri possit, equidem non intelligo. Deinde *dijudicata* pro *judicata* plerique Codices scribi jubent. Alii tamen aliter. Heidelb. Lips. 1. Luth. *rejudicata.* Erl. 1. Zwicc. 1. *res rei judicata.* Aliquot *donec cum* pro *donicum.* Denique pro vulg. *erit haec* edidi *sit,* cum hanc lectionem infra Lib. XIII. §. 11. omnes Codd. praestent, quamvis hoc quidem loco plerique *erit haec* exhibeant.

haud fugio sequestrum. Editiones pleraeque *aut.* Recte posuit Putschius *haut;* nolui tamen hanc scripturam per *t* reddere, cum plures sint Codices, qui per *d* scriptum referant.

§. 33. *Plautus in Persa.* Act. I. Sc. 3. vs. 29.

quae o in u mutant, non ros in er. Ita Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. pro vulg. *quae non ros in er, sed o in u mutant.* Mox *protulerunt* secundum MSS. et usum Nostri scripsi pro vulg. *protulerint.*

Virg. in III. vs. 108. *in oras* pro *ad oras* scripsi auctoritate Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Mox unus meorum Codd. *Riphaeas* pro *Rhoeteas.*

Idem in VIII. vs. 52. *In eodem.* vs. 558. *Idem in X.* vs. 515.

§. 34. *Donatianus.* Sic Codd. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. Zwicc. Edd. Ven. 1. 2. scriptum hoc nomen exhibent. Edd. Ald. Colon. Bas. Putsch. *Domitianus.* MS. Erl. 2. *Doritianus.*

crescere dicentium facultatem. Cicero tamen prosperus protulit in sexto de republica: *Deinde est hominum generi prosperus et salutaris.* Asper asperi. Nam aspri per syncopam dicitur. Lucifer luciferi, corniger cornigeri, tener teneri. Liber quoque, quando ingenuum significat, liberi differentiae causa declinamus, ne, si libri dicamus, aliud significare putetur. Dexter similiter et dextri et dexteri; etiam adulter adulteri. Et notandum, quod tot syllabarum est masculini genitivus, quot sit nominativus foeminini. Excipiuntur alter et uter, et ex his composita, quae pronominum declinationem sequuntur: alterius enim et utrius faciunt genitivum. Ex quo quidam errantes ea pronomina, sicut supra diximus, voluerunt esse. Ex eis compositum alteruter quamvis in masculino ex duobus sit nominativis, tamen, quia in foeminino alterutra, et in neutro alterutrum ex corrupto et integro est, ex altera parte plerunque declinatur, id est exteriore, alteruter alterutrius, ut sit genitivus et dativus trium generum similis, quod proprium est omnium in ius terminantium genitivum. Cicero pro M. Marcello: *quod si in alterutro peccandum sit.* Lucanus in sexto: *Placet alea fati, alterutrum mersura caput.* Inveniuntur tamen altera utra, et alterum utrum

---

Pro *successus* bini Erlangenses *succensus.* Post *ostenderet* adjiciunt Codd. Lips. 1. Zwicc. 1. Dresd. Edd. Ven. *et*, quod recepi. MS. Dresd. *advictorum*, Erl. 1. 2. *adjutorium*, pro *auditorum.* Pro *dicentium* Lips. 1. *dicentem*, Lips. 2. *dicentia.* Edd. Ven. totum hunc locum ita exhibent: *ut prosper dicendi successus ostenderetur et adjutorium benivolentiae crescere dicentium facultatem.* Ger. Io. Voss. de A. G. Lib. IV. Cap. V. p. 213. b. vulgatam refert lectionem, et *Domitianus* etiam retinuit.

dexter similiter et dextri. E Cod. Zwicc. 1. adjeci *et.* Mox ad vocem *adulter* e MSS. apposui *etiam* pro vulg. *et.*

§. 35. *in ius terminantium genitivum.* Vulgo, *genitivos.* Nos lectionem plurimorum Codd. expressimus.

Cic. pro M. Marcello. Cf. supra Lib. V. §. 63. Hoc quoque loco plurimi Codices *peccatum* pro *peccandum.*

Lucanus in VI. vss. 7. 8.

ex utraque parte declinasse. Codicum et Edd. Ven. auctoritate ejeci *ea* post *parte.*

Cic. in Protagora. Pro *molestiam* Heidelb. aliique *modestiam.* Unus ante *ad* inseruit *vel.*

quamvis soleant. Nihil equidem dubitavi vulgatae *solebant* praeferre lectionem, quam habent Codd. Luth. Heidelb. Lips.

protulisse veteres, et ex utraque parte ea declinasse. Cicero in Protagora: *Quae igitur potest esse indignitas voluntatis ad molestiam, nisi in magnitudine aut longitudine alterius utrius positu?* Cato de ambitu: *Sed sunt partim qui duarum rerum alterius utrius causa magistratum petunt.* Neuter tamen plerique neutri declinaverunt. Sed Plautus in Vidularia *neutri reddibo* dixit dativum, cujus genitivus neutrius sine dubio est; quamvis vetustissimi soleant omnium in ius terminantium genitivum et in i dativum, etiam in *i* genitivum, et in o dativum in genere masculino et neutro, in foemininо vero secundum primam declinationem in ae diphthongum proferre. M Cato in Censura de vestitu et de vehiculis: 36
Nam perinjurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur, ubi datus est, tum uti eos mutem atque alii modi sim, pro alius modi. Coelius in V. *Nullius alius rei nisi amicitiae eorum causa.* C. Licinius in II. *Perversum esse alii modi postulare.* Caesar in Anticatone priore: *Uno enim excepto, quem aliusmodi, atque omnis natura finxit suos quisque habere charos.* Uni pro unius Titinnius in Barbato: *Quod quidem pol mulier dicit, namque uni collegii sumus.* Ipsi pro ipsius Afranius in Homine: *Ipsi me velle vestimenta dicito.*

---

2. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2., cum verosimile sit, vulgatam emendatori deberi.

Marcus Cato in censura. Hoc quidem loco, si recte coutavi, omnes Codd. Catonis nomen tuentur, ita tamen, ut alii *Marcus* addant, alii omittant. Infra autem Lib. XIII. Cap. II. §. 12. iidem Codices unanimi consensu M. Cochii nomen his verbis praefigunt. Hanc lectionis diversitatem notasse satis habui; nam quis fieri potuisse neget, ut ipse Priscianus errorem admiserit? Minime autem auctor corrigendus est. Pro *siet* Erl. 1. *fiet.* Pro *tum* Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. *tamen.* Equidem Codd. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. secutus *tum* restitui, et *est* pro *sit* scripsi.

Coelius in quinto. Auctoritate MSS. Heidelb. Lips. 1. 2. edidi *Coelius* pro vulg. *Caecilius.* Cf. notam ad Lib. VII. §. 21. XIII. §. 12.

C. Licinius. MSS. Erl. 1. 2. Heidelb. Dresd. Lips. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. *Glicinnius.* Pro *esse* MS. Zwicc. 1. *est.* MS. Erl. 1. *alius* pro *alii.*

Titinnius. Plures Codd. itemque Edd. Ven 1. 2. *Tintinnius.*

ipsi pro ipsius. Codicum meorum auctoritate expunxi *quoque*, quod libri impressi post *ipsi* addunt. Pro *dicito* MS. Zwicc. 2. *dicite.*

Totae pro totius idem in Suspecta: *Adeo ut te satias caperet totae familiae.* Soli pro solius Cato in primo Originum: *Nam de omni Tusculana civitate soli Lucii Mamilii beneficium gratum fuit.* Idem nullae pro nullius: *Qui tantisper nullae rei sies, dum nihil agas.* Potest tamen hic dativus accipi, nullae rei pro nulli utilitati. Terentius in Andria: *Quandoquidem tam iners, tam nulli consilii.* Ulli pro ullius. Plautus in Truculento: *Quasi vero corpori reliqueris potestatem, coloris ulli capiendi mala.* Illi pro illius. Cato in M. Caecilium: *Quis illi modi esse vult?* Idem de moribus Claudii Neronis isti pro istius: *Pecunia mea reipublicae profuit quam isti*
37 *modi uti tu es.* Et sciendum, quod in ius terminantium genitivus producit penultimam, nisi poetica auctoritas eam corripiat, excepto alter alterius, quod ideo magis correptam habuit penultimam, quod duabus syllabis vincit genitivus nominativum. Quod igitur crevit syllabis, hoc minuit tempore. Terentianus tamen invenitur huius etiam i penultimam produxisse in trochaico metro, quod est ex septem pedibus et syllaba, sescuplo vel una vincet alterius singulum. Sextus enim pes vult a longa incipere. Propria ejusdem, id est in er terminationis, nomina si sint appellativis similia, eorum sequuntur regulam, ut Asper proprium et appellativum asperi et aspri per syncopam. Liber proprium et ap-

---

totae pro totius. Miror Putschium, qui ipse infra §. 82. melius edidit, non animadvertisse vitium, quod libros impressos, quotquot inspexi, occupavit, quippe qui *toti* exhibent pro *totae.* Nexus sententiarum ipse damnat hanc lectionem. Hoc enim loco demonstrare vult Noster, veteres secundum primam foemininum in ius terminantium declinasse. Scribendum ergo est *totae familiae.* Ita recte Codices mei omnes praeter Heidelb. qui litura vel rasura corruptus est.

Lucii Mamilii. Vulgo, *Lucii Manulei.* In nomine Codices variant. MS. Lips. 2. *Manilii.* Zwicc. 1. *Mamlii.* Zwicc. 2. *Mamillii.* Luth. Dresd. *Mamilli.* MSS. Heidelb. Lips. 1. Erl. 2. *Mamilii.* Constat Mamilios Tusculo ortos esse. Vide quam negligens fuerit Putschius! Infra §. 82. edidit *Manilii;* hoc vero loco *Manulei.*

qui tantisper nullae rei sies. Putschius caeteros secutus edidit: *quod tantisper nulli rei est,* vitiosissime! *qui* pro *quod* exhibent MSS. Zwicc. 1. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Iidemque codices MSSi *nullae* recte tuentur. Sunt tamen inter illos, qui *nulli* exhibeant. *sies* edidi e MS. Luth. MSS. Lips. 1. Zwicc. 2. exhibent *es.* Reliqui fere omnes *est.*

pellativum liberi. Caper nomen proprium et appellativum similiter Capri. Reliqua vero omnia in er correptam, sive productam, tertiae sunt declinationis. Graeca sive Latina cujuscunque sint generis, et t antecedente r in ris mutantia, faciunt genitivum, ut pater patris, mater matris, equester equestris. Excipitur hic later lateris. Praeterea Jupiter, cujus genitivus ad aliud nomen transit. Dicimus enim hujus Jovis. Et hoc iter; dicimus enim hujus itineris: quamvis antiqui hoc iter iteris, et hoc itiner itineris dixerunt. Plautus in Mercatore: *Quin tu ergo itiner exequi meum me sinis?* Naevius in Lycurgo: *Ignoti iteris sumus tute scis.* quae sunt nunc ἑτερόκλιτα. Inveniuntur tamen apud vetustissimos haec ancipitis genitivi: hic accipiter hujus accipiteris et accipitris, Opiter Opiteris et Opitris, Maspiter Maspiteris et Maspitris, DiespiterDiespiteris et Diespitris. Sic etiam Jupiter Jupiteris et Jupitris, ut Cesellio Vindici placet, debuit declinari. Nam Jovis nominativo quoque casu invenitur. Caecilius in epistola: *Nam novus quidem deus repertus est Jovis.* Attius in Epinausimache: *Lucifera lampade exurat Jovis Arietem.* Ex quo etiam pluralem numerum Plautus protulit in Casina: *Repente, ut moriantur humani Joves.* C quoque antecedente supradictam servant regulam, id est er in ris convertunt in genitivo, si sint communia, vel in is facientia foeminina, ut alacer

38

39

Fidenter equidem parui auctoritati Cod. Luth., cum infra §. 82. vulgati quoque libri, parum sane sibi constantes, *sies* in textum receperint.

Terentius in Andria. Act. III. Sc. 5. vs. 2.

Plautus in Truc. Act. II. Sc. 2. vs. 38. Editiones omnes praeter Putschianam *corporis:* quod falsum esse, libri scripti et grammatica docent.

Cato in M. Caec. Ante *quis* Codicum auctoritate delevi *et.*

§. 37. *Asper proprium et appellativum.* Expunxi Codicum jussu *asper* ante *appellativum.*

Caper nomen proprium. Inserui e Codd. *nomen* et *similiter*, quod in libris editis post *Caper* legitur, posui post *appellativum.*

§. 38. *Plautus in Mercatore.* Act. V. Sc. 2. vs. 72.

Naevius in Lycurgo. Plures Codd. *Ligurgo.* Edd. Ven. *in libro.* Pro *itineris* recte dant MSS. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. *iteris*, quod Putschius etiam recepit.

§. 39. *Hic accipiter hujus accipiteris.* Plures Codd. *ancipiter ancipiteris et ancipitris.* Quod rariorem genitivi formam ante syncopatam ponunt, in hoc eos secutus sum.

Plautus in Casina. Act. II. Sc. 5. vs. 26.

40 alacris, acer acris. Et sciendum, quod in utraque terminatione utriusque generis inveniuntur haec. Virg. in VI. de Anchisa dicens: *Alacris palmas utrasque tetendit.* Naevius in Carmine belli Punici: *Fames acer augescit hostibus.* Ennius in XII. *Omnis mortalis victores cordibus vivis laetantes, vino curatos somnus repente in campo passim mollissimus perculit acris.* Alia vero omnia, cujuscunque sint generis, accepta is, faciunt genitivum, una syllaba abundante, ut aër aëris, carcer carceris, mulier mulieris, suber suberis, Mulciber Mulciberis et Mulcibris, ut Cesellius in Stromateo docet: quod si est a mulcendo et imbri compositum, ut plerisque videtur, melius simplicis declinationem servat: celer celeris, agger aggeris, Liger Ligeris, vomer vomeris, degener degeneris, pauper pauperis, cadaver cadaveris, cicer ciceris. Excipitur imber imbris, et ab eo composita, September Septembris, October Octobris, quod similis est numerus syllabarum tam in nominativo quam in genitivo. Vetustissimi tamen genitivo quoque similem nominativum eorum proferebant. Cato de sacrificio commisso: *Men-*
VIII *se Octobri fecimus, Novembris reliquus erat.* Et omnia,
41 quae faciunt foeminina in is, sic solebant etiam in masculino proferre, hic equester et equestris, alacer et alacris, celeber et celebris, hic campester et campestris. Ca-

---

utriusque generis inveniuntur haec. Omisi *nomina*, quod libri impressi addunt, scripti ignorant. Quae deinde post *tetendit* in libris editis leguntur, *potest tamen alacris esse pluralis accusativus*, ea, cum e glossemate orta esse pateat, textu movi. Reperiuntur quidem in libris aliquot manu scriptis, sed sede incerta. Plures omittunt. Loci scriptorum qui sequuntur, supra Lib. V. §. 17. tractati sunt. In loco Enniano non negligenda est lectio Cod. Lips. 2. pro *vivis* scribentis *unis*, et Lips. 3. pro *perculit* exhibentis *proculit*.

§. 41. *Hic campester et campestris.* Pessime vulgo *hujus campestris*.

Vulsci. Vulgo, *Volsci.* Pro *plerus* MS. Dresd. *plenus*. *Per grämina.* Erl. 2. *Pergama.*

Umbra umbella. Addunt libri editi *sic puera puella.* Praeterquam quod haec absunt a MSS., per se etiam damnanda sunt. Respice modo antecedentia inde a *puellam, quod est* rel.

Ovidius in V. Metam. Est vs. 400. Putschius cum caeteris Editionibus, ne Veneta quidem excepta, sextum librum inscripsit, quod falsum esse, non solum textus Ovidii, sed etiam Prisciani membranae docent. Nos e Codd. Erl. 1. 2. Lips. 3. aliisque verum restituimus numerum.

to in primo Originum: *Agrum quem Vulsci habuerunt, campestris plerus Aboriginum fuit.* Virgilius in VI. de Anchisa: *Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit Aenean, alacris palmas utrasque tetendit.* Haec etiam contra rationem supradictarum regularum declinantur, puer pueri, cujus foemininum puera dicebant antiqui, unde et puerpera dicitur, quae puerum vel pueram parit, id est puellam, quod est diminutivum puerae, ut capra capella, tenera tenella, umbra umbella. Ovidius etiam hoc approbat, qui in V. Metamor. de puella Proserpina narrans, dicit: *Tantaque simplicitas puerilibus affuit annis:* quod derivativum non pertineret ad foeminas, nisi etiam puera esset dictum. Quod tamen comprobat etiam Suetonius diversos ponens usus in lib. qui est de institutione officiorum. Livius in Odissia: *Mea puera, quid verbi ex tuo ore supra fugit?* Idem alibi: *Puerarum manibus confectum pulcherrime.* Non est ta- 42
men ignorandum, quod etiam hic puerus, hic et haec puer vetustissimi protulisse inveniuntur, et puellus puella. Lucilius in XI. *Inde venit Romam tener ipse etiam atque puellus.* Caecilius in Umbris: *Age, age, puere, duce me ad patrios fines, decoratum opipare.* Afranius in Incendio: *O puere puere, sine prospicere me mihi.* Plautus in Lenonibus geminis: *Dolet hic puellus sese venun-*

---

ex tuo ore supra fugit. Vulgo *profugit.* Hoc nostri Codices damnant. *Supra* exhibent Codd. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Dresd. Luth. Lips. 1. 2. Hunc locum tractavit etiam Godofredus Hermannus in opere laudatissimo Elem. doctr. metr. p. 618. Scribendum ibi Vir summus esse dicit: *subterfugit.* Equidem a Codicibus discedere in his et similibus nolui, quam legem Viro etiam principi probatum iri spero. Quod vero in Codicibus Zwiccaviensibus et Lipsiensibus *super* scriptum exstare dicit, id, ne prorsus temere in textum *supra* recepisse videar, negare debeo. Nam in his Codicibus omnibus ita

s

haec vox legitur: *sup*, quod *supra* denotat. *Super* sic scribi solet: *sup.* Non vereor, ne quis temeritatis me insimulet, quod de his tricis cum Viro magno expostulaverim. Pro *fugit* in tribus Codicibus legitur *fuit.* Heidelb. *supra fuit.*

Mea puera in libris vulgatis bis scriptum exstat; in meis autem omnibus semel tantum. Hac auctoritate, quae eo gravior est, cum in ceteris librarii diligentissimi esse deprehendantur, motus expunxi alterum.

§. 42. *et puellus puella.* Post *puellus* delevi *et.*

sine prospicere me mihi. Vulgo *sine me prospicere mihi.* Codices mei omnes *me* ponunt ante *mihi.*

ducier. Lucilius in IIII. *Cumque hic tam formosus homo ac te dignus puellus.* Livius in Odissia: *Sancta puer Saturni filia regina.* Naevius in II. belli Punici: *Prima incedit Cereris Proserpina puer.* Varro in satira, quae inscribitur *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς: Gravidaque mater pe-*
43 *perit Jovi puellum.* Liber quoque excipitur libri, fiber fibri, quae etiam rationabiliter videntur esse secundae declinationis. Habent enim foeminina in a desinentia quantum ad vocem, libra et fibra, quamvis non sint ejusdem significationis, sicut apud Graecos quoque multa inveniuntur foeminina, a masculinis derivata non ejusdem significationis, ut *Ἀάκων Ἀάκαινα* non similem habent significationem, sicut *δράκων δράκαινα, λέων λέαινα*, regulam tamen eandem servant. Item excipiuntur culter cultri, cancer cancri, quod neutrum etiam invenitur, sed quando morbum significat. Claudius in IIII. Historiarum: *Ut viderent, ne respueret verminare ad ulceris cliva, cis quod verminatum ne ad cancer pervenerit.* Ejus genitivus canceris esse debet, ut cicer ciceris. Praeterea notandum socer soceri, cujus foemininum cum secundum analogiam haec socera esse deberet, haec socrus in usu est. Iuvenalis in II. *Desperanda tibi salva*
44 *concordia socru.* Vetustissimi tamen communiter hic et haec socrus proferebant. Attius in Atreo: *Simul et Pisaea praemia arrepta a socru possedit suo.* Gener generi differentiae causa, ne, si generis dicamus, aliud significare putetur. Aper apri, cujus foemininum veteres protulerunt apra, ut Plinius Secundus in primo Artium. Coluber etiam colubra facit. *Haec acer arbor acri,* dicit Servius in commento Virgilii, cum nullum in er foemini-

---

Prima incedit. MSS. Lips. 2. Dresd. *incedet.*

§. 43. *Item excipitur.* Ita Codd. Vulgo, *excipiuntur.*

Claudius in IV. Hist. Fragmentum, quod sequitur, in libris editis ita legitur: *ut videret — verminaret literis addivalis, quod verminatione* rel. E quibus verbis cum sensum elicere equidem nullum possem, consului Celeb. Godofredum Hermannum, qui, quod in eo est ingenii summum acumen, statim vidit, quomodo legendum esset. Cum enim Codices *viderent — verminatum ne* legi jubeant, ineptam autem lectionem et prorsus absurdam *literis addivalis*, levissima tantum varietate, referant, Hermannus gladio suo haec librariorum monstra jugulavit, et conjectura ingeniosissima sententiam admodum probabilem restituit. Vult enim Vir summus, prae-

num secundae inveniatur. Ovidius nominativum protulit: *Et platanus genialis, acerque coloribus impar.* Solinus vero rectius protulit aceris in Admirabilibus de arbore turis: *Palam fieret intorto eam esse vimine, ramis ad aceris qualitatem.* Quaeritur, Iber Iberi, an Iberus Iberi melius dicatur. Lucanus enim utrumque protulit in VI. *Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dedisset.* Idem in IIII. *Qui praestat terris aufert tibi nomen Iberus.* Ergo vel differentiae causa fluvii et gentis apocopa usus est, quomodo Arar pro Araris dixit, vel more suo abutens diversis terminationibus, quomodo Achillem et Achillea. Nam proprie Iberes sunt gens ab Iberis profecta, qui ultra Armeniam habitant, quorum singularis nominativus hic Iber hujus Iberis facit, et apud Graecos "Ιβηρ "Ιβηρος. Nam alterum "Ιβηρος 'Ιβήρου dicunt. In ir desinentia masculina, accepta i, faciunt genitivum, IX
ut vir viri, levir leviri, Trevir Treviri. Unum inveni- 45
tur, ut quibusdam videtur, foemininum tertiae declinationis, Gadir Gadiris: nomen est civitatis. Sed Salustius neutrum esse ostendit in II. Historiarum, accusativum nominativo similem ponens: *Ut alii tradiderunt, Tartessum Hispaniae civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadir habent.* Nam si esset foemininum, Gadirem dixisset accusativum, non Gadir. Et unum neutrum Ir, quod est indeclinabile; quamvis quidem (ut Charisius) Ir Iris declinaverunt. Abaddir quoque vel Abaddier, ὁ *Βαίτυλος*, declinatum non legi. In or desi- 46
nentia Latina, si sint masculini generis aut foeminini vel communis, accipiunt is, et producta o, faciunt genitivum, ut orator oratoris, Salinator Salinatoris, haec

---

ceptum hoc loco tradi de curandis ulceribus, inprimis de ratione, qua caveri possit, ne ad cancer perveniat. Totum locum literis benevole ad me datis ita interpretatus est: Sie sollten zuschen, dafs es nicht unterliefse am Rande des Geschwüres zu jucken; damit es nicht, wenn es innerhalb gejuckt hätte, zum Krebs käme. Pro *addivalis* Codd. aut *a divalis*, aut *ad divalis*, aut *adittalis*.

Juvenalis in II. Est Sat. VI. vs. 231.

§. 44. *Lucanus in sexto.* Vulgo *quinto*, quod falsum. Est vs. 258. *Luc. in IV.* vs. 23.

Cap. IX. §. 45. *Abaddir vel Abaddier.* Ita hoc nomen in Codicibus nostris scriptum reperitur. Vulgo, *abdir*, *abdier*.

uxor uxoris, soror sororis, hic et haec auctor auctoris, pallor palloris, pudor pudoris, stridor stridoris, calor caloris, humor humoris, macor macoris, pro macies, marcor marcoris, ipsa res, fervor fervoris, rubor ruboris, mador madoris. Salust. in IIII. Hist. *Munimenta madore infirmarentur.* Algor algoris, quod etiam hic algus hujus algus dicitur. Plautus in Vidularia: *Inopiam, luctum, moerorem, paupertatem, algum, famem.* Idem in Rudente: *Tu vel suda, vel peri algu, vel etiam aegrota, vel vale.*
47 Excipiuntur corripientia o etiam in genitivo, hic et haec et hoc memor memoris, immemor immemoris, quod a verbo memoro natum, penultimam ejus servavit syllabam. Vetustissimi tamen similem genitivo protulerunt ejus nominis nominativum. Caecilius in Epiclero: *Itane Antipho inventus profluvia fide? Itan' est immemoris, itan' est madida memoria?* Et hoc solum in or desinens habuit comparativum memorior. Indecor indecoris. Virgilius in XI. *Non tamen indecorem tua te regina relinquet.* Idem in XII. *Nec genus indecores sine me haec haud mollia fatu.* Invenitur tamen etiam simplex, decor decoris, penultima correpta apud vetustissimos, quando pro decorus decora decorum accipitur. Naevius in Carmine belli Punici: *Magnamque domum decoremque ditem vexerant.* Aliter enim iambus stare non potest. Salustius in III. *Equis et armis decoribus cultus.* Idem in eodem: *Dedecores multique terga ab hostibus*
48 *caedebantur.* Quae ab eo derivata vel composita, quod est decus decoris, illius declinationem servant, sicut a corpore quoque composita ejusdem declinationem servant, bicorpor bicorporis, tricorpor tricorporis, ut At-

---

§. 46. *Salustius in IV. Hist. Munimenta.* Ita pro *monumenta* scripsi e Codd. nostris Zwicc. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Deinde iidem Codices *infirmarentur* pro vulg. *infirmantur.* Ultimum praestant etiam Edd. Ven. 1. 2. Eaedem *monimenta.*

Idem in Rudente. Act. II. Sc. 2. vs. 24.

§. 47. *Virgilius in XI.* vs. 845. *relinquet* scripsi pro *reliquit* secundum Codices Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Certa, ut videtur mihi, haec est lectio, neque solicitari debebat ab Heinsio, nedum recipi ab Heynio. Edd. Ven. 1. 2. vulgatam tuentur.

decoremque ditem vexerant. Edd. Ven. 1. 2. *duxerant.* Nostrorum librorum plures *vexarant.* MS. Lips. 2. *diemque vexant.*

tius in Eriphyla: *Pallas bicorpor anguium spiras trahit.* Virg. in sexto: *Gorgones Harpyiaeque et forma tricorporis umbrae.* Haec arbor quoque arboris, quod a robore derivatum illius declinationem servans corripuit penultimam genitivi, et a puero composita, Publipor Publiporis, Marcipor Marciporis. Sic Probus. Ita enim antiqui pro Publii puer et Marci puer dicebant, quae o non producunt in obliquis casibus. Salust. in III. Hist. hoc protulit: *Unus constitit in agro Lucano gnarus loci nomine Publipor.* Neutra quoque et Graeca omnia cor- 49
repta o, addita is, faciunt genitivum, ut hoc marmor marmoris, aequor aequoris, hic Hector Hectoris, hic Actor Actoris, quando est nomen proprium Graecum. Virgilius in XII. *Actoris Auruncі spolium, quassatque trementem.* Ab eo autem, quod est hoc ador, genitivus in usu frequenti non est, cujus derivativum o productum habet contra rationem aliorum, quae ex neutris ejusdem terminationis derivantur. Virg. in VII. *Et adorea liba per herbam subjiciunt epulis.* Et puto ideo produci, quia a verbo derivatur producente o penultimam, id est adoro. Ergo ador quoque, cum ab eodem sit verbo derivatum, necessario, si declinaretur, produceret o in genitivo, quod rursus regula neutrorum prohibebat in or terminantium. Duabus igitur sibi adversis regulis repugnantibus, mansit indeclinabile: quamvis inveniatur hujus quoque apud quosdam veterum genitivus, modo producens, modo corripiens penultimam secundum supra dictas diversas rationes, ut Gannius in I. *Hic adoris dat primitias sibi sanguine libat.* Idem in II. *Illam sponte satos adoris stravisse maniplos.* Idem in IV. *Emicat*

---

multique terga ab hostibus caedebantur. Vulgo *per terga,* quod putidum additamentum tolli jusserunt libri scripti.

§. 48. *composita ejus declinationem.* Pro *ejus* Edd. omnes *ejusdem.* Codices nostri, ut edendum curavimus.

§. 49. *Virg. in XII.* vs. 94. *Virg. in VII.* vs. 109.

regula neutrorum prohibebat. Vulgo, *prohibet.* Praeterquam vero, quod Codices mei fere omnes (MS. Dresd. *prohibeat*) sic legi jubent, haec ratio etiam, ut vulgatam commutarem, me permovit, quod antecessit imperfectum *declinaretur* et perfectum sequitur.

Idem in IV. Putschius cum Editoribus Bas. Colon. Ald. *in III.* Equidem MSS. Erl. 2. Dresd. aliosque et Edd. Ven. 1. 2. secutus sum. MS. Dresd. *II.*

in nubes nidoribus ardor adoris. Excipitur etiam hoc cor
50 cordis, quod assumit d in genitivo. Ut breviter igitur supra dictam colligamus regulam: in or desinentia neutra Latina et Graeca, et quaecunque derivantur vel componuntur a primitivis penultimam corripientibus, ea genitivi penultimam corripiunt, caetera producunt, ex-
X ceptis cor et ador. In ur cujuscunque sint generis, ac-
51 cepta is faciunt genitivum, ut hic vultur vulturis, turtur turturis, hoc sulphur hujus sulphuris, hic et haec fur hujus furis. Excipitur hic satur hujus saturi; unde Lucanus: *Saturum tamen obsidet hostem,* quod ideo est secundae declinationis, quia facit foemininum in a desinens, id est haec satura. Terentius in Hecyra: *Sed cum tu satura atque ebria eris, puer ut satur sit, facito:* quod a Probo praetermissum, doctissime attendit noster praeceptor Theotistus, omnis eloquentiae decus, cui quicquid in me sit doctrinae post Deum imputo.
52 Excipiuntur etiam in neutris haec, quae pro u o correptam habent per obliquos casus, ut hoc robur hujus roboris, ebur eboris, femur femoris. Horatius: *Femur, Cerinthe, tuum.* Virgilius in X. *Ocius ensem Aeneas, viso Tyrrheni sanguine laetus, eripit a femore.* Dicitur tamen et hoc femen feminis, cujus nominativus raro in usu est. Jecur jecoris vel jocineris, qui genitivus videtur a nominativo jocinus venire, qui in usu non est. Persius: *Et quae semel intus innata est, rupto jecore, exierit caprificus.* In as desinentia Latina masculini generis sunt, vel foeminini, vel communis, et ablata s et addita tis faciunt genitivum, ut hic Maecenas hujus Maecenatis, haec civitas civitatis, hic et haec Arpinas Arpinatis. Excipiuntur monosyllaba, hic as assis, hoc

---

§. 51. *In ur cujuscunque.* Ita Codd. Vulgo, *in ur desinentia.*

Terentius in Hecyra. Act. V. Sc. 2. vs. 2.

attendit noster praeceptor. Hunc verborum ordinem tuentur Codices. Vulgo, *praeceptor noster attendit. Theotistus.* Zwicc. 1. *Theustitus.* Lips. 1. Luth. *Theoctistus.* Dresd. *Theoristus.* Lips. 2. *Theutistus.* Erl. 2. *Theothistus.* Heidelb. *Theotistus.*

§. 52. *o correptam.* Edd. *correptum.* Illud MSS.

Horatius. Sat. I. 2. 81. *Femur, Cerinthe, tuum.* Vulgo, *o Cerinthe.* Ricardus jam Bentlejus ad Horatii locum laudatum notavit, se in membrana Prisc. reperisse hanc, quam rece-

vas vasis, quod in singulari numero tertiae, in plurali secundae declinationis est, hic vas vadis, hic mas maris, et hoc fas, nefas, et hic et haec et hoc nugas, indeclinabilia. Graeca vero ejusdem terminationis nomina 55
in ου vel α desinentia in genitivo Graeco, primae sunt declinationis, ut ὁ *Λυσίας τοῦ Λυσίου*, hic Lysias Lysiae, ὁ *Ἄντας τοῦ Ἄντα*, hic Antas hujus Antae. Hujuscemodi nominativum nominum frequenter sine s terminali solent Romani proferre, ut hic Geta, Birrhia, Marsia. In os autem terminantia genitivum Graecum, o in i mutata, faciunt Latinum genitivum, ut *Κάλχας Κάλχαντος*, hic Calchas Calchantis: quamvis hic Calchas hujus Calchae antiquissimi declinabant. Plautus in Menaechmis: *Novistin' illum? novi cum Calcha simul.* ὁ *Πάλλας τοῦ Πάλλαντος*, hic Pallas Pallantis. ἡ *Παλλὰς τῆς Παλλάδος*, haec Pallas Palladis. Et sciendum, quod in as 54
desinentia masculina, si nt habeant in genitivo, vocativum in an volunt terminare more Graeco, vel similem hunc nominativo servare, ut o Calchan, vel o Calchas, et o Pallan, vel o Pallas. Virgilius tamen auctoritate poetica o Palla protulit in XI. *Salve aeternum mihi, maxime Palla.* In eodem: *Quin ego non alio digner te funere, Palla.* in hoc quoque Graecorum poetas secutus. Homerus in μ.' *Ἰλιάδος: Πουλυδάμα, σὺ μὲν οὐκέτ' ἐμοὶ φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις. Πουλυδάμα* dixit *ἀντὶ τοῦ Πουλυδάμαν.* Menander quoque in Dardanio *Δρία, παῖ Δρία*, dixit pro *Δρίαν.* In es correptam Latina masculini vel 55
communis generis cum sint, mutant e in i, et ablata s, et addita tis faciunt genitivum, ut hic miles hujus militis, trames tramitis, termes termitis, merges mergitis, hic et haec sospes sospitis, pedes peditis, eques equitis,

---

pimus, lectionem, nec dubitare quisquam debet, quin in Codicibus meis omnibus sic legatur. Edd. Ven. *o Cherinte.*

Virg. in X. vs. 787. *raro in usu est.* Ita Codd. Edd. *in usu raro est.*

Jecoris vel jocineris. Vulgo, *jecinoris.* MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Dresd. illud praestant, quod et Edd. Ven. 1. 2. exhibent.

Persius. Est Sat. I. vs. 24.

§. 53. *Plautus in Menaechmis.* Act. V. Sc. 1. vs. 48.

§. 54. *more Graeco vel similem.* Vulgo, *et similem.*

Virg. in XI. 97. *In eodem.* vs. 169. *Homerum in μ. Iliadis.* Est vs. 231.

hic et haec superstes hujus superstitis, gurges gurgitis, hic et haec dives divitis. Excipiuntur haec, quae habent penultimam ae diphthongum, vel quae a verbis derivantur in penultima syllaba e habentibus brevem, quae e servant in genitivo, ut hic et haec et hoc praepes hujus praepetis, tero teris, hic et haec et hoc teres teretis, hebeo hebes, hic et haec et hoc hebes hebetis, indigeo indiges, indiges indigetis, impeto impetis, impes impetis. Ovidius in III. Metamorphoseon: *Impete nunc vasto,* pro impetu. Similiter Statius in septimo Thebaidos: *Aurigamque impete vasto Amphiarae tuum.*
56 Interpretor, interpres interpretis. Sic declinantur etiam i ante e habentia, ut hic paries parietis, hic aries hujus arietis, hic et haec et hoc inquies inquietis: quod quamvis in nominativo e correptam habeat, ut Probo videtur, in genitivo tamen eandem producit, sicut quies quietis principalis. Sic etiam foeminina servant e correptam, ut haec seges segetis, teges tegetis. Illud quoque notandum, quod a pede vel a sedendo composita per dis, non per tis efferunt genitivum. Et a pede quidem composita servant e; a sedendo vero mutant e in i, ut hic et haec et hoc quadrupes quadrupedis, bipes bipedis, compes compedis. Juvenalis in IIII. *Squalidus in magna fastidit compede fossor.* Hic et haec obses obsi-
57 dis, deses desidis. Excipitur haec apes hujus apis, quia hoc solum a pede compositum, ut quibusdam videtur, e longam servavit, neque ulla crevit syllaba in genitivo: quamvis et alia composita ab eo, quod est pes, au-

---

§. 55. *Ovidius in III. Metam.* vs. 79. *Statius in VII.* vs. 587. 588. Initium versus prioris, quod libri editi reddunt, Codicum auctoritate omisi, deletis verbis: *transiliunt campos.*

§. 56. *producit sicut.* Hanc lectionem restitui Prisciano e MSS. Zwicc. 1. 2. Lectio vulgata, quam et plerique Codices commendant, haec est: *secundum genitivum.*

Juvenalis in IV. Sat. XI. vs. 80.

§. 57. *Virgilius in IV.* vs. 135. *Idem in X.* vs. 892. *Horatius in I. Serm.* Est Sat. 3. vs. 13. 14.

inter correpta haec ponit. Ita Codd. Vulgo *hoc.*

Ovidius in XIII. Putschius nota censoria dignus est, quod falsum numerum VII. reliquit. Ipsi Codices, inter nostros Erl. 2. verum numerum exhibent. Dresd. VIII. Lips. 2. XIV. Erl. 1. XV. Haec propterea notavi, quod argumento esse possunt, quam incerti sint Librorum numeri in MSS. Est vs. 928.

ctores producunt, ut Virgilius in IIII. Aeneidos: *Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit.* Idem in X. *Tollit se arrectum quadrupes, et calcibus auras verberat.* Horatius in I. Serm. *Omnia magna loquens, modo sit mihi mensa tripes, et concha salis puri.* Probus tamen inter correpta haec ponit. Ovidius tamen nominativum haec apis protulit in XIII. Metam.: *Non apis inde tulit collectos sedula flores.* Quod etiam diminutivum ostendit apicula, quomodo docet fidicula, primitivi sui nominativum fidis, non fides esse, quod Servio placet de cithara. In es productam Latina, i antecedente, ablata s, et addita i faciunt genitivum, ut hic meridies hujus meridiei, hic et haec dies hujus diei, haec acies aciei. Excipitur haec quies quietis. Vetustissimi tamen hoc quoque secundum supradictam proferebant declinationem. Afranius in Emancipato: *Sollicito corde corpus non potitur nunc quie.* Laevius in Protesilaudamia: *Complexa somno corpora operiuntur ac suavi quie dicantur.* Iure igitur compositum quoque ex eo requies, quod in eodem genere mansit, tam quintae quam tertiae invenitur. Virg. in IIII. Aeneid. *Tempus inane peto, requiem spatiumque furori.* Cicero in dialogo de Senectute: *Ut meae senectutis requietem oblectamentumque noscatis.* Nam inquies, cujus extremam corripi dicit Probus, inquietis declinatur, quod trium factum est generum, ut supra ostendimus, cujus etiam simplex in usu invenitur trium generum. Naevius in Carmine belli Punici II. libro: *Jamque ejus mentem fortuna fecerat quietem.* XI 58

---

§. 58. *hic et haec dies.* Vulgo, *hic vel haec.*

Afranius in Emancipato. Lips. 2. *Remancipato.* Dresd. *in e mantcipale.* Pro *potitur* unus meorum Codd. *ponitur.*

Laevius in Protesilaudamia. Vulgo *Naevius.* Deinde *Laodamia* sejunctum ab antecedenti vulgo trahitur ad sequentia, si quid aliud, perverse. Ego junctim scribi jussi et *Laudamia* pro *Laodamia* posui secundum Codd. Luth. Heidelb. Dresd. Erl. 2. Lips. 1. MS. Erl. 1. omisit *Laudamia.* Notandum, Agellium hanc fabulam *Laevio* tribuere. Mei quidem Codices omnes praestant *Naevius.* Unus meorum *ducantur* pro *dicantur.*

quintae quam tertiae. Quod vulgo additur, *declinationis*, id Codicum suasu expunxi.

Virg. in IV. Aen. vs. 432.

Cicero in dialogo de Senectute. Cap. 15.

Licinius Macer in I. Annalium: *Non minimo opere milites quietes volebant esse.* Salustius in II. Historiarum: *Quia corpore et lingua percitum et inquietem nomine hi-*
59 *strionis vix sani Burbulegium appellabat.* Alia vero ejusdem terminationis nomina e in i mutata faciunt genitivum, ut hic Verres hujus Verris, haec caedes hujus caedis. Excipiuntur his pes pedis, haec Ceres hujus Cereris, merces mercedis, hic et haec haeres haeredis, locuples locupletis, et tria quintae declinationis e corripientia tam in genitivo, quam in dativo, fides fidei, res rei, spes spei. Invenitur etiam plebes plebei. Salustius in I. Historiarum: *Plebei tribunitiam potestatem.* Nam plebs plebis facit genitivum. Et fames famei dicebant veteres, unde adhuc fame producitur in ablativo. Virg. in VI.: *Melle soporatam et medicatis frugibus offam objicit, ille fame rapida tria guttura pandens.* Juvenalis in V. *Inde autem cum se matura levavit, progenies stimulante fame festinat ad illam, quam primum praedam rupto gustaverat ovo.* Idem in eodem: *Membra aliena fame lacerabant, esse parati et sua;* quasi quintae declina-
60 tionis produxerunt ablativum. Graeca ejusdem terminationis, in ους vel εος vel in τος genitivum Graecum terminantia, ου vel ο vel ε in ι commutantia, faciunt genitivum Latinum, ut Παλαμήδης Παλαμήδου, Palamedes Palamedis, Ἐτεοκλῆς Ἐτεοκλέος, Eteocles Eteoclis,

---

Burbulegium. Vulgo *Barbulejum.* Sed Codices mei fere omnes per *u* efferunt hoc nomen, Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb. Luth. Dresd. Plerique per *g* scribunt. Edd. Ven. MSS. Lips. 3. Heidelb. Luth. Zwicc. 1. 2. *Burbulegium.* Lips. 1. *Burbuleum.* *Appellabat.* Libri vulgati *appellabant.* Equidem in re obscura optimae notae Codicibus, Luth. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2., parendum esse censui.

§. 59. *e in i mutata faciunt. Mutata* edidi pro *mutantia* juxta Codicum mandatum.

Invenitur etiam. Vulgo *et.*

Virg. in VI. Aen. vs. 420. Erl. 1. *saporatam. rapida* scripsi pro *rabida*, non solum quod MSS. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Luth. scribi sic jubent, sed etiam quod vox *rapida* multo melius conveniat *fami*, quam *rabida.* Fame cruciatus rapax quidem fit, non autem rabidus.

Juvenalis in V. Est Sat. XV. 102. 3.

§. 60. *Graeca ejusdem terminationis.* Vulgo, *In es productam Graeca ejusdem declinationis.* Lubenter retinuissem vulgatam lectionem, si Codicum ratio permisisset. Sed hi fere omnes eam, quam recepi, lectionem exhibent. MS. Dresd.

Χρήμης, Χρημητος, Chremes Chremetis et Chremis. Terentius in Andria: *Etiam puerum inde abiens conveni Chremis.* Idem in eadem: *Egomet continuo ad Chremem.* *Μένδης Μένδητος* nomen est urbis Aegyptiae, cujus mentionem Pindarus facit, Mendes Mendetis et Mendis. Sic quoque *Ῥάμνις Ῥάμνητος*, Rhamnes Rhamnetis et Rhamnis, quod Graecum esse ostendit aspiratio post r posita, quod in Latinis nominibus non fit. *Λάχης Λάχητος*, Laches Lachetis et Lachis. Sic et similia in ης terminantia genitivum Graecum. Nec mirum duplicem declinationem haec habuisse apud Latinos, cum apud Graecos quoque multa inveniuntur hujuscemodi ancipitem habentia declinationem teste Herodiano. *Γύγης* nomen gigantis, *Γύγου* et *Γύγητος*; *Κώμης* proprium, *Κώμου* et *Κώμητος*; *Μύκης Μύκου* et *Μύκητος*; *Μήνης Μήνου* et *Μήνητος*; et *Πέλης Πέλου* et *Πέλητος*; *Μίγης Μίγου* et *Μίγητος*; *Πύλης Πύλου Πύλητος*. Similiter Thales, 61
Apelles, Menes, Ageles, Calles, Dares varie declinantur. Unde Virgilius duplicem accusativum Graecum protulit in V. Aene. *Dareta* et *Daren*, illos secutus, qui *Πόδητα* et *Πόδην*, *Μήτητα* et *Μήτην* protulerunt, ut: *Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto.* In eodem: *Sed finem imposuit pugnae, fessumque Dareta.* Sin in *ου* terminent genitivum Graecum, primae erunt declinationis, ut *Ἀχάτης Ἀχάτου*, Achates Achatae, *Ἄγχισης Ἀγχι-*

---

ejusdem terminationis vel declinationis. Verosimillimum est, glossatorem, nescio quem, verba *ejusdem terminationis* addito vel supra scripto *in es productam* explicare voluisse. Glossemate vero in textum recepto deinde mutatum est *terminationis* in *declinationis*.

Terentius in Andria. Act. II. Sc. 2. vs. 31. Haec forma nominis *Chremes* sexcenties in Andria Terentii occurrit. Mox *Aegyptiae* dedi e Codd. compluribus pro vulgato *Aegyptiacae*.

Nec mirum. Codices mei omittunt *est*, quod libri impressi inserunt. Mox pro *inventantur* secundum Codices scripsi *inveniuntur*.

§. 61. *Similiter Thales, Apelles.* Codices mei exhibent, quod etiam posui, libri editi vero omittunt, *Apelles*. Pro *Menes* MSS. Lips. 2. Erl. 2. Lips. 1. uterque e corr. Lips. 5. *Manes*. Vulgatum *Ageles* scribunt plerique Codd. *Agelles* per binas l. Vulgatum tamen retinendum esse videtur.

Virg. in V. Aen. vs. 456. 463.

Sin in u terminent — erunt. Vulgo *terminant*, *sunt*. Non mutassem lectionem vulgatam, nisi Codices jussissent. Utraque enim ratio, quamvis diversa, bona est. Si ad vivum re-

σου, Anchises Anchisae. Saepissime tamen hujuscemodi nomina antiqui et secundum tertiam protulerunt declinationem, ut Orontes Orontae et Orontis, Timarchides Timarchidae et Timarchidis, Herodes Herodae et Herodis. Horatius in II. Epistol. *Praeferat Herodis palmetis pinguibus.* Cicero in primo Tusculanarum: *Non sine causa cum Orestis fabulam doceret Euripides.* Salustius in II. Historiarum: *Eam deditionem senatus per nuntios Orestis cognitam, adprobat.* Idem in IIII. Historiarum: *Namque primum Iasonem novo itinere maris Aeetae hospitis domum violasse.* Agellius Noctium Atticarum nono: *Historia ex libris Heraclidae Pontici*
62 *jocunda memoratu et miranda.* Sciendum tamen, quod frequentissime tertia utuntur declinatione in propriis, quae formam habent patronymicorum, et in barbaris, ut Thucydides Thucydidis vel Thucydidae, Mithridates Mithridatae Mithridatis, Tigranes Tigranae Tigranis. Hujuscemodi enim nomina Parthica etiam Graeci ancipiti terminant genitivo, modo *ου*, modo *ους*, *Τιγράνης Τιγράνου Τιγράνους*. Virgilius in XII. *Nec Drancis dicta refellam.* Et sciendum, quod in hujuscemodi nominibus, quando tertiae sunt, frequentissime veteres

---

seces, fieri potest, ut Codicum hoc quidem loco praestantior videatur, magis enim indefiniti vim habet. Eandem formam infra etiam §. 69. reperies: *Sin in os puram Graecus desinat genitivus, similis erit nominativo.* Supra jam de hac re monuimus.

Horat. in II. Epist. 2, 184. Recte Codices mei post *pinguibus* omittunt *alter*, quae vox quoad sensum et constructionem ad sequentem versum pertinet. Nec temere ergo ego etiam omisi.

Cicero in I. Tusc. Falsus quidem est Libri Cic. numerus; retinui tamen eum, cum fortasse alius fuerit Tuscul. Disp. in membranis, quibus Prisc. usus est, quam qui hodie obtinet, ordo. Est Lib. IV. Cap. 29.

Agellius scripsi pro *A. Gellius*, quoniam Codices omnes ita hoc nomen efferunt. *jocunda* dedi pro *jucunda*, cum MSS. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. Edd. Ven. 1. 2. illud exhibeant.

§. 62. *frequentissime tertia.* Omisi *et*, quod libri impressi interponunt, scripti ignorant.

Virg. in XII. vs. 644.

veteres dativum proferebant. Imperfectum pro praesenti, quod libri editi ponunt, substitui e Codd.

Virg. in I. Aen. vs. 113. vs. 30. *II.* vs. 7. *Terentius in Heautont.* versus tertius a fine.

dativum proferunt pro genitivo, Aristoteli, Demosthe-
ni, Thucydidi, Euripidi, pro Aristotelis, Demosthenis,
Thucydidis, Euripidis ponentes. Virgil. in primo Ae-
neidos: *Praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti, nunc
Amyci casum gemit.* Idem in eodem: *Troas reliquias
Danaum atque immitis Achilli.* in II. *Quis talia fando
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi.* Teren-
tius in Heautontimorumeno: *Archonidi filiam* pro Ar-
chonidis. Cicero in IIII. Verrinarum: *In Timarchidi
potestate sociorum populi Romani antiquissimorum, at-
que amicissimorum liberos, matresfamilias, bona, for-
tunasque omnes fuisse.* Idem in eodem dativum simili-
ter protulit: *Neque in praesentia Timarchidi quid respon-
deret habuit.* Et magis secundum tertiam ea proferunt 63
nominatissimi auctores. Idem in Arato: *Sub pedibus
profert finita Booti*, pro Bootis. Terentius in Hecyra:
Callidemidem hospitem Miconium. Cicero in Protagora:
*Quid tu, unde tandem appares, o Socrate? an quidem non
dubium est, quin ab Alcibiade?* Trogus Pompejus in
lib. VI. *Inde Scepsim petit, quo se Medias interfecta socru
contulerat. Is ab Herculide petito colloquio.* M. Vellejus
Paterculus libro primo: *Nec minus clarus ea tempestate*

Cicero in IV. Verrinarum. Est Or. II. Cap. 54.

Idem in eodem. Cap. 28. *Quid responderet.* Imperfectum pro praesente Prisciano restitui e MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. quam lectionem certam esse docet Grammatica.

§. 63. *Terentius in Hecyra.* Act. V. Sc. 3. vs. 3.

Cic. in Protagora. MS. Lips. 2. *Pitagora. An quidem non dubium est.* Ita MSS. Vulgo, *an quidem dubium non est.* Ernestius sic: *an id quidem dubium non est.* Legendum fortasse *at* pro *an.*

Trogus Pompejus in Lib. VI. Locus sequens in Putschiana vitiosius legitur quam in caeteris. Nomen enim proprium minuscula litera initiali scriptum obscura reddit verba. Mira exhibent Edd. Ven. 1. 2. *Inde sceptrum petit, quos E medio — contuleratis.* MS. etiam Dresd. *Inde sceptrum* et *conuleratis.* Hoc et reliqui omnes Codd. MS. Lips. 2. *Indiscepsim.* Caeterum hoc fragmentum egregie illustratur Xenoph. Hellen. Lib. III. 1. §. 8 — 21. ex quo loco apparet, pro *Herculide* legendum esse *Dercylide*, quod cum in nullo Codice equidem invenerim, recipere non potui.

M. Vellejus Paterculus libro primo. Putidum vitium corrupit Edd. Ald. Bas. Colon. et, quod vix satis mireris, Putschenam. In his enim ita legitur: *M. Vellejus Paterculus: Primus nec minus clarus*, ita ut, quod numerum indicet, jam

fuit Miltiädis filius Cimon. Plinius in II. Naturalis Historiae: *ab Euclide.* Idem in III. *Thucydide, Callippide.* Idem in IIII. *Philistide, Anticlide, Philonide.* In V. *Sotade.* In VI. *Simonide minore.* In VII. *Agatharchide, Apollonide, Duride, Heraclide Pontico, Asclepiade.* In XI. *Heracleote.* In XII. *Mneside.* In XIV. *Commiade.* In XXXVII. *Euripide.* Possunt tamen ea, si producte proferantur, dativi esse Graeci pro ablativis, quomodo Virgilius: *Uno comitatus Achate.* Juvenalis: *Penelope melius levius torquetis Arachne.* In is desinentia longam
XII 64 cujuscunque generis sint Latina, ablata s, addita tis, faciunt genitivum, ut haec lis litis, hic et haec dis ditis, unde hi et hae dites et haec ditia, cujus nominativum singularem in usu non inveni. Debet tamen secundum analogiam hoc dite esse. Nam in is finiri neutrum non potest. Lucanus in IX. *Non illic Libycae posuerunt ditia gentes templa.* Hic et haec Samnis hujus Samnitis. Sic

---

praedicetur de Cimone. Hoc vitium occupavit etiam Velleji libros editos, quorum auctores ex Edd. Ven. 1. 2. rectiora edoceri potuissent, quae ita habent: *M. Vellius consul liber primus.* Codices discrepant. MSS. Erl. 1. 2. Lips. 2. *M. uellius pater cujus liber primus — simon.* Dresd. *m. vel illius cujus pater liber primus.* Lips. 1. *m. vellius in libro primo pater cujus.* Cod. Heidelb. *M. velius pater cujus liber* 1. Super 1. scriptum legitur: *i. numerus.*

Idem in III. Addidi e Codd. meis *Callippide*, ita tamen, ut scripturam mutarem. Plurimi enim libri scripti pro *Callippide* exhibent *Calliphide* vel etiam *Calliphade* vel *Chalippide.* MS. Heidelb. *Chalipade.* *In XI.* Vulgo legitur *Menecrate.* At vero Codices mei omnes *Herocleade*, vel *Herocleate*, vel *Herodiade*, vel *Herode a te.* Equidem scripsi *Heracleote.* Legitur quidem *Menecrates* XI. 7. at non ablativus. *In XII.* Edd. Bas. Colon. Ald. *Menesicle.* Mei Codices *Mneside*, quod in textum recepi, vel *Meneside.* *Euripide* ex MS. Erl. 1. aliisque substitui in locum vulgati *Neuripede.* MS. Heidelb. *neuripide.* Ubi haec nomina in Plinio legantur, ex Indice Edit. Harduini vel Franzii cognosci facile potest. Non tamen leguntur in hoc *Callippide, Herodiade.* Desideratur vero etiam *Neuripede.*

quomodo Virg. Vulgo additur *in primo Aen.* Equidem, cum a MSS. haec absint, et locus vix quemquam latere possit, omisi. Priscianus centies sic locos scriptorum excitat. Est versus 312. *Juvenalis.* Sat. II. vs. 56.

§. 64. *Lucanus in IX.* vs. 515. *Lucanus in II.* vs. 137. *Lucretius in II.* vs. 587. 88.

§. 65. *Praeterea Caesar declinat pubis puberis; quidam, ut Pro-*

Caesar de Analogia. Lucanus in secundo: *Romanaque Samnis ultra Caudinas speravit vulnera furcas.* Hujus neutrum Naevius *Samnite* protulit in Carmine belli Punici, ad cujus similitudinem debet etiam hoc dite dici. Excipitur hic glis gliris, quod pro t r habuit, et haec vis hujus vis, cujus plurale similiter vis tam Lucretius quam Salustius protulerunt. Lucretius in II. *Sed quam multarum rerum vis possidet in se, atque potestates.* Sallustius in III. Historiarum: *Male jam assuetum ad omnes vis controversiarum.* Illa quoque tam in is quam in er finita nomina regulam servant in er terminatorum, id est accepta is faciunt genitivum, ut hic pulvis et pulver pulveris, hic cucumis et cucumer cucumeris, hic cinis et ciner cineris, hic vomis et vomer vomeris. Praeterea Caesar declinat pubis puberis: quidam, ut Probus, pubes puberis, quidam puber puberis. Ex hoc tamen compositum invenitur similem habens nominativum genitivo, 65

---

bus, pubes puberis, quidam puber puberis. Haec est lectio Codicum optimorum, Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. et, si recte notavi, Zwicc. a qua discedunt Edd. Ven. 1. 2. MSS. Dresd. Lips. 3. MS. Dresd. ita: — *declinat pub pubis, quidam puber puberis.* Prius, cum scripturae compendio dubium sit, quomodo legi debeat, equidem pro *pubis* accipio. *Puber* enim, cum proxime sequens hanc formam exhibeat, significare nullo modo potest. Pro *pubes* autem propterea accipi non posse puto, quia haec erat vulgata forma. Cf. Putsch. Char. I. p. 113. Nihil igitur relinquitur, nisi quod *pubis* librarium scribere voluisse existimandum sit. MS. Lips. 3. — *declinat puber puberis, quidam, ut Probus, pubes puberis, quidam puber puberis.* Edd. Ven. — *puber puberis, quidam, ut Probus, pubes puberis.* Equidem lectionem vulgatam, quam Edd. Ald. Bas. Putsch. exhibent, retinendam esse censui. Primum enim confirmatur Codicum praestantissimorum auctoritate. Deinde, qui ab ea discedunt, inter semet ipsi discrepant. Denique *pubis* inter illa nomina ponitur, quae *is* terminata, *eris* accipiunt genitivo. Postremum Caesar in eo, quod secundum regulam tam in *is* quam in *er* terminatorum hoc etiam adjectivum declinavit, a caeteris dissensit, et hoc ipsum est, quod Priscianus notare voluit. Nam *praeterea* significat nihil aliud nisi, praeter illa, quae adhuc commemorata sunt, *pubis* etiam notandum est, qua forma Caesar usus esse reperitur. Nec illud silentio praetermittendum est, quod Ger. Io. Vossius in A. Gr. III. Cap. 56. p. 151. hunc Prisciani locum ita excitat, ut virum doctissimum nostram lectionem ante oculos habuisse neque de ejus veritate dubitasse appareat.

hic impubis hujus impubis. Virgilius in V. *Impubis Iuli.* Ab eo neutrum impube Horatius protulit in Epodo: *Ut haec trementi questus ore constitit puer impube corpus.* Cicero tamen in IIII. Invectivarum: *Filiumque ejus impuberem legatum a patre missum.* Idem in II. de Oratore: *Quod nisi puberem te jam, inquit, haberet.* Alia vero omnia ejusdem terminationis, correptae, similem habent genitivum nominativo. Hic collis hujus collis, haec puppis hujus puppis, hic et haec suavis hujus suavis, hic et haec civis hujus civis. Excipiuntur hic lapis hujus lapidis, vetustissimi tamen etiam hujus lapis protulerunt. Ennius in XV. Annalium: *Occumbunt multi letum ferroque lapique.* Hic sanguis hujus sanguinis, quod veteres hoc sanguen dixerunt. Cicero in Hortensio: *Ut ait Ennius: Refugiat timido sanguen atque exalbescat metu.* Idem in II. Annalium: *O genitor, o sanguen diis oriundum.* Haec pollis pollinis. Sic Charisius. Probus autem et Caesar, hoc pollen pollinis declinaverunt. Haec cuspis cuspidis, semis semissis. Apulejus in Epitoma: *Sed tum sestertius dipondium semissem, quinarius quinquessis, denarius decussis valebat.* Haec cassis cassidis, quod etiam haec cassida cassidae declinatur. Virgilius in XI. *Aurea vati cassida.* A sanguine compositum non servat declinationem simplicis, hic et haec exanguis hujus exanguis. A cuspide servat, tricuspis tricuspidis. Ovidius in primo Metamorphos.: *Positoque tricuspide telo, mulcet aquas.* Invenitur etiam

66

67

Virg. in V. vs. 546. *Horatius in Ep.* V, 13. Pessime Putschius cum Edd. Ald. Colon. Bas. conjunctionem *ut,* a qua incipit versus Horatii, ita sejunxit ab iis, ad quae pertinet, ut comparandi vim habere, vel exemplum in medium allatum indicare putetur. Nec Codices ita, qui, quae fuit librariorum inscientia et temeritas, multa tamen perverse. Edd. Ven. 1. 2. *hoc* pro *haec, constat* pro *constitit.* Male etiam Putschius *quaestus* pro *questus.* Bentlejus posuit *tremente.* Equidem in membranis meis omnibus per i scriptum inveni.

Cicero in IV. Invectiv. Est Cap. 6.

Idem in II. de Oratore. Cap. 55. *haberet.* Vulgo *haberem,* quod et Putschius reliquit. Si Codices vel Editiones veteres in consilium adhibuisset, facile cognoscere poteret, *haberet* legi debere. Ita MSS. e nostris Zwicc. 1. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Ita et libri Ciceronis editi.

Cicero in Hortensia. Pro *timidos* scripsi *timido.* Hanc enim lectionem exhibent MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Hanc etiam lectionem recepit Ern.

haec capis capidis, cujus diminutivum est capidula. Aruntius: *Capis vasis genus est pontificalis; diminutive capidula.* Lucilius in IX. *Hinc ancilia, ab hoc apices capidasque repertas.* Et vide, quod magis Graecum esse ostenditur, cum in as protulit accusativum pluralem. Hic et haec potis et hoc pote nomina esse, ostendit comparatio potior et potissimus. Sine verbis autem raro invenies ea, vel cum obliquo casu prolata. Persius: *Qui pote vis dicam? Nugaris, cum tibi, calve, pinguis aqualiculus protento sesquipede extet.* Virgilius in III. *Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo.* Idem in XI. *At non Euandrum potis est vis ulla tenere.* In is desi- XIII
nentia, si Graeca in genitivo Graeco consonantem habuerint ante os, o in i mutant, et faciunt genitivum Latinum, ut *Σιμόεις Σιμόεντος*, Simois Simoentis, *Ἄδωνις Ἀδώνιδος*, Adonis Adonidis, *Εὔπολις Εὐπόλιδος*, Eupolis Eupolidis, *Δῶρις Δώριδος*, Doris Doridis, *Θέτις Θέτιδος*, Thetis Thetidis. Quamvis ablativum ejus ab hac Theti Plautus protulit in Epidico: *Tum ille prognatus Theti sine perdat, alia apportabunt ei Nerei filiae.* *Εὔχαρις Εὐχάριδος*, Eucharis Eucharidis, *Ἐπίχαρις Ἐπιχάριδος*, Epicharis Epicharidis. Sin in os puram Graecus 68
desinat genitivus, similis erit nominativo apud Latinos, ut *Ἄδωνις Ἀδώνιος*, hic Adonis hujus Adonis, *Νεάπολις Νεαπόλιος*, haec Neapolis hujus Neapolis. Sin apud Graecos in *εις* diphthongum terminant, ut habent in genitivo Latino, *Σιμόεις Σιμόεντος*, hic Simois Simoen-

---

Apulejus in Epitoma. MS. Dresd. *in Epidico.* Ed. Ven. 1. *epitomia.* Pro vulgato *quinquessis* plerique Codd. *quinquensis* exhibent; nos tamen auctoritate Cod. Heidelb. vulgatam retinuimus.

§. 67. *Ovidius in I. Metam.* vs. 330. *Virg. in XI.* vs. 775.

Aruntius. Vulgo *Haruntius.* Ita et Codicum nonnulli. Plerique tamen, iique optimi receptam scripturam tuentur. *vasis genus est pontificalis.* Hanc lectionem sanam esse, ultro intelligitur. Et ita hunc locum exhibent Codd. Pessime vulgo *pontificale* scriptum legitur. Codices etiam *diminutive* pro vulgato *diminutivum* scribi jubent. Sunt tamen qui hanc et sequentem vocem omiserunt, ut Erl. 1. Lips. 2.

Persius. Sat. I. vs. 56. *Virg. in III.* vs. 671. *Idem in XI.* vs. 148.

Plautus in Epidico. Act. I. Sc. 1. vs. 33. *apportabunt* secundum Codd. Luth. Heidelb. aliosque edidi pro *apportabant.*

§. 68. *terminant.* Vulgo subjunctivus legitur *terminent.* Sexcentis locis demonstrari potest, Priscianum *sin* cum indica-

tis. In os masculina, ablata s, addita ris, faciunt genitivum, ut hic lepos leporis, ros roris, mos moris, flos floris. Excipitur nepos nepotis, quod quidam commune putaverunt, quamvis foemininum sit neptis. Alia vero omnia in tis desinunt, ut hic et haec sacerdos hujus sacerdotis, hic et haec compos compotis. Livius in XXVI. *Profecto satis compotem mentis esse.* O tamen in hoc solo corripitur. Seneca in Phaedra: *Hippolyte, me nunc compotem voti facias.* In eadem: *Compote voto.* Et est Adonium. Ejus contrarium impos impotis. Attius in primo Didascalicon: *Falsidica, audax gnati mater pessimi, odibilis, natura impos, excors, et fera.*
69 Similiter haec cos cotis, dos dotis. Excipitur hic et haec bos bovis, quod ideo assumit genitivo u loco digamma, quia Aeoles quoque solent inter duas vocales ejusdem dictionis digamma ponere, quos in multis nos sequimur, ὄϝις ovis, Δάϝος Davus, ὠϝὸν ovum. Unde in nominativo quoque hujus nominis illos sequimur. Nam et Aeoles et Dores βῶς dicunt pro βοῦς, ου diphthongum in ω longam vertentes. Et quod hoc verum est, ostendunt epigrammata vetustissima, quae literis antiquissimis scripta in multis tripodibus legi, et maxime in tripode Apollinis, qui est Constantinopoli, in loco quem

---

tivo conjunxisse. Quare cum indicativus *habent* sequatur, auctoritate Codd. Luth. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. recepi indicativum. Deinde post *in os* omisi *productam*, quod libri impressi tenent, scripti ignorant. Eadem ratione ante *addita* omisi *et*.

Livius in XXVI. MSS. Dresd. Lips. 1. *Levius.* Erl. 2. *Lucicilius.* At vero retinendum est nomen Historici, cum verba sequentia ex Cap. XV. Lib. XXVI. desumta esse pateat. In libris editis invenies librum XXV, cui falso verum substitui. Locum ipsum ex MSS. et Edd. emendavi. Putsch. *menti inesse.* Erl. 2. *mentis.* Edd. Ven. 1. 2. *esse.* Ergo scripsi, ut scribendum erat, *compotem mentis esse.*

Seneca in Phaedra. v. Ind. *In eadem.* v. Ind.

et est Adonium. Addunt libri editi *metrum;* scripti inter se ita discrepant, ut facile intelligas, ab interpolatrice manu adjecta esse, quaecunque adjecta leguntur. Zwicc. 1. *genus metri.* Luth. supra scriptum *metrum* ostendit. Erl. 1. in margine: *genus metri, quod constat ex dact. et spond.* MSS. Zwicc. 2. Lips. 1. Erl. 2. Dresd. Heidelb. nihil ad explicandum subiungunt.

Attius in primo Didascalicon. Nomen auctoris hujus in Codicibus MSSis vel *accius* vel *actius* scriptum reperitur. *Didascalicon* pro vulgato *Didascalion* edidi auctoritate MSS. Hei-

Ξερόλοφον vocant. Sunt autem scripta sic: *Δημοφόϝων* pro *Δημοφόων*, *Λαϝοκόϝων* pro *Λαοκόων*. Haec glos gloris, hoc os correptum ossis. Ovidius in V. Metamorphoseon: *Qui postquam cecidit ferrumque ex osse revulsum est.* Quidam tamen veterum et hoc ossum, et hoc ossu proferebant, unde Pacuvius in Chrise: *Ossum inhumatum aestuosam auram.* Attius vero in Annalibus: *Fraxinus fissa ferox infensa infinditur ossis.* Cato tamen os protulit in IIII. Originum: *Si quis membrum rupit aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur.* Os productum oris. Hic et haec custos custodis ideo in dis desinit, quia venit a verbo custodio. Graeca ejus- 70
dem terminationis Graecum genitivum sequuntur, os finali in is conversa, ut *Χρυσέρως Χρυσέρωτος*, Chryseros Chryserotis, *ἥρως ἥρωος*, heros herois, *Μίνως Μίνωος*, Minos Minois. Salustius tamen protulit Minonis genitivum in V. Historiarum: *Daedalum ex Sicilia profectum, quo Minonis fugerat iram atque opes.* Nec tamen hoc sine exemplo apud Graecos quoque invento. Syracusii enim heron pro heros dicunt. Sic Sophron Parenon pro Parenos dixit. Similiter ergo et *Μίνων* pro *Μίνως*. Romani autem plerumque solent in on terminantia etiam abjectione n proferre per o, ut leo, draco. Sic ergo

---

delb. Dresd. Lips. 2. MS. Lips. 1. *in I. didascalico.* Cf. quae de hac operis grammatici inscriptione docte disputat, Vir amicissimus, Frid. Osannus Anal. Crit. p. 62. Pro *falsidica* MSS. Erl. 2. Zwicc. 1. *falsifica.* MS. Lips. 1. *falsidicam.*

§. 69. *Δημοφόϝων — Λαϝοκόϝων.* Putschius hoc loco notandus. Is enim, cum supra Lib. I. Cap. IV. §. 22. haec nomina sic scripsisset, *Δημοφάϝων*, *Λαϝοκόϝων*, eadem nunc ita scripta edidit, *Δημοφόϝων*, *Λαοκόϝων*. Nos Codd. Luth. Zwicc. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. secuti veram restituimus lectionem. Heidelb. *Λαϝοκαϝον pro Λαοκαον.*

Ovidius in V. Metam. vs. 39.

Attius in Annal. Pro *fissa* vulgo legitur *fixa*, minus, puto, commode, quam ut e Codd. edidi. *infinditur.* Pessime et invitis Codicibus *infunditur.*

Parenon pro Parenos. Ita Cod. Luth. Rectius tamen, puto, Cod. Zwicc. 1. *ιερων pro ιερως.* Cod. Heidelb. *παρϝηρωσιν non herosi.* Lips. 1. *παρηρωσινην herosi.* Erl. 2. *παρηρωσινων ηρωσι.* Lips. 2. *Sic Sophron pro sophros παρηνον pro parenos σηνων pro sinos dixit.* Erl. 1. *Sic sophron παρερωσον νηνωνηρωσον dixit.* Hi ergo Codices ita legi jubent: *Sic Sophron Parenon pro Parenos, Sinon pro Sinos dixit.*

Mino, gobio quoque dicunt pro *γώβιος*, abjecta s. Et, quod mirabilius est, Athos Athonis protulit Cicero in IV. de repub.: *Quid ergo illa sibi vult absurda exceptio, nisi si quis Athonem pro monumento vult funditus efferri? Quis enim est Athos, aut Olympus tantus?* Sed hoc in us correptam dehinc attice prolatum est, quomodo *'Av-*
XIV *δρόγεως* pro *'Ανδρόγεος*. In us correptam desinentia ma-
71 sculina Latina, s vel t vel x antecedentibus, si sint rerum incorporalium vocabula, quartae sunt declinationis, ut hic nisus hujus nisus, hic casus hujus casus, hic situs hujus situs, hic positus hujus positus, hic partus hujus partus; quamvis haec partio hujus partionis antiqui protulisse inveniuntur. Plautus in Truculento: *Horresco miseram mentionem, quotiens fit, partionis.* Hic sexus hujus sexus, hic luxus hujus luxus. Similiter quartae sunt, quae rerum vocabulis homonyma inveniuntur, ut hic magistratus, *ἡ ἀρχὴ καὶ ὁ ἄρχων*, hujus magistratus, hic saltus, *ἡ πήδησις καὶ ἡ νάπη*, hujus saltus, hic versus, *ἡ στροφὴ καὶ ὁ στίχος*, hujus versus, hic exercitus, *ἡ γυμνα-*
72 *σία καὶ ὁ στρατὸς*, hujus exercitus. Fastus, quando a fastidio est verbo, quartae est: quando vero pro Annali accipitur, a fastis et nefastis diebus sic dictum, frequen-

---

Cic. in IV. de Rep. Pro vulgato III. recepi e Cod. Heidelb. numerorum diligentissimo IV. Deinde scripsi *nisi si quis* pro *nisi quis* auctoritate MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. *efferri* recepi e Codd. Dresd. Erl. 1. vulgo, *efficere.*

§. 71. *nisus — nisus.* Vulgo, *visus — visus.* Nos Codd. secuti sumus. *Plaut. in Truc.* Act. I. Sc. 2. vs. 91. *horresco miseram mentionem. miseram* pro *misera* scribi jubent MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Zwicc. 1. Erl. 1. 2. Dresd.

§. 72. *Lucanus in decimo.* vs. 178. *Horat. in III. Carm.* Od. 17. vs. 4. *Varro in Ephemeride. quia* e Cod. Zwicc. 1. recepi pro vulg. *qui.* Thomas Reinesius, cujus notas ad marginem Ed. Putsch. adscriptas Müllerus, Vir clarissimus idemque humanissimus, cum illud exemplum in biblioth. scholae Cizensis asservetur, sua ipse manu descripsit, mihique permisit, legendum censuit *correxit* pro *porrexit.* Equidem temere (sit venia verbo!) sollicitari vulgatam censeo, cum omnium, quotquot manibus versavi, Codicum auctoritate confirmetur, bonumque, si rem diligenter expendas, sensum fundat. Porrigere enim significat hoc quidem loco extendere, et *fastos porrexit* idem est, quod anni fines promovit, dies addidit, annum longiorem fecit. *Fasti* enim *annum* significat. Negari quidem non potest, Suetonium in vita Julii Cap. 40. hac formula usum esse: *fastos correxit;* at vero Ma-

tius secundae est. Invenitur tamen et quartae. Lucanus in decimo: *Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.* Quod tamen errore Lucani prolatum dicit Servius in commentario tertii libri Virgiliani, cum antiquiores quoque similiter idem protulisse inveniantur. Ovidius *Fastorum* inscripsit libros. Nam apud Horatium duplicem invenio scripturam et fastos et fastus in tertio Carminum: *Per memores genus omne fastos*, et *fastus* in aliis codicibus. Varro in Ephemeride: *Postea honoris virtutum causa Julii Caesaris, quia fastus porrexit, mensis Julius appellatus est.* Senatus quoque ideo quartae est, quod a vocabulo natus componitur. Et si ante tus 75
alia sit sub eadem syllaba consonans, etiam corporalia quartae sunt declinationis, nisi sint propria vel mobilia, ut hic fluctus hujus fluctus, hic cestus hujus cestus, hic rictus hujus rictus, hic victus hujus victus. Excipitur hic lectus, ἡ κλίνη, hujus lecti, quod tamen etiam hujus lectus antiquissimi protulerunt. Cornificius in primo de Etoemis Deorum: *Ipsis vero ad Cereris memoriae novandae gratiam lectus sternuntur.* Plaut. in Amphitrione: *Quam lectus ubi cubuisti concaluit locus.* Mustus quoque musti excipit Probus, quod tamen mobile videtur,

---

crobius Saturnal. Lib. I. Cap. 16. s. finem haec disserit: *ita hoc quoque ex eadem institutione mutuatus est, ut ad solis cursum finiendi anni tempus extenderet.* Extendere anni tempus idem valet, quod fastos porrigere. MS. Heidelb. nota interlineari haec tradit: i. e. *libros extendit.*

§. 73. *sub eadem syllaba.* Ita MSS. pro *in eadem.*

hic cestus hujus cestus. Libri editi *quaestus* ponunt invitis Codicibus, inter quos Zwicc. 1., ut certam lectionem esse patcat, explicandi gratia addit: *massa plumbea.*

Cornificius de Etoemis Deorum. Editiones Ald. Bas. Colon. Putsch. *de coenis*, quantum ad sensum, recte procul dubio. At est interpretatio, quae in textu quidem ferri nec debet nec potest. Edd. Ven. 1. 2. *de Etoemis.* Erl. 2. ad explicandam vocem rariorem in sermone Latino supra scriptum habet: *nuptiis.* Lips. 2. *eodemis.* Dresd. *othomeis.* Erl. 1. omittit. Lips. 1. rec. *etoemis.* Luth. *etheomis.* MS. Heidelb. *etoemis* ita explicans: *i. de origine et proprietate Deorum.* Quae omnia demonstrant, certam esse nostram emendationem.

memoriae novandae. Vulgo *renovandae*, e correctione, puto, nam Codices mei ad unum omnes in ea, quam recepi, lectione consentiunt.

Plaut. in Amph. Act. I. Sc. 3. vs. 15.

cum veteres et foeminino et neutro genere inveniuntur hoc protulisse, pro novus nova novum. Martialis in primo: *Quid te, Tucca, juvat vetulo miscere Falerno in Vaticanis condita musta cadis?* Ovidius in XIIII. Metamorphoseon: *Tercentum messes, tercentum musta videre.* Cato Censorius de agna musta pascenda *musta agna* pro nova dixit. Inveniuntur tamen antiquissimi multa ex supradictis in genitivo etiam i terminasse. Terentius in Andria: *Nihil ornati, nihil tumulti,* pro ornatus et tumultus. Idem in Adelphis fructi pro fructus: *Nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab iis fero.* Quaesti pro quaestus. Idem in Hecyra: *Nunquam animum quaesti gratia ad malas adducam partes.* Adventi pro adventus. Idem in Phormione: *Patrem ut extimescam, ubi ejus adventi venit in mentem.* Senati pro senatus. Salust. in Catilinario: *Senati decretum fit, sicut ille censuerat.* Versi quoque pro versus. Laberius in lacu Averno: *Versorum non numerum numero studuimus.* Valerius in Phormione: *Quid hic cum tragicis versis et syrma facis?* Laevius in Polimetris: *Omnes sunt denis syllabis versi.* Hic victus hujus victi. Plautus in Captivis: *Proin tui tu cotidiani victi ventrem ad me afferas.* Idem in Aulularia hujus gemiti dixit: *Tantum gemiti et malae moestitiae mihi hic dies obtulit, famem et paupe-*
74 *riem.* Alia omnia ejusdem generis Latina in us desinentia secundae sunt declinationis, ut hic Virgilius hujus Virgilii, somnus somni, lacertus lacerti, numerus nu-

---

Martialis in primo. Est epigr. XIX. ab in. Edd. Bas. Colon. Ald. invitis Codicibus *quod.* Putschius correxit.

Ovidius in XIV. Metam. vs. 146.

musta agna pro nova. Duas priores voces omittit MS. Lips. 1.

Terentius in Andria. Est Act. II. Sc. 2. vs. 28.

Idem in Adelphis. Act. V. Sc. 4. vs. 16. Plurimi meorum MSS. hunc versum ita structum exhibent: *Pro labore ab iis fero hoc fructi. Iis* scripsi pro *his.*

Idem in Hecyra. Est Act. V. Sc. 3. vs. 38. *Idem in Phorm.* Est Act. I. Sc. 3. vs. 2. Cf. Geo. Io. Voss. de Anal. Lib. II. Cap. 17.

Valerius in Phorm. Lips. 1., omisso *et, in syrma.*

Laevius in Polimetris. MS. Dresd. *Pellimetris.*

Plautus in Captivis. Act. IV. Sc. 2. vs. 73. *Proin tui tu cotidiani.* Ita Codd. Vulgo *tu tui quotidiani. Idem in Aulularia.* Act. IV. Sc. 9. vs. 11.

meri, sanctus sancti, ventus venti, cibus cibi: quamvis et hujus cibus vetustissimi protulisse inveniuntur. Plautus in Captivis: *Tantus ventri commeatus meo adest in portu cibus.* Excipitur arcus, quod differentiae causa quidam tam secundae quam quartae protulerunt. De caelesti enim, id est de Iride, Cicero dicens in III. de deorum natura in i finivit genitivum: *Cur autem arci species non in Deorum numero reponatur.* Invenitur tamen apud veteres etiam foeminini generis, secundum quod bene quartae est declinationis. Ennius in XV. Annalium: *Arcus, ubi aspiciunt, mortalibus quae perhibentur.* Acus etiam quartae est, quod tam masculinum, quam foemininum invenitur. Lucanus in decimo: *Quod Nilotis acus compressum pectine serum.* Juvenalis in primo: *Ille supercilium madida fuligine tinctum obliquat producit acu.* Idem in secundo: *Emerita quae cessat acu.* Diminutio tamen a masculino fit aculeus teste Probo, quomodo ab equo equuleus. Et lacus, et hic specus, quod tam masculinum quam neutrum invenitur. Horatius Carminum lib. III. *Quo me, Bacche, rapis tui plenum? quae nemora, et quos agor in specus?* Sed hoc specus melius dici in singulari numero, in plurali hi specus, Servio placet. Foeminino tamen hoc nomen quoque invenitur. Agellius Noctium Atticarum VI. *Solle medio inquit et arido et flagranti, specum quandam nactus remotam, latebrosamque penetro et recondo.* Ennius in XVI. Annali: *Tum cava sub monte late specus* 75

---

§. 71. *vetustissimi.* Edd. Codicibus repugnantibus *antiqui.* *Plaut. in Capt.* Act. IV. Sc. 2. vs. 46.

Cic. de Nat. Deor. Lib. III. Cap. 20.

quae perhibentur. Pro *perhibentur* unus vel alter Cod. *perhibetur.* MS. Dresd. *aque perhibentibus.*

§. 75. Loci, qui hic tractantur, supra jam tractati sunt. *Et lacus et specus.* Vulgo invitis Codicibus meis, *Et lacus quartae.* Equidem omisi, cum Prisc. saepe subintelligendum relinquat, quod in antecedentibus commemoratum est.

Horat. Carm. Lib. III. Est carmen XXV. ab in.

et quos agor. Vulgo *aut.* Equidem in membranis Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. reperi *et.* Ergo recepi. Notat etiam Bentlejus ad Hor. l. l. haec: „Codices tamen Prisciani, quos versari quatuor MSos, *et quos* praeferebant."

Foemininо tamen. Ita Codd. Vulgo, *foemininum hoc nomen quoque.* Ita Codd. Vulgo *hoc quoque nomen.*

Agellius Noct. Att. VI. v. Ind.

Ennius in XVI. Tres meorum Codd. XVII.

intus patebat. Pacuvius in Niptris: *Advenio in scrupulosam specum.* Dicebant tamen et hoc specum et haec
76 speca. Cato: *Speca posita, quo aquâ devia abiret.* Sed Livius etiam singulari numero hoc ponit masculinum in primo ab Urbe condita: *Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua.* Similiter Ovidius in III. Metam. *Est specus in medio virgis ac vimine densus.* Idem in VII. *Specus est tenebroso caecus hiatu.* Idem in XI. *Et specus in medio natura factus an arte, ambiguum.* Penus quoque et masculinum et foemininum et neutrum invenitur, teste Donato et Capro. Plautus in Pseudolo: *Nisi mihi annuus penus ab amatoribus conger-atur.* Lucilius: *Magna penus parvo spatio consumpta peribit.* Hor. in I. Epistolarum: *Annonae prosit, portet frumenta penusque.* Cujus neutri genitivus est penoris, ut pecus pecoris. Caesar Strabo contra Sulpicium Tribunum plebis: *Deinde propinquos nostros Messalas domo deflagrata penore volebamus privare.* Hoc penum etiam Afranius protulit: *In penum herile.* Etiam hic ficus, vitium corporis, quartae est. Martialis in primo Epigrammaton: *Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba, et dici ficos, Caeciliane, jubes. Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci: dicemus ficus, Caeciliane, tuos.* Ex quo ostendit, et vitium et fructum posse quartae esse declina-

---

Cato: *Speca posita.* Vulgo, *apposita.* Male. Codices nostram tuentur lectionem. Lips. 2. *prosit.*

§. 76. *Sed Livius in primo ab Urbe condita.* Cap. 21. *Ovidius in III. Metam.* Est vs. 29. *Idem in VII.* Est vs. 409. *Idem in XI.* Est vs. 236.

Martialis in primo Epigrammaton. Est LXVI. Pro *dicemus* MS. Erl. 2. *dicamus.*

genera autem differre. Vulgo *genere.* Recepi Lutherii Cod. lectionem.

§. 77. *quod quasi rei est vocabulum a volo verbo.* Addunt libri impressi *derivatum,* quod, cum a MSS. et Edd. Ven. absit, omittendum esse duxi. Mox ante *occulo* e Codd. inserui *et.* Edd. Ven. omittunt *ab occulo occultus.* Lips. 1. addit post *ultus, ultio.*

cum Aristoteles species incorporales circa corpora vult esse. Pro *circa* plurimi Codd. *erga,* quod defendi non posse videtur. Retinui ergo lectionem vulgatam, quam et Edd. Ven. commendant. *Vult* scripsi pro *velit* non solum Edd. Ven. sed Codicum etiam manuscriptorum auctoritate. Sequens locus ab constructione paulo difficilior est, quam ob causam et li-

tionis, genera autem differre. Vultus praeterea quartae XV
est, quod quasi rei est vocabulum a volo verbo, quomo- 77
do a colo cultus, et ab occulo occultus, ab ulciscor ultus. Nec mirum, cum Aristoteles species incorporales circa corpora vult esse, vultum quoque, quomodo colores et figuras, cum sint incorporales, (voluntatis enim significat affectum) in facie intelligi, quomodo metus, gaudium, laetitia, tristitia, quae omnia rerum incorporalium sunt vocabula. Jure igitur quartae est. Similiter artus. Hoc enim quoque, cum neutro etiam genere hoc artu veteres proferebant, bene secundum quartam declinatur. Omnia enim masculina, quae neutra quoque in u desinentia inveniuntur, ejusdem sunt declinationis, ut hic tonitrus hoc tonitru, hic cornus hoc cornu. Ergo similiter hic artus hoc artu. Plaut. in Menaechmis: *Ita mihi imperas, ut ego hujus membra atque ossa atque artua comminuam.* Illud etiam possumus dicere, quod a verbo arto artas rei vocabulum fit artatus et per syncopam artus, quomodo a poto potas potatus, potus. Ideoque nomen etiam, quod significat ἄρθρον, id est artus, quia a vocabulo rei est, similem et eandem servavit declinationem, quomodo exercitus, saltus, magistratus. Et forsitan ideo etiam acus ab 78
acutu, portus a portatu, lacus a laqueatu, sinus a si-

---

bri scripti multa turbarunt, aliis insertis, aliis omissis vel mutatis, sed cum, si modo diligentius inquisiveris, sententiam perfectam demonstrari lectione vulgata, negare non possis, equidem tuendam, nec sollicitandam esse censui.

Omnia enim masculina, quae rel. Vulgo, — *masculina desinentia in us, quae.* Equidem omisi *desinentia in us*, cum absit a MSS. et Edd. Ven. 1. 2 nec omissum desideretur.

Plaut. in Men. Est Act. V. Sc. 2. vs. 102.

Illud etiam possumus dicere. Perbene Putschius in hoc quoque secutus est Editores Prisciani priores, quod post haec verba addit: *quod artus ideo quartae est declinationis.* Nam propter sequentia ferri nullo modo possunt. Absunt etiam ab MSS. et Edd. Ven. Mox pro *quia a vocabulo rei est, similem et eandem servavit declinationem*, libri editi hunc textum referunt: *quia vocabulo rei est simile, etiam eandem* rel. Sed verba *quia — simile* sensu carent, et invitis Codicibus textus ita, ut vulgo, constitutus est. Edd. Ven. recte *quia a*, perperam vero *simile*. Equidem restitui Prisciano, quam praestantissimi Codices exhibent lectionem. Pro *acutu* Edd. Ven. *acuto*. Codices vulgatam tuentur lectionem.

nuatu, currus a cursu, gradus a gressu nata, primitivorum servant declinationem, quomodo univoca fixa, a portu compositum tam masculini quam neutri generis invenitur et secundae declinationis, hic angiportus et hoc angiportum, hujus angiporti. Sic Plinius Secundus in primo artis grammaticae. Terentius quoque in Adelphis: *Id quidem angiportum non est pervium.* Idem in Phormione: *Sed hinc concedam in angiportum hunc proximum.* Gradus quoque est quartae, ut ostendimus, et sinus; dicitur tamen et hoc sinum, i producto, et significat vas. Varro de vita Populi Romani lib. I. *Ubi erat vinum in mensa positum, aut galeola, aut sinum.* Virgilius in Bucolicis: *Sinum lactis et haec te liba, Priape, quot annis.* Sed hoc etiam masculino quidam protulerunt. Plautus in Curculione: *Hic cum vino sinus fertur.* Forte igitur etiam differentiae causa hoc secundae, illud quartae declinaverunt. Currus similiter excipitur, quod quartae est declinationis, ut ante docuimus, et possumus veri similem de his omnibus rationem, ut superius demonstravimus, reddentes dicere, quod ea, quae a participiis derivantur in us desinentia, si sint fixa, quartae sunt,

---

§. 78. *Univoca fixa.* Cod. Dresd. omittit *fixa.* *Univoca* in Cod. Erl. 1. per *aequivoca* sive *quae sub una voce diversa significant*, explicantur. Idem Codex in margine haec subjungit: *Quae re vera sunt univoca fixa, quae omnia servant declinationem, si sunt participialia in us vel participialibus facta, quartam.* Ioannes de Aingre in expositione haec tradit: „Quomodo aequivoca fixa servant declinationem eorum cum „quibus sunt aequivoca. Omonyma dicit fixa, ut saltus et „saltus, versus et versus, et similia. Haec enim ita fixa et „mutata sunt, ut nec syncopata nec mutatione literae distor„ta sint ab illis cum quibus sunt omonyma, vel cum fixa di„cit, accipit tantum magistratus, cursus et similia, quae per „diversa genera non moventur, ut visus, sus, sui.“

hoc angiportum, hujus angiporti. Putschius Edd. Ven. Bas. Colon. Ald. secutus edidit *his angiportis.* Damnant hanc lectionem MSS. Dresd. Zwicc. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Luth. Nec solet Prisc. dativum ad probandam declinationis formam adhibere.

Terentius in Adelphis. Act. IV. Sc. 2. vs. 39. *Idem in Phorm.* Act. V. Sc. 6. vs. 52. Edd. Ven. *concedam transire vos.* Dresd. *vos venite.* Luth. *vos transire* supra scriptum habet.

hoc sinum i producto. Vulgo, *i producta in neutro genere.* Hanc vero lectionem et Codices mei et Edd. Ven. damnant. Nolui ergo erroris reos sequi.

portatus portus, artatus artus, arcuatus arcus, laqueatus lacus, acutus acus, sinuatus sinus. A cursu quoque vel curro currus, a gressu vel gradior gradus. Adeo autem 79
cognatio est currus ad cursum, quod diminutivum pro cursu accipitur. Cicero pro Marcello: *Nec fas esse ducebam versari me in nostro vetere curriculo.* Quomodo igitur, si essent participiis similia, fixa, quartae proferrentur declinationis, sicut omnia quae similia sunt participiis non mobilia, sic etiam per syncopam prolata vel mutatione consonantium ante us positarum, eandem tamen declinationem servaverunt. Nec mirum in nominibus hoc fieri, cum etiam ipsa participia inveniuntur est quando per syncopam prolata, ut potus pro potatus, cretus pro creatus, dictus pro dictatus, saucius pro sauciatus, truncus pro truncatus, lassus pro lassatus: tonitrus quoque et cornus, quando sunt masculina, notantur, quia quartae sunt. Nam plerumque neutra inveniuntur, hoc tonitru, hoc cornu, de quibus supra quoque docuimus. Quomodo autem quaedam quartae declinationis nomina etiam secundae regula protulisse superius vetustissimos ostendimus, sic ex contrario, quae

---

Virg. in Buc. Ecl. VII. vs. 33. *Plautus in Curculione.* Act. I. Sc. 1. vs. 82.

et possumus verisimilem. Vulgo *similem*, quod falsum esse patet. Receptam lectionem debeo Codd. Zwicc. Erl. 1. 2. Luth.-Edd. Ven. 1. 2.

§. 79. *ad cursum.* Lips. 2. *ad cursus. Quod diminutivum.* Addunt libri editi: *currus curriculus.* Variant Codices in hoc loco referendo. Erl. 2. omittit *curriculus.* Lips. 2. omittit *currus*, quod Lips. 1. super scriptum exhibet. Erl. 1. omittit *curriculus.* Lips. 3. ignorat *currus.* Cod. Luth. ad *diminutivum* supra scriptum exhibet *i. e. curriculum.* Iam vero cum *curriculus* mea quidem sententia nullo pacto a Prisciano scribi potuerit, et vocem *currus* abundare pateat, utrumque ego e textu expuli.

Cic. pro Marcello. Cap. 1. In hoc quoque loco emendando sensi, quantum conducat, Codices sequi. Edd. Ald. Bas. Colon. *nefas esse dicendum — in vetere nostro curriculo.* Putsch. *Nefas esse ducebam* rel. Nos MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2 Dresd. secuti in integrum restituimus locum ita scribentes. *Nec fas esse ducebam versari me in nostro vetere curriculo.* Ita enim [illegible], nisi quod *veteri* scripsit, quam formam damnant MSS. *proferrentur.* Nonnulli Codd. *proferentur.* Mox *inveniuntur* secundum MSS. edi jussi pro *invenantur.*

debuerunt secundae esse, quasi quartae est quando declinavere, ut hic sibilus hujus sibilus, vadus, vulgus, fretus. Sisenna in XII. Historiarum: *Procul sibilus si-*
80 *gnificare consuli coepit.* Excipitur etiam lepus leporis, quod solum in us correptam desinens, masculinum tertiae declinationis invenitur. Nam vetus veteris commune est trium generum, et Ligus quoque Liguris commune. Salustius in II. Historiarum: *Sed ipsi ferunt taurum ex grege, quem prope littora regebat Corsa nomine, Ligus mulier.* Invenitur tamen etiam in ur desinens, Ligur, ut Lucanus in primo: *Et nunc tonse Ligur quondam per colla decore, crinibus effusis toti praelate Comatae.* Quamvis veter etiam analogia exigit, ut bene sit dictum. Attius in Hecuba: *Veter fatorum terminus sic jusserat,* pro vetus. Quod Capro quoque prudentissime videtur, cum comparativus veterior, et superlativus veterrimus, veter desiderent positivum. Cato in primo Originum: *Antempna veterior est quam Roma.* Plautus in Bacchidibus: *Senem tibi dedo illum veteriorem,*
XVI *lapide ut lenitum reddas.* Monosyllaba quoque in us
81 omnia, cujuscunque sint generis, tertiae sunt declinationis, quae et producuntur. Est autem masculinum unum a Graecis sumptum μῦς, hic mus muris, quod per obliquos casus producit u, muris muri. Ideoque assumpsit r, quia non poterat u vocalis penultima produci, vocali altera consequente. Itaque in omnibus monosyllabis u longa est per omnes casus, et similis decli-

---

quasi quartae, est quando declinaverunt. Edd. Bas. Colon. Putsch. Ald. *vetustissimi* pro *quasi* exhibent. Nec facile invenietur, qui hanc lectionem multo faciliorem et usitatiorem nostra esse neget; at vero, cum Codices mei praeter unum omnes *quasi* scribi jubeant, et Priscianus non is sit, qui ab orationis elegantia laudandus sit, equidem a Codicibus discedere nefas esse duxi. *quasi* infra etiam §. 87. ea vi positum est, ut significet tanquam, ut: „*Cato quasi adjectivo eo usus est.*“ Edd. Ven. et Cod. Lips. 3. omittunt et nostram et vulgatam lectionem. Pro *declinavere* edidi secundum MSS. *declinaverunt.*

Procul sibilus. Unus meorum *sibilu.* Edd. Ven. 1. 2. *Procul dubio sibilus.* Erl. 1. pro *consuli* exhibet *cornua.*

§. 80. *Corsa nomine, Ligus* Hunc verborum ordinem praeiverunt Codices manu scripti: vulgo, *nomine Corsa.* Nostram structuram Edd. quoque Ven. commendant.

Luc. in primo. Est vs. 442. Pro *decora,* quod libros editos oc-

natio supradicti nominis, ut mus muris, plus pluris, jus juris, tus turis, crus cruris, exceptis grus et sus, quae sola in monosyllabis communia inveniuntur, et in nominativo producuntur, in obliquis vero corripiuntur, quod apud Graecos quoque σῦς productum in nominativo reliquos casus corripit, et u penultima ante vocalem posita longa non invenitur apud Latinos, ut arduus, sua, fluctui, ruo. Sunt autem nomina in us desinentia communia quatuor, duo in us productam, monosyllaba, et duo dissyllaba in us correptam, de quibus supra diximus, hic et haec sus suis, grus gruis. Virg. in primo Georgicon: *Strymoniae dant signa grues.* Horatius in secundo Sermonum: *Discerpta ferentes membra gruis, sparsi sale multo non sine farre.* Vetus etiam veteris, et Ligus, quod in ur terminat nominativum Ligur, ut supradictum est, Liguris. Praeterea 32
unus ullus, nullus, solus, totus, alius, quamvis verissima ratione nomina esse ostendantur, ut in pronomine docebimus, tamen pronominum sequuntur declinationem illorum, quae in ius terminant genitivum, quanquam inveniantur apud veteres, et nominum modo declinata, id est genitivum in i, et dativum in o desinentia. Nec solum haec, sed omnia, quae simili declinatione proferuntur, sicut jam in superioribus ostendimus. Titinnius in Barbato: *Quod quidem pol mulier dicit, namque uni collegii sumus*, uni pro unius. Afranius in Suspecta: *Adeo ut te satias caperet totae fami-*

---

cupavit, secundum MS. Lips. 2. et Edd. Ven. 1. 2. scripsi *decore*. Pro *tuti* idem Codex *tutur*. Mox *veter etiam* pro *etiam veter* Codicum auctoritate edidi.

Attius in Hecuba — sic jusserat, pro vetus. Longe discedit a vulgata lectione Cod. Erl. 1. *citius erat provectus.* Lips. 1. *pro ventus.* Equidem nihil mutandum esse putavi, cum libri et scripti et editi consentiant.

Cato in I. Originum: Antempna. Varianr Codd. in hujus nominis scriptura. Zwicc. 1. *Ante Namantia.* Luth. Zwicc. 2. Dresd. Lips. 1. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2 *Antemnantia.* Lips. 2. *Antempna.* Hujus Codicis auctoritatem secutus sum.

§. 81. *arduus, sua, fluctui, ruo.* Vulgo *suo, fluctuo.* Quam recepi lectionem, praestant MSS Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2.

Virg. in primo Georg. vs. 120. *Horatius in secundo Sermonum.* Sat. 8. vs. 87.

liae, pro totius. Cato in primo Originum: *Nam de omni Tusculana civitate soli Lucii Mamilii beneficium gratum fuit;* soli pro solius. Idem in II. *Qui tantisper nullae rei sies, dum nil agas;* nullae pro nullius. Plautus in Truculento: *Quasi vero corpori reliqueris potestatem, coloris ulli capiendi mala;* ulli pro ullius. Alius quoque tam hujus alius penultima circumflexa, quam alii genitivus invenitur apud veteres. Coelius in V. *Nullius alius rei, nisi amicitiae eorum causa.* Caesar in Anticatone priore: *Uno enim excepto, quem alius modi, atque omnis natura finxit, suos quisque habet charos.* M. Cato in Censura de vestitu et vehiculis: *Nam perinjurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur, ubi datus est, tum uti eos mutem, atque alii modi sim.* C. Licinius in secundo: *Perversum esse alii modi*
83 *postulare.* Foeminina ejusdem terminationis correptae, si sint arborum nomina, secundae erunt declinationis, ut haec ornus hujus orni, haec fagus fagi, pirus piri, cupressus cupressi. Excipitur quercus, laurus, pinus, cornus, ficus, quae tam secundae quam quartae inveniantur. Cicero in Orthographia: *Ibi quercorum rami ad terram jacent, ut sues quasi caprae ex ramis glande pascantur.* Virgilius in VIII. *Arma sub adversa posuit radiantia quercu.* Statius in septimo Theb. *Cornu depressus Achiva.* Virgilius in XI. *Ferro sonat alta bipenni fraxinus, evertunt actas ad sidera pinus.* Cicero in secundo de Oratore: *Cum familiaris quidam quereretur,*

---

§. 82. Qui hac paragrapho allegantur loci scriptorum veterum, supra jam §. 36. tractati sunt. *Coelius in V.* edidi pro *Caecilius*, cum optimi Codices illud nomen supra §. 36. et infra Lib. VII. §. 21. exhibeant. *alius* edidi pro *aliae*, quod falsum est, et omisi *aliae pro alius dixit.*

§. 83. *Cicero in Orthographia.* Putschius cum Edd. Ven. *chorographia.* Ego lectionem Edd. Ald. Bas. Colon. MSS. Lips. 2. Luth. Erl. 1. 2. Dresd. retinendam esse censui. *Orthographia* enim idem significat, quod *chorographia.* Cod. Zwicc. 1. *chronographia.* Zwicc. 2. *chosmographia.* Pro *ibi* unus meorum Codd. *ubi. caprae* secundum MSS. Dresd. Lips. 1. Luth. Erl. 1. pro *capreae* scripsi.

Virgilius in VIII. vs. 616. *Statius in septimo Theb.* vs. 649. *Virg. in XI.* vs. 133. *Cicero in secundo de Oratore.* Cap. 69. *ex arbore* edidi pro *de arbore* secundum MSS. Luth. Zwicc. 1. Lips. 1. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. *Mart. in Epigr.* Lib. I, 61. *Horat. de Arte Poetica.* vs. 63—65. *Debemus.* Vulgo, *debemur.*

quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu, amabo te, inquit, da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos. Martialis in Epigrammatibus: *Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci.* Sin vero in us productam terminantur, ablata s, addita tis faciunt genitivum, ut haec servitus hujus servitutis, virtus virtutis, salus salutis, senectus senectutis, juventus juventutis. Excipiuntur tellus telluris, palus paludis: quae duo non habuerunt t in genitivo. Palus tamen etiam correpta us invenitur apud Horat. de Arte Poetica: *Debemus morti nos nostraque, sive receptus terra Neptunus classes Aquilonibus arcet, regis opus, sterilisque diu palus aptaque remis.* Alia 84
omnia ejusdem generis, id est foeminini, in us correptam desinentia, quartae sunt declinationis, ut haec nurus hujus nurus, haec tribus hujus tribus, haec manus hujus manus: ex quo compositum ejus declinationem sequitur, hic Centimanus hujus Centimanus. Horat. in II. Carminum: *Testis mearum Centimanus Gigas sententiarum.* Haec anus hujus anus. Nam Terentius contra hanc regulam in Heautontimorumeno dixit anuis more antiquo: *Ipsam offendimus mediocriter vestitam, veste lugubri, ejus anuis causa, opinor, quae erat mortua.* Excipitur haec alvus hujus alvi, quod veteres frequenter masculino genere protulerunt. Attius in Annalibus: *Ut quam fragilissimus alvus.* Cato ad filium: *Ex dolore, ex febri, ex siti, ex medicamentis bibendis, ex cataplasmatis, ex alvo lavando.* Cinna in Smirna: *At scelus*

Meae quidem membranae omnes ita, ut scripsimus, MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Mox pro *omnia* post *alia* plerique Codd. exhibent *uomina*.

§. 84. *Horat. in II. Carm.* IV. vs. 69. 70. *Centimanus Gigas.* Vulgo, *Gyges.* Nescio, quid Horatii membranae scribi jubeant, nostrae quidem omnes concentium: in voce *gigas*, nisi quod unus vel alter *gigans* exhibet. Editiones etiam Venetae *gigas*. Hoc vero me nescire fateor, quomodo Priscianus hoc Horatii loco ad comprobandam quartae declinationis formam uti potuerit, cum *centimanus* nominativus sit.

Terent. in Heautont. Act. II. Sc. 3. vs. 44 — 46.

At scelus incesto. Putschius: *Ac scelus. At* pro *ac* omnes fere Codices mei exhibent. *Cinyrae*, quod Codices omnes damnant, et ipse falsum puto, intactum reliqui. Nam Codices ineptiorem lectionem praestant, quippe *Cinnae* scribentes. Unus *Cirenae*. Editiones Ven. *Cinnae*. Equidem legendum

incesto Cinyrae crescebat in alvo. Itaque secundum hoc genus bene declinatur alvus alvi. Virgilius tamen hoc protulit foemininum in II. Aeneid. *In latus inque feri*
85 *curvam compagibus alvum.* Humus humi. Hoc etiam neutrum in um desinens invenitur apud veteres, secundum quod opportune hanc declinationem servavit Laevius in Adone: *Humum humidum pedibus fodit.* Gracchus in Thieste: *Mersit sequentis humidum plantis humum.* Domus hujus domus, et domus hujus domi. Terentius in Eunuch. *Domi focique fac vicissim ut memineris.* Virgilius in sexto: *Hic labor ille domus et inextricabilis error.* Ovidius in IIII. Metamorph. *Domui communis utrique.* Et colus coli et colus. Virgilius in VIII. *Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva.* Statius in sexto Theb. *Sed hujus extrema jam fila colu, datur*
86 *ordo senectae.* Venus Veneris quoque excipitur, quod solum proprium foemininum invenitur Latinum in us desinens correptam. Et forte ideo sic declinatur, ne, si Venus Veni declinaretur, dubitationem haberet genitivus cum veni verbo imperativo. Incus etiam incudis, quod ponit Nonius Marcellus de doctorum Indagine: *Massa malleis cuditur.* Unde etiam incus est appellata. Cujus quia et genitivi penultima cu, et in verbo cudo eadem syllaba producitur, debet quoque in nominativo produci. Pecus quoque foemininum pecudis facit, quod etiam neutrum est, hoc pecus pecoris. Caesar in Auguralibus: *Si sincera pecus erat.* Virgilius in I. Aen. *Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent.* Vetustissimi

---

puto *Smirnae*, nec tamen recepi, cum auctoritate Codicum destituatur.

Virg. in II. Aen. vs. 51.

§. 85. *Laevius in Adone.* Vulgo *Livius.* Nomen Laevii exhibet Erl. 2.

Gracchus in Thyeste. Codices fere omnes *Gratus* pro *Gracchus.* Heidelb. *Gracchus.* Unus *Gracus.* Pro *plantis* Bentleius ad Hor. A. P. vs. 260. legi jubet *plantas*, quod viri gravissimi auctoritate recepissem, nisi Codices obsisterent. Pro *Thyeste* Erl. 1. *aethyeste.*

Terent. in Eun. Act. IV. Sc. 4. vs. 45. *Virg. in VI.* vs. 27. *Ovid. in IV.* vs. 66. *Virg. in VIII.* vs. 409. *Statius in VI. Theb.* vs. 380

§. 86. *Nonius Marcellus.* Plures Codices *Novius* pro *Nonius* exhibent; videntur certe exhibere. Nam difficile est in Codd. de literis u et n judicium. *Massa malleis cuditur.* Omisi

etiam hoc pecu, unde et haec pecua plurale, dicebant. Hostilius in primo Annali: *Saepe greges pecuum ex hibernis pastibus pulsi.* Plautus in Mercatore: *Nec pecua rure pascere, nec pueros nutricare.* Idem in Truculento: *Pecua ad hanc collo nervina ego obligata defero.* Idem in Rudente: *Non vides referre me uvidum rete sine squamoso pecu?* Et Solinus in Memorabilibus de Britannia dicit: *Ita pabulosa, ut pecua, nisi interdum a pastibus arceantur, ad periculum agat satietas.* Praeterea inveni- 87
tur apud vetustissimos intercus intercutis, et proprie intercus aqua dicitur, quam Graeci ὕδρωπα nominant. Plautus in Fribolaria: *Is mihi erat bilis, aqua intercus, tussis, febris.* Cato autem quasi adjectivo eo est usus, dicens *intercutibus stupris obstinatus,* pro intestinis, ut sit secundum eum hic et haec et hoc intercus, id est qui vel quae vel quod intra cutem est. Nec mirum, declinationem simplicis sui id quoque servare, quamvis nominativi terminatione mutata, quod in omnibus pene fieri compositis invenimus. Hoc cor hujus cordis, hic et haec et hoc concors concordis. Hoc caput capitis, hic et haec et hoc triceps tricipitis. Similiter hoc corpus hujus corporis, tricorpor tricorporis, et omnia talia. Excipitur exanguis, quod, quia commune est, in is brevem desinens, et in e brevem facit neutrum, parem habuit nominativo genitivum hujus exanguis, quomodo omnia similia. Graeca, quae apud Graecos XVII
in os desinentia, mutant o in u, secundae sunt de- 88
clinationis, ut Κῦρος Cyrus Cyri, Πύλος Pylus Pyli, πέ-

Codicum auctoritate *ferri*, quod libri impressi his verbis praeponunt.

Virgilius in I. Aen. Est vs. 435. Libri impressi, invitis Codicibus, librum Georgicon citant.

hoc pecu, unde et haec pecua. Inserui *unde et* e Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3 Ed. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. *pastibus.* Complures Codices *partibus.* Frequenter enim librorum r et s est confusio, maxime t consonante sequente. Pro *Annali* Ed. Ven. 1. *annalutus.*

Plautus in Mercatore. Act. III. Sc. 1. v. 10. *Idem in Truculento.* Act. V. Sc. 1. vs. 64. *Idem in Rudente.* Act. IV. Sc. 3. vs. 5. *uvidum.* Ita plerique Codices. Nonnulli *eividum.* Edd. Ven. 1. 2. *humidum.* Putsch. *viduum.*

Solinus in Memorabilibus. vide Ind.

Plautus in Fribolaria. Pro *is* unus Cod. *his.* Pro *erat* duo *eras.* Pro *bilis* MS. Dresd. *sordidabilis.*

λαγος pelagus pelagi. Sic *Χάος* Chaus Chai. Ovidius in quartodecimo Metamorphoseon: *Et Noctem Noctisque deos Ereboque Chaoque convocat*, id est ab Erebo et a Chao, sicut a pelago: absque illis, quae in ros desinentia, antecedente alia sub eadem syllaba consonante, ρος in er convertunt plerumque, ut *ἀγρὸς* ager, *Μένανδρος* Menander, de quibus supra docuimus. Sin ejusdem sint et apud Graecos terminationis, in is faciunt genitivum. A genitivo enim Graeco mutant o in i, et faciunt genitivum Latinum, ut *ὁ Οἰδίπους τοῦ Οἰδίποδος*, Oedipus Oedipodis, quamvis Plautus ablativo casu ab Oedipo dixit pro Oedipode in Poenulo: *Nam isti quidem hercle orationi Oedipo opus est conjectore, qui Sphingi interpres fuit. Μελάμπους Μελάμποδος*, Melampus Melampodis. Panthus enim et Ennus et Antinus et Alcinus, quae per synaeresim οος in ους diphthongum apud Graecos proferuntur, cum apud illos secundum integrorum regulam declinantur, id est in ος desinentium, in ου enim diphthongum terminant genitivum, apud nos quoque debent secundae esse declinationis; et sicuti, si integra eorum inveniantur, necesse est, ea declinare, *Πάνθοος Πανθόου καὶ Πάνθους Πάνθου*. Et nos ergo Panthous Panthoi, Panthus Panthi. Horatius Alcinous Alcinoi declinavit in primo Epistolarum: *Nos numerus sumus et fruges consumere nati, sponsi Penelopae, nebulones Alcinoique.* Apud Virgilium tamen nominativus et vocativus secundum Graecorum regulam invenitur prolatus in II. Aeneid. *Panthus Othryades arcis Phoebique sacerdos.* In eodem: *Quo res summa loco, Panthu? Quam prendimus arcem?* Neutra ejusdem terminationis, si sint monosyllaba, producuntur, et ablata s, addita ris faciunt genitivum, ut hoc jus juris, tus turis, rus ruris, crus cruris. Alia vero d vel l vel n ante us posita, mutant us in e correptam, et accepta ris, faciunt genitivum, ut hoc pondus hujus ponderis, vellus

89

§. 88. *Ovidius in XIV. Metam.* vs. 404. *Plautus in Poenulo.* Act. I. Sc. 3. vs. 34. (vs. 312. Bothe). Pro *Sphingis* scripsi *Sphingi*, quod MSS. Zwicc. 1. Luth. Lips. 1. 2. praestant.

et Antinus et Alcinus. E Codd. Lips. 2. Erl. 2. et Erl. 1. *et Alcinus* in textum recepi, quod mihi propter proxime sequentia necessarium esse videbatur.

Horatius in I. Epp. 2. vs. 26. 27. Pro *Penelopes*, quod editiones vulgatas occupavit, Prisciano e Codd. restitui *Penelopae.*

velleris, olus oleris, munus muneris, onus oneris, scelus sceleris, genus generis: quod Latinum esse ostendit et declinatio et verbum genero generas. Excipitur foenus foenoris. Iuvenalis in IIII. *Acre paterno ac rebus mersis in ventrem foenoris, atque argenti gravis, et pecorum agrorumque capacem.* Quod tamen antiqui foeneris dixerunt. Unde et foenero verbum et foenerator. Et pignus pignoris et pigneris, unde pignero pigneras. Lucanus in II. *Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui.* Iuvenalis in III. *Viginti milia foenus pigneribus positis.* Alia omnia mutant us in o productam quidem, si sint comparativa, et accepta ris, faciunt genitivum, ut hoc melius hujus melioris, hoc felicius hujus felicioris: correptam vero, si non sint comparativa, ut hoc decus hujus decoris, hoc stercus stercoris, pecus pecoris, frigus frigoris, tergus tergoris, nemus nemoris, corpus corporis, tempus temporis. Excipiuntur ea, quibus ver- 90
ba adiacent e habentia in penultima syllaba, ulcus ulceris ulcero, opus operis operor, latus lateris latero, viscus visceris viscero, ex quo compositum eviscero. Ovidius in sexto Metamorphoseon: *E quibus una trahens haerentia viscere tela.* Et alia pene omnia e habentia ante ris in genitivo habent similiter hujuscemodi verba, ut pondus ponderis, pondero ponderas, sidus sideris, sidero sideras, unde compositum considero considerasque, et desidero desideras. Munus muneris, munero muneras, genus generis, genero generas, quae pro o habent e in penultima syllaba. Breviter igitur 91
possumus colligere regulam et sic dicere: Omnia neutra supra syllabam in us desinentia, si habuerint verba in ero exeuntia, per eris faciunt genitivum, ut pondus ponderis, pondero ponderas, ulcus ulceris, ulcero ulceras, latus lateris, latero lateras, olus oleris, olero oleras. Cn. Mattius: *Meos hortulos plus stercoro, quam olero.* Alia vero omnia o habent penultimam correptam,

---

Virgilius in II. Aen. vs. 319. *In eodem.* 322.

§. 89. *Juvenalis in IV.* Sat. XI. vs. 38. *Lucanus in II.* vs. 375. *Juven. in III.* Sat. IX, 141.

§. 90. *Ovidius in sexto Metam.* vs. 290.

§. 91. *Cn. Mattius.* Vulgo, *Cn. Martius.* Plures Codices *G. M. accius.* Unus *G. Maccius.* MS. Heidelb. *Gn. M. actius.* Scribendum esse videtur *Cn. Mattius*, quod dedi.

nisi sint comparativa, tempus temporis, littus littoris. Excipitur virus, quod quidam indeclinabile, quidam secundae declinationis esse voluerunt secundum Lucretium, qui sic protulit: *Linquit enim supra tetri vestigia viri.* Idem: *Contractosque suo contractos perdere viro.* Vulgus quoque excipitur, quod tam neutri quam masculini est generis, et secundum regulam masculini declinatur. Similiter pus non habet in usu genitivum, ne, si puris diceretur, esset quantum ad eandem scripturam dubitatio, utrum dativus esset pluralis a puro puris, an genitivus singularis ab eo quod est pus, quod
XVIII indeclinabile est. In ys Graeca sunt tantummodo et ter-
92 tiae declinationis. Mutant enim os genitivi Graeci in is, Phorcys Phorcyos Phorcyis, Erinnys Erinnyos Erinnyis, amphibrachys amphibrachyos amphibrachyis, chlamys chlamydos chlamydis. Sed haec Graece quoque prolata inveniuntur. In aes diphthongum duo inveniuntur, hic praes praedis, hoc aes aeris. In aus desinentia foeminina sunt, et ablata s, et addita dis, faciunt genitivum, ut haec laus hujus laudis, fraus fraudis. In eus Graeca sunt, et us in i mutantia faciunt genitivum, ut hic Tydeus Tydei. In hujuscemodi ta-

---

Lucretius. Lib. II. vs. 476. *Linquit* e MS. Dresd. pro *liquit.* Apud Eichstaedtium hic versus ita legitur: *Linquit enim supra tetri primordia viri. Idem,* in eodem vs. 853. Pro *contractosque* Edd. Ven. *contrectansque.* Pro *contractas* MS. Erl. 2. *contrectans.* Dresd. *contractans.* In Lucretio Eichstaedtiano ita legitur hic versus: *Concoctosque, suo contactos perdere viro.*

ab eo quod est pus, quod indeclinabile est. Vulgo, omisso *quod — est,* vox *indeclinabile τῷ pus* subjungitur, quod contra Codices fit, et regulas Grammaticae violare mihi videtur.

§. 92. *Hic praes praedis, hoc aes aeris.* Omisi *hujus* ante *praedis* et *aeris* in Edd. positum.

In aus desinentia. Post *aus* expuli Codd. auctoritate *diphthongum,* quod in libris editis legitur. Mox *us in i mutantia* scripsi pro *mutantia us in i.* In sequentibus e certa et constanti Codicum scriptura pro *Ulysseus* restitui *Ulixeus* vel *Ulixes.* *τὸν καὶ φωνήσας.* Ita Codd. et Putsch. Male Edd. Ald. Bas. Colon. *ζωγρήσας.*

Ovidius in XIII. Metam. vs. 130. Pro *potiremur* exhibet Ed. Ven. 1., quae Codicis loco habenda est, *poteremur.* Equidem invitis membranis meis nolui sollicitare lectionem, quam probam habeo.

Ab Ulixeus quoque nominativo proferunt in ei. Primum *quoque,*

men terminatione quaedam inveniuntur mutatione eus diphthongi in es longam prolata, ut *Ἀχιλεὺς* Achilles, *Περσεὺς* Perses, *Ὀδυσσεὺς* Ulixes. In quo Dores sequimur, qui pro *φιλεὺς φίλης*, pro *Ὀρφεὺς Ὄρφης* et *Ὄρφην* dicunt, pro *Τυδεὺς Τύδης*. Sic Antimachus in I. Thebaidos: *Τύδης τε Οἰνείδης*. Et vocativum in e productam, *τὸν καὶ φωνήσας προσέφης, Οἰνείδη Τύδη*, teste Herodiano, qui hoc ponit in I. Catholicorum. Similiter Ibycus *ὄνομα κλυτὸν Ὄρφην* dixit. Et quia Graeci ab hujusmodi nominativis, id est, quae eus in es convertunt, vocativum in e longam terminant, *ὦ Τύδη*, *ὦ Ὄρφη*, in eo quoque casu aliquando illos sequuntur Latini, ut Achille, Perse. Ovidius in XIII. Metamorphoseon: *Tuque tuis armis, nos te potiremur, Achille.* Ab Ulixeus quoque nominativo proferunt in ei genitivum. Horat. in I. Carminum: *Nec cursus duplices per mare Ulixei.* Idem in primo Epistolarum: *Caerite cera digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulixei.* Ovidius in XIV. Metamorphoseon: *Neritius Macharеus, comes experientis Ulixei.* Et ab Achilleus accusativum graecum protulit Lucanus in X. *Famulumque tyranni terribilem justo transegit Achillea ferro.* Ex quo apparet,

---

quod in libris impressis invitis Codicibus meis post *nominativo* positum est, in suum restitui locum. Deinde *Latini*, quod editiones post *proferunt* inserunt, ejeci, cum a Codicibus meis absit, facilique negotio ex proxime antecedentibus suppleri possit.

Horatius in I. Carm. Od. VI. vs. 7. *duplices.* Putschius *duplicis.* Ita et editores Horatii. At vero non solum Edd. Ven. 1. 2. Ald. Colon. Bas. sed, quod gravius est, MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. unanimi consensu *duplices* tuentur. Adde quae Bentl. ad Horatii l. l. notavit. Ita ille: „Priscianus tamen p. 562. (Lib. I. Cap. IX §. 53.) *Ulyxes pro Ὀδυσσεύς, quod ostenditur in genitivo Ulyxei. Horatius in I. Carm. nec cursus duplices per mare Ulyxei.* Et sic tres libri scripti, quos consului. Sed p. 723. ubi eadem repetuntur, nunc exstat *duplicis*, cum tamen iidem Codices illic etiam habeant *duplices.*" Haec satis declarant, Putschium non raro arbitrio suo in emaculando Prisciano usum esse, certe parum, ac minus, quam editorem decet, sibi constitisse.

Idem in primo Epp. VI. vs. 63. *Ovidius in XIV. Metam.* vs. 159. Pro *Neritius* nonnulli Codd. *Neritus.*

Lucanus in X. vs. 543. In Edd. Ald. Bas. Colon. Ven. *terribilem visu trajecit.* Pro *visu* e Codd. Zwicc. 2. Erl. 1. restitui

Latinos quoque tam in eus quam in es haec nomina solitos esse proferre: et contra tamen in quibusdam es productam terminantibus fecerunt Graeci poetae eus pro es proferentes, *Ἀντιφατεὺς* pro *Ἀντιφάτης*, *Γηρυονεὺς* pro *Γηρυόνης*, *Δαρεὺς* pro *Δάρης*, ut Sappho, 93 *ὁ Δαρεὺς φαὶς, εἶκεν Ἄφαιστον ἄγῃ βίᾳ.* In x desinentia, si a verbis sint in go desinentibus, ablata x, addita gis, faciunt genitivum, ut grego grex gregis. Statius in primo Achilleidos: *Qualiter Idaliae volucres ubi mollia frangunt nubila jam longum coeloque domoque gregatae.* Remigo remex remigis, lego lex legis, rego rex regis, conjungo conjunx conjugis, quod etiam in genitivo differentiae causa n amittit, ne, si conjungis dicamus, verbum putetur. Nec mirum; Graecos enim in omnibus fere imitati Latini in hac quoque regula sequuntur. Apud illos enim si x desinentia nomina habeant verba cum g, nominum quoque genitivus per g declinatur, *λέγω Λέλεξ Λέλεγος*, unde frux etiam frugis facit genitivum, quia *ἀπὸ τοῦ φρύγω* verbo Graeco nascitur. Ennius in XVI. Annalium: *Si luci, si nox, si mox, si jam data sit frux.* Idem in IX. pro frugi homo, frux ponit, quod est adjectivum: *Sed quid ego hoc memoro dictum factumque facit frux?* id est frugi homo. Alia vero omnia Latina ablata x et addita cis proferunt genitivum, ut fallax fallacis, lux lucis, vox vocis, nex

---

justo. MSS. Zwicc. 1. Lips. 1. Luth. Erl. 2. *jussu.* MS. Dresd. *jussum.* Cod. Lips. 2. *visu.* Pro *trajecit* posui *transegi*, quod plerique Codicum meorum exhibent.

ut Sappho. Versum ita, ut nos dedimus, legi jussit Vir Celeb. Godofr. Hermannus, quem de hoc loco consuluimus. Expeditu difficilem ipse hunc locum appellat, nec perfectam sententiam eo demonstrari putat. Respici dicit Iliad. ε. 9—30. Codices ita: Erl. 1. *ωδαρηνε. φανσην κηνα φυστω νατεινβια.* Erl. 2. *ο ααρηις φαισει. κηνα. φεσγου αγειν βια.* Dresd. *ω δαρενσφνσε η κενα φκε τονατκιεβια.* Lips. 2. *ο δαρηνε. φαισηι. κηναφησ γοναγνιηβϑα.* Lips. 1. *ο αλρενε φαι εσι κεν αφεστον αγειν βια.* Heidelb. *ο δαρευς φαισει κεναφεστον ατεινβια.*

§. 93. *Statius in I. Achill.* vs. 373.

Graecos enim in omnibus fere imitati Latini in hac quoque regula sequuntur. E Cod. Zwicc. 2. Dresd. Lips. 2. adjeci *Latini* et *sequuntur* posui pro vulg. *sequimur.*

Ennius in XVI. Annal. Numerum XVI. praestant MSS. Zwicc. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. MS. Erl. 2. XVIII. Unus XI. *Idem in IX.* Codices aliquot *XIX.* Pro *quid ego haec* duo meorum *quid ego hoc*, Edd. Ven. *quod ego hic.*

necis. Cicero pro Milone: *Insidiatori vero et latroni quae potest inferri injusta nex?* Notandum tamen, quod, si habeant e correptam ante x positam, si non sint monosyllaba, vel ab illis composita, mutant e in i correptam per obliquos casus, ut apex apicis, vertex verticis, remex remigis. Similiter in ix desinentia masculina 94
tantum Latina corripiunt penultimam in obliquis, ut hic fornix fornicis, hic calix calicis, hic varix varicis. Barbara quoque in x magis corripiunt penultimam, Volux Volucis, Pharnax Pharnacis. Lucanus in secundo: *Tigranemque meum nec Pharnacis arma relinquas.* Alia vero in x desinentia omnia per obliquos casus longam habent penultimam natura vel positione, exceptis grex gregis, dux ducis, crux crucis, fax facis, nux nucis, pix picis, trux trucis, conjunx conjugis, salix salicis. Excipiuntur ea quoque, quae nec g nec c habent ante is in genitivo, nix nivis. Antiqui tamen etiam ninguis dicebant: unde Apuleius in primo Hermagorae: *Aspera hyems erat, omnia ningue canebant.* Supellex supellectilis. Vetustissimi tamen etiam haec supellectilis nominativum proferebant. Cato adversum Tiberium Sempronium Longum: *Si posset auctio fieri de artibus tuis, quasi supellectilis solet.* Senex senis, quamvis Plautus genitivum ejus senecis protulit in Cistellaria: *Datores bellissimi vos negotioli senecis soletis esse.* Nox quo-

---

Cic. pro Milone. Cap. IV. Pro *afferri*, quod Edd. Bas. Colon. Ald. Putsch. occupavit, e Codd. Zwicc. 1. 2. Dresd. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. recepi *inferri*, quam lectionem certam puto. Libri Veneti omittunt *et latroni*. Erl. 2. pro *injusta* exhibet *justa*. Mox pro *nota tamen* e Cod. Zwicc. 2. scripsi *notandum tamen*.

§. 94. *Barbara quoque in x magis corripiunt*. Insevi, quod a libris editis abest, a membranis vero meis omnibus exhibetur, *magis*. Significat haec vox plerumque.

Lucanus in secundo. vs. 637. Mox Codd. auctoritate *omnia* posui post *desinentia*, et expunxi *vel* ante *natura*.

Apulejus in I. Hermagorae. Pro *canebant* Zwicc. 2. *rigebant*. Reliqui, si recte notavi, omnes in vulgata retinenda consentiunt. Post *vetustissimi tamen* e Codd. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. Lips. 2. Luth. inserui *etiam*.

Plautus in Cist. Pro *datores* Edd. Ven. *doctores*. Hic locus supra Lib. III. §. 38. tractatus est. Mox post *terminationis* secundum Codd. pro *eum* scripsi *illam*.

que noctis secundum Graecos, qui νὺξ νυκτὸς declinant. Graeca enim ejusdem terminationis illam servant in genitivo ante is consonantem, quam in Graeca declinatione ante ος habuerunt, *Φαίαξ Φαίακος*, Phaeax Phaeacis, *Σφὶγξ Σφιγγὸς*, Sphinx Sphingis, *ὄνυξ ὄνυχος*, onyx onychis, genus est lapidis. Composita simplicium declinationem sequuntur, ut pernox pernoctis, exlex exlegis. Cicero pro Cluentio: *Non quod illi aut exlegem esse Syllam arbitrantur.* In bs vel ms vel ps desinentia, interposita i, faciunt genitivum, ut urbs urbis, hiems hiemis, inops inopis. Notandum hic quoque, quod, si e ante bs vel ps sit, et non sint monosyllaba, mutatur e in i, ut princeps principis, municeps municipis, coelebs coelibis. A capite solum composita, ablata s, mutant e in i et, addita itis, faciunt genitivum, anceps ancipitis, praeceps praecipitis, biceps bicipitis. Antiqui tamen ancipes et praecipes et bicipes proferebant in nominativo, et sic secundum analogiam sequebatur genitivus ancipes ancipitis, ut sospes sospitis. Plautus in Commorientibus: *Saliam in puteum praecipes.* Idem in Rudente: *Post altrinsecus est securicula ancipes, itidem aurea.* Idem tamen vetustissimi etiam praecipis genitivum, qui a nominativo praeceps est, secundum analogiam nominativi protulerunt. Livius in Ioe: *Seque*

Cicero pro Cluentio. Cap. 34. Pro *arbitrentur* Codicum jussu posui *arbitrantur.* Totus locus a Prisciano negligenter redditus est. Adi sis Ciceronis libros editos, in quibus neque vox *arbitrantur* legitur, neque *quod* ab initio positum.

§. 95. *ablata s mutant e in i.* Ita scripsi secundum Cod. Zwicc. 2. Vulgo, *ablata s, mutata e in i.*

Idem in Rudente. Vide supra Lib. III. Cap. 5. §. 31. Pro *item*, quod libri Bas. Colon. Ald. Putsch. exhibent, e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. restitui *itidem.* Ed. Ven. 1. *idem.*

Livius in Ioe. Vulgo *Ione.* Nos Codd. secuti sumus. Pro *impos*, quod MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Dresd. praestant, Putschius cum caeteris edidit *inops. Ennius in XV.* Edd. Bas. Ald. Colon. XVII. Nos, Putschio praeeunte, e Codd. verum restituimus numerum.

§. 96. *Ovid. in XIV. Metam.* vs. 826.

Livius in XXVII. Est Lib. XXXVIII. Cap. 29. Pro *et est non* Codices aliquot *et non est.* Vulgatam tuentur praestantissimi MSS. Lips. 2. Erl. 2. Pro *scutale* plures *scutella.* Pro

in alta maria praecipem impos; aegra sanitatis Herois. Ennius in XV. Annalium: *Occumbunt multi letum, ferroque lapique, aut intra muros, aut extra praecipe casu.* In ns vel rs vel ls desinentia, ablata s, addita tis, faciunt 96
genitivum, ut mons montis, sapiens sapientis, cohors cohortis, ars artis, pars partis, haec puls pultis. Excipiuntur duo differentiae causa, frons frondis, quando de arborum foliis loquimur. Nam frons frontis ad capitis partem pertinet. Lens lendis animal; nam lens lentis legumen est; et glans glandis. Sic Ovidius in XIV. Metamorphoseon: *Et lata plumbea funda missa solet medio glans intabescere caelo.* Similiter Lucretius protulit, et Livius in XXVII. *Et est non simplicis habenae, ut Balearica aliarumque gentium funda, sed triplex scutale crebris suturis duratum, ne fluxa habena volutetur in jactu glans, sed librata cum sederit, velut nervo missa, excutiatur.* Nam quod apud Virg. in IV. Georg. invenitur, glandis, in dubium venit, utrum nominativus sit, an figurate genitivus: *Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.* Potest enim tantum glandis intelligi τοσοῦτον βαλάνου, ut hoc regni et tantum lucri. A pendendo quoque compositum libripens libripendis. Gaius in primo Institutorum: *Adhibitis non minus quinque testibus puberibus, item libripende.* In eodem: *Praeterea*

---

suturis fere omnes *sutoris*. MS. Zwicc. 1. *consederit. velut.* Lips. 2. Erl. 2. aliique *velud.*

Virg. in IV. Georg. Male Putsch. cum caeteris III. Equidem e Cod. Lips. 2. verum reposui numerum. Est vs. 81.

A pendendo. Ita Codd. Zwicc. 1. 2. Dresd. Vulgo *a pendo.*

Gajus in primo Institutorum. Secundum MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Heidelb. Erl. 1. 2. Dresd. Lath. Edd. Ven. 1. 2. pro *Cajus* restitui *Gajus*, iisdemque auctoritatibus scripsi *Institutorum* pro *Institutionum*, quae vox legitur in editionibus Ald. Bas. Colon. Erl. 2. *institutarum*. Sequens locus in vulgatis libris ita legitur: *Adhibitis non minus quam quinque testibus civibus Romanis puberibus, praeterea alio ejusdem conditionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens.* Primum a Codicibus meis omnibus absunt haec: *quam, civibus Romanis, praeterea alio ejusdem conditionis.* Deinde iidem Codices post *puberibus* inseri jubent *item libripende*, et mox *In eodem.* Ergo haec inserui. Hunc locum Putschius jam emendaverat. Equidem, ut certa lectionis receptae constet ratio, quid Codices scribi jusserint, notavi. Edd. Ven. omittunt *in eodem.* Erl. 1. *Item in eodem.*

alio ejusdem conditionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens. A corde quoque composita, ablata s, addita dis, faciunt genitivum, vecors vecordis, discors discordis, concors concordis. Antiquissimi tamen solebant genitivum similem proferre in his nominativo. Caecilius in Cratino: *Modo fit obsequens hilaris, comis, communis, concordis, dum id quod petit potitur.* Pomponius in Satura: *Blanda, fallax, superba, impotens, discordis.*

---

genitivum similem nominativo. Hanc lectionem e Cod. Lips. 2. recepi, cum vulgatae, *genitivo — nominativum*, praestare mihi videretur.

superba, impotens. Vulgo, *impotens, superba.* Nos MSS. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2. Dresd. secuti sumus.

LIBER SEPTIMVS.

Terminales sunt nominum literae apud Latinos, ut supra quoque docuimus, quatuordecim; vocales quidem quinque a e i o u; consonantes vero novem; semivocales sex l m n r s x; mutae tres c d t. Vocales, ut poeta, monile, gummi, frugi, virgo, cornu. Semivocales, ut sol, templum, flamen, Caesar, civitas, Pollux. Mutae, ut lac, caput, aliud. Hoc enim nomen esse, et Probus in Institutis artium ostendit, et ratio ipsa, de qua in pronomine latius tractabimus. Ostendit autem Probus his verbis: *Hoc unum nomen tantum, id est alius, quod maxime propter structuras genitivo et dativo casu numeri singularis, sic anomale confirmatum sit declinari: hic alius, hujus alius, huic alii.* Inveniuntur etiam in y desinentia Graeca, hoc Dory, hoc Aepy, nomina civitatum sunt. Statius in IIII. Thebaidos: *Quos Thrion et summis ingestum montibus Aepy.* Igitur masculinorum nominum finales sunt literae septem, a o l n r s x, ut scriba, Cicero, consul, paean, pater, Priamus, rex. Foemininorum quoque eaedem, nec non etiam e produ- 1 1 2

Lib. VII. §. 1. *Poëta, monile, gummi, frugi.* Vulgo, *poëma, mare, gummi.* Ita et Edd. Ven. Nostri autem Codices receptam lectionem unanimi consensu exhibent. Huic auctoritati resistere non debui.

quod maxime. Scripsi pro vulgato *quam* secundum Cod. Zwicc. 2 *quod.*

Statius in IV. Theb. vs. 180.

§. 2. *nec non etiam e producta.* Inserui *etiam*, cum id a MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 2. Dresd. exhiberi viderem. Mox pro *in has literas* e Codd. Dresd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. scripsi *eas.* MS. Erl. 1. *easdem.* Deinde his ante

cta in Graecis, et m figurate in comicis nominibus, ut haec Aurora, Iuno, Tanaquil, Siren, mater, virtus, lux, Taygete, Glycerium. Neutrorum vero duodecim, id est omnes absque o et x: per se enim neutrum in eas literas nullum desinit, ut hoc poema, sedile, gummi, cornu, tribunal, saxum, numen, marmor, tempus, lac, caput, aliquid; communium vero masculini et foeminini sex, a o l r s x, ut hic et haec advena, homo, vigil, memor, custos, conjunx; communium trium generum quinque, i m r s x, hic et haec et hoc frugi, nequam, par, vetus, felix. Et hae quidem generales sunt nominativi terminationes, de quibus in nominativo latius tractatum est. Nunc vero de genitivo et aliis casibus obliquis per singulas declinationes doceamus.

II 3 Prima declinatio habet terminationes in nominativo tres, a as es. In a tam Latinorum quam Graecorum, tam masculinorum quam foemininorum et communium. In as vero et in es Graecorum tantum et masculinorum, ut hic scriba, poeta, haec Roma, Musa, hic et haec advena, hic Aeneas, hic Anchises. Ejus genitivus et dativus in ae diphthongon desinit, et pares habet syllabas nominativo, ut hic poeta hujus poetae huic poetae, hic Aeneas hujus Aeneae huic Aeneae, hic Anchises hujus Anchisae huic Anchisae, nisi divisio fiat in genitivo poetica, qua frequenter veteres Romanorum poetae utuntur, Aeneai, et Anchisai, et pictai, et aulai, pro Aeneae, Anchisae, pictae, aulae dicentes.

---

communium sustuli punctum et post *triam generum* expunxi *sunt*.

§. 3. *nisi divisio fiat in genitivo poëtica.* Addunt libri editi *licentia*, quod, cum a MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Heidelb. Erl. 1. 2. Dresd. absit, ego etiam delevi. Nec opus est hac voce ad sententiam perfectam, cum *poëtica* pertineat ad *divisio*. Ante *Aeneai* perperam in libris editis praeter Ven. ponitur *ut*, quod expunxi, addita *et* conjunctione ante *Anchisai*.

Virgilius in III. Aen. vs. 354. Vulgo, *unde — in IV.* Restitui verum numerum et delevi *unde*, quod abundat et ab MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. abest. Lectionem *in medio* invitus recepi. Supra enim Codices recte omisso *in*, *aulai medio* exhibebant; nunc vero omnes in retinenda particula *in* conspiraverunt, ita ut ego, cum ipse Priscianus variare potuerit, praepositionem servare debuerim.

Idem in IX. vs. 26. Mox in altero Ciceroniani Arati loco plu-

Virgilius in III. Aeneidos: *Aulai in medio libabant pocula Bacchi.* Idem in IX. *Dives equum, dives pictai vestis et auri.* Cicero in Arato: *Atque oculos urget pedibus pectusque Nepai:* pro Nepae, id est Scorpii. In eodem: *Serius haec obitus terrai visit equi vis.* Lucretius in I. *Effice ut interea fera munera militiai.* Idem in eodem: *Aulide quo pacto Triviai virginis aram, Iphianassai turparunt sanguine foedi.*

Accusativus ae diphthongum genitivi sive dativi mutat in am, ut poetae hunc poetam, Musae hanc Musam. Frequentius tamen invenimus in Graecis nominibus as et es terminantibus accusativum Graecum proferre auctores, hunc Aeneau, hunc Anchisen. Virgilius in V. Aeneidos: *Aeneae credam quid enim fallacibus Austris?* Et in VI. *Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit Aenean, alacris palmas utrasque tetenait.* Idem in III. *Anchisen facio certum, remque ordine pando.* Romanae tamen ratio declinationis exigit hunc Aeneam, et hunc Anchisam dicere. Horatius in II. Sermonum: *Et scribere fortem Scipiadam, ut sapiens Lucilius:* Scipiadam dixit, non Scipiadeu. Cujus nominativus in es desinit secundum formam patronymicorum, quae est Graeca hic Scipiades. Quamvis antiqui hujuscemodi nominum quoque, id est in as vel in es terminantium primae declinationis nominativos etiam in a finiebant, ut est Geta, Sosia, Birrhia, Chaerea, Marsia. Similiter poeta, sophista, Scytha. Terentius in Andria: *Poeta cum pri-* 4

---

res Codd. pro *equinis* videntur legisse *equi vis.* Ita MSS. Luth. Lips. 2. Zwicc. 1. 2. Erl. 2 MSS. Dresd. Erl. 1. *aequis* Lips. 1. *qui vis.* In MS Heidelb. hic versus ita legitur: *Serius haec obitas terrai visit equi vis.* Hanc ego lectionem, ut debui, in textum recepi. Ita et Grotius legendum esse censuit, notante ill. Schützio Cic. Opp. Vol. XVI. p. 312.

Lucret. in I. vs. 70. *In eodem,* vs. 85.

§. 4. Secundum Codices addidi *hunc* ante *poëtam* et *hanc* ante *Musam.* Mox *hunc Anchisen* Codicum auctoritate scripsi pro *et Anchisen.*

Virg. in V. vs. 850. *In VI.* 685. *Horat. in II. Serm.* Sat. I. vs. 17.

in as vel in es terminantium. Membranae, quas contuli, omnes pro vulg. *desinentium* exhibent, quod recepi, *terminantium.*

Terent. in Andria. Prol. init. Delevi post *primum* reliqua hujus versus, quae in editionibus leguntur, *animum ad scri-*

mum. Lucanus: *Et juncto Sarmata velox Pannonio.* Terent. in Adel. *Geta autem hic non adest.* In eodem: *Hic Geta praeterea, ut captus est servorum, non malus, neque iners.* Idem in And.: *Aut tu aut hic Byrrhia.* Idem in Eunucho: *Hic Chaerea? Qui Chaerea.* Iuvenalis in III. *Occurris fronte obducta ceu Marsia victus.* Oportet tamen scire, quod in foemininis a terminantibus Graecis, etiam si producta sit apud illos a finalis, plerumque corripiunt eam Latini. Omnis enim nominativus Latinus a terminalem corripit. Est tamen quando servant eam productam, sed raro. Ergo quando corripiunt eam secundum Romanam consuetudinem, accentu quoque Latino pronuntiantur, ut in his, Italia, Phrygia, Lydia, Syria, Troia. Haec enim antepenultimum habent acutum, quia a finalem corripiunt, quamvis apud Graecos sit producta. Horatius in I. Carminum: *Lydia dic per omnes.* Vocativum, qui similis est in hac terminatione nominativo, corripit. Est enim choriambus et bacchius. Ex quo ostenditur correpta in nominativo quoque Lydia finalis a. Virgilius in V. *Troia Criniso conceptum flumine mater quem genuit.* Apud Statium vero Nemea, quia servavit a productam, accentum quoque Graecum servavit, id est penultimum acutum in V. Thebaidos: *Nec facilis Nemea latas evolvere vires.* Accusativum

---

bendum appulit, propterea, quod a plerisque membranis absunt, vel supra scripta exhibentur.

Lucanus. Lib. III. vs. 93.

Terent. in Adelphis. Est Act. III. Sc. 1. vs. 4. *In eodem.* Act. III. Sc. 5. vs. 33. 34. *Item in Andria.* Act. II. Sc. 2. vs. 33. *Idem in Eun.* Act. V. Sc. 1, 7. 8.

Juvenalis in Sat. IX. vs. 2. Plurimi Codd. addunt *in* ante *fronte,* MSS. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. Pro *victus* nonnulli *virtus.*

§. 5. *antepenultimum acutum.* Ita Codd. Luth. Lips. 1. Zwicc. 1. Vulgo, *ante penultimam acutam.*

Horatius in I. Carm. VIII. init. Codicum auctoritate omisi, *te Deos oro.* Mox scripsi *similis est* pro *est similis.* Deinde post *correpta* omisi *esse,* cum a MSS. meis omnibus absit. *Virg. in V.* 38. MS. Lips. 2. *Crinisio.* Edd. Ven. *Crimnisso.* MSS. Dresd. Heidelb. *Criniso.* Lips. 1. Erl. 2. *Crinisio.* Erl. 1. *Crinoso.*

penultimum acutum edidi pro *penultimam acutam* e MSS. Zwicc. 2. Lips. 1. Erl. 1. 2. Edd. Ven.

accusativum — in foemininis invenimus. Vulgo post *foemininis* additum legitur *in an.* Equidem MSS. Zwicc. 1. 2. Luth.

quoque Graecum in foemininis invenimus a poetis proferri, sed raro. Idem Statius in VII. *Namque ferunt raptam patriis Aeginan ab undis.*

Vocativus primae declinationis in a correptam ef- 6
fertur, ut poeta, Musa, nisi sit Graecum, et apud Graecos producens a servat eandem etiam apud nos productam, ut Aenea. Virgilius in X. *Vigilasne deum gens, Aenea? vigila.* Est tamen quando in es productam terminantium Graecorum vocativus in e longam exit, secundum Graecos vel communiter vel poetice, ut Achate, Anchise, Polite, Laertiade. Virgilius in I. Aeneid. *Quis jam locus, inquit, Achate?* Idem in III. *Conjugio Anchise Veneris dignate superbo.* Idem in V. *Tua clara, Polite, progenies.* Horatius in II. Serm. *O Laertiade, quicquid dicam, aut erit aut non.* Virgilius in IX. *Sit satis, Aenide, telis impune Numanum oppetiisse tuis.* Nec solum in his, quae sunt primae, sed etiam in illis, quae tertiae, id est in omnibus Graecis es producta finitis, similiter invenis vocativum in e productam proferri, Chreme, Lache, Achille. Terent. in And. *Imo ita volo itaque postulo, ut fiat, Chreme.* Idem in eadem: *O Chreme, pietatem gnati nonne te miseret mei?* Idem in Hecyra: *A Myrrhina haec sunt mea uxore exorta omnia, mutatio est, ea nos perturbat, Lache.* Ovidius in XIII. Metamorpho-

---

Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 2. Edd. Ven. auctoritate omisi. *Statius in VII.* vs. 319.

§. 6. *Vocativus.* Addunt libri editi *casus*, quod MSS. Zwicc. 1. Luth. Dresd. Lips. 1. auctoritate omisi. Mox ante *poeta* et *Musa* Codicum jussu omisi *o*. Deinde eandem ob rationem *servat* scribi jussi pro *servet*.

Virg. in X. vs. 228. 29. *Virg. in I. Aen.* vs. 459. *Idem in III.* vs. 475. *Idem in V.* vs. 564. *Horat. in II. Serm.* Sat. V. vs. 59. *Virg. in IX.* vs. 655.

invenis. Ita Codd. et Edd. Ven. 1. 2. Vulgo, *invenies*. Mox *Achille* posui e Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. pro *Anchise*.

Terent. in And. Est Act. III. Sc. 3. vs. 18. Pro *itaque* MS. Erl. 2. *atque*. *Idem in eadem.* Act. V. Sc. 2. vs. 27. 28. *gnati* pro *nati* reposui e Codd. Luth. Zwicc. h. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. *Idem in Hecyra.* Act. IV. Sc. 4. vs. 11. Pro *mutatio fit* equidem scripsi *mutatio est*. Nam haec est lectio Codd. Lips. 1. 2. Erl. 2. Zwicc. 2. MSS. Dresd. Erl. 1. *mutatione*, quod ex *mutatio est* ortum patet. MS. Luth. *mutatio*. Editiones etiam Venetae cum Codicibus consentiunt.

Ovidius in XIII. Metam. vs. 130. Hic quoque ex Edd. Ven.

7 seon: *Tuque tuis armis, nos te potiremur, Achille.* Idem in XII. *Armiger ille tui fuerat genitoris, Achille.* Nec mirum, cum Graecorum quoque poetae similiter inveniantur protulisse vocativos in supradicta terminatione. Anacreon "*Ηλιε καλλιλαμπέτη* posuit pro *καλλιλαμπέτα*. Hipponax *εὔηθες κριτὴ* pro *κριτά*. Et Apollonius Argonauticorum in III. *Αἰήτη, κείνην μὲν ἄφαρ διέχευαν ἄελλαι* pro *Αἰήτα*. In eodem: *Αἰήτη, σχέο μοι τῷδε στόλῳ, οὔτε γὰρ αὖτως*. In foemininis etiam Alcaeus *Νέπη* pro *Νέπης* posuit. Et Theopompus *Χάρη* pro *Χάρης*. Latina vero proportio in a correptam vult vocativum primae declinationis, sicut supradictum est, terminari etiam in Graecis. Unde Horatius in II. Serm. *Nequis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?* Foeminina quoque Graeca est quando apud poetas Graecum vocativum servant in a vel in e productam desinentem secundum proprium nominativum, ut Taygete, Nemea. Virgilius in IX. *Vos, o Calliope, precor adspirate canenti.* Statius *Nemea*, ut ostendimus, a producta protulit more Graeco.

8 Ablativus hujus declinationis in a productam desinit, ab hoc poeta, ab hac musa, ab hoc et ab hac advena. Est autem quando hunc quoque poetae e productа terminant in Graecis nominibus, quae dativum Graecum in *η* finiunt, ut Virg. in I. Aeneid. *Uno graditur co-*

Ald. *poteremur* edidi pro *potiremur*. MS. Lips. 1. *poneremur*, suprascripto *ti*.

Idem in XII. vs. 763.

§. 7. *Anacreon "Ηλιε — καλλιλαμπέτα.* Cod. Lips. 2. *ανακρηων η. λιη καλλιλαμπηθη* pro *καλλιλαμπηθα*. Cum eo consentit MS. Dresd. *ανκρεωννε. καλλι. αογγετη* posuit pro *καλλιλαη πεπνα*. Erl. 2. *ανακρεον νλιε. καλλιλαμπετη* posuit pro *καλλιλαμπετα*. Ita et reliqui. In Edd. Bas. Colon. Ald. *καλλη λαμπήτη* pro *καλλα λαμπήτα*. Putschius ut nos. Ed. Ven. 2. *καλλιλαμπήτη* pro *καλλιλαμπήτα*.

Hipponax. Hunc locum omiserunt duo praestantissimi Codd. Erl. 2. Lips. 2. MS. Dresd. *ευνησσαριτη* pro capita. Lips. 1. *ευντεσκαριτη* pro *καρισα*. Erl. 1. *θυνθες, καρυωκαρτα*. Zwicc. 2. *ευντης καριτε* pro *καριτα*. Heidelb. *ευντες καριτη* pro *καριτα*. Edd. Colon. Bas. Ald. Ven. 2. *ἀπήτη* pro *ἀπήτα*.

Apollonius Argon. III. vs. 320. *In eodem.* vs. 386. Putschius typothetae, puto, errore *σφέο* pro *σχέο* edidit. Hunc locum omittunt Codd. Lips. 1. 2. Erl. 2.

Horatius in II. Serm. Sat. 3. vs. 187. Putschius, hoc loco gravissime castigandus est; quod cum Bentlejus, vir haud parum gravis, fecerit, ea, quae ille ad Hor. l. l. notavit, in medium

mitatus Achate, pro Achata. Ovid. in VIII. Metamorphoseon: *Cumque Pheretiade et Hyantaeo Iolao.* Iuvenalis in I. *Penelope melius, levius torquetis, Arachne.* Et hoc vel metaplasmus est dicendus, qui fit more poetico mutata a longa in e productam, vel potius dativus Graecus pro ablativo positus, qui quamvis apud Graecos i habeat post η, tamen apud Latinos secundum eorum consuetudinem scripturam servavit, apud quos scribi i post vocalem, et non pronuntiari solet. Hoc et ex aliis possumus coniicere, quae quamvis Graece proferantur, scripturae tamen Latinae rationem servant, ut Virgilius in Bucolicis: *Orphei Calliope, Lino formosus Apollo.* Nam cum sit dativus Graecus pro $\varepsilon\iota$ diphthongo, i longam habuit more scripturae nostrae. Illud autem miror, quod Iuvenalis Calpe ablativum corripuit, cum sit simile hoc nomen Penelope, Arachne, Calliope, quorum ablativus nunquam in e correptam terminat. Lucanus in primo: *Tethys majoribus undis, Hesperiam Calpen summumque implevit Atlanta.* Iuvenalis in V. *Nec Carpathium Gaetulaque tantum aequora transiliet, sed longe Calpe relicta, audiet Herculeo stridentem gurgite solem.*

Nominativus et vocativus pluralis primae declinationis similis est genitivo et dativo singulari. Nam per III 9

---

proferre lubet. „Sane insignis injuria facta est Prisciano, „cum vel in celebri illa Putschii editione sic ejus verba exhibentur p. 731. *Latina vero proportio in e correptam vult „vocativum primae declinationis terminari, etiam in Graecis: „unde Horatius in II. Sermonum: Nequis humasse velit Aja„cem, Atrida, vetas cur?* Quattuor enim manuscripti, quibus „usus sum, clare ibi habent *in a correptam* et postea *Atrida.*“ Mirum sane est Putschium tam incommodam lectionem recepisse, cum et editiones et Codices in vulgata lectione consentiant.

Virgilius in IX. vs. 525.

§. 8. *Virg. in I. Aen.* vs. 312. *Ovidius in VIII. Metam.* vs. 310. *Virg. in Bucolicis.* IV, 56. *Orphei* e MSS. dedi pro *Orphi. Calliope.* Ita secundum MSS. Zwicc. 2. Lips. 2. Erl. 2. Erl. 1. pro *Calliopea.* MS. Erl. 1. ad *Orphei* haec in margine notat: *Orpheus genitivo hujus Orpheos dativo Orphei et postea ponitur pro ablativo, remoto modo i.*

Illud autem miror. Inserui e Cod. Erl. 1. *autem.* Mox *terminat* Codicum jussu scripsi pro *terminatur.*

Lucanus in I. vs. 554. 55. *Juven. in V.* Est Sat. XIV. vs. 279.

§. 9. *primae declinationis.* Vulgo *ejusdem.* Nos Codices se-

ae diphthongum profertur, ut hi et o poetae: sed in his non potest divisio fieri, sicut in illis.

Genitivus pluralis ejus declinationis fit addita ablativo singulari rum syllaba, ut ab hoc poeta, horum poetarum, ab hac Musa, harum Musarum. Producitur enim a tam in ablativo singulari quam in genitivo plurali. Et notandum, quod omnes casus tam singularis quam pluralis numeri pares habent numero syllabas in hac declinatione, excepto genitivo plurali. Hic enim abundat una syllaba. Est autem quando hunc quoque per concisionem proferunt, et maxime in compositis et patronymicis, ut Grajugenum pro Grajugenarum. Virgilius in III. Aeneidos: *Grajugenumque domus, suspectaque linquimus arva.* In eodem: *Caprigenumque pecus, nullo custode per herbam,* pro Caprigenarum. Idem in VIII. *Optime Grajugenum, cui me fortuna precari.* In eodem: *Omnigenumque deum monstra, et latrator Anubis,* pro omnigenarum. Sic Caelicolum pro Caelicolarum, et trinundinum pro trinundinarum. Cicero pro Cornelio in primo: *Ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum potestasque venisset.* Amphorum pro amphorarum, Aeneadum quoque pro Aeneadarum. Lucretius in primo versu: *Aeneadum genitrix, hominum divumque voluptas.* Similiter Dardanidum pro Dardanidarum. Virgilius in II. *O patria, o Divum domus Ilium et incluta bello moenia Dardanidum.* Idem in XI. *Variusque per ora cucurrit Ausonidum turbata fremor.*

Dativus pluralis et ablativus supradictae declinationis mutat a extremam ablativi singularis in is produ-

---

cuti sumus. *Profertur.* Ita iidem Codices; vulgo, *proferuntur.* Mox *ejus declinationis* scripsi pro *ejusdem.*

pares habent numero. Perperam editiones vulgatae glossema ante *numero* referunt *in utroque,* et miror, Putschium hoc non vidisse. Expuli igitur Codicum auctoritate.

Virg. in III. Aen. vs. 550. *In eodem.* vs. 221. *Virg. in VIII.* vs. 127. *In eodem.* vs. 698. Pro *monstra* Codices duo *monstrum.*

Cic. pro Cornelio primo. Male Putschius cum caeteris *primo* traxit ad sententiam Ciceronis verbis expressam. Codices mei omnes post *primo* interpunctionem posuerunt. Edd. Ven. *pro clientio.*

Virg. in II. vs. 241. *Ilium.* Ita Codd. Vulgo *Ilion.* Pro *inclyta* scripsi *incluta.* Codices *inclita.*

Idem in XI. vs. 297.

etam, ut a poeta his et ab his poetis, et ab hac Musa his et ab his Musis. Inveniuntur tamen pauca foeminini generis, quae ex masculinis transfigurantur, non habentibus neutra, quae et animalium sunt demonstrativa, naturaliter diversum genus habentia, quae differentiae causa ablativo singulari bus assumentia faciunt dativum et ablativum pluralem, quod nulla alia habet declinatio, in bus terminans supradictos casus, ut a longam in eis penultimam habeat, ut his natabus, filiabus, deabus, equabus, mulabus, libertabus, asinabus. M. Cato in Originibus: *Dotes filiabus suis non dant.* Et filiis tamen in eodem genere dictum est. Ennius in Andromeda: *Filiis propter te objecta sum innocens Nerei,* id est filiabus. Idem: *Nerei natis,* pro natatus. Plautus in Sticho: *Ego ibo intro, et gratulabor vestrum adventum filiis,* pro filiabus. Idem: *Qui talis est de gnatabus suis.* 11
Ovidius posuit in XIII. Metamorphoseon: *Euboea deabus et totidem natis Andros fraterna petita est.* Cicero pro Cornelio in primo: *Ut ab Iove optimo maximo, caeterisque Diis Deabusque omnibus opem et auxilium petam.* Eabus etiam pro eis differentiae causa in foeminino Hemina protulit in IIII. Annalium: *Scriba pontificius, qui cum eabus stuprum fecerat.* Dicit enim de Vestalibus. Multa tamen alia quoque contra regulam vitiose, et in his et in aliis casibus vetustissimi protulisse inveniuntur, in quibus non sunt imitandi. Ambae etiam et duae, quamvis nulla simili differentiae causa cogente, similem habent dativum ambabus, duabus, quanquam genitivum ambarum et duarum faciunt. Accusativus quoque plu-

---

§. 10. *assumentia faciunt dativum.* Ita Codd. Vulgo, *assumunt et faciunt.*

Dotes filiabus suis non dant. MS. Lips. 2. *dantur.* *Plautus in Sticho.* Act. IV. Sc. 1. vs. 61.

§. 11. *Ovidius in XIII. Metam.* vs. 661. Post *Ovidius* legitur vulgo *deabus*, quod, cum a plerisque Codicibus absit, omisi. Notandum in Ovidio legi *duabus.* Pro *natis* Cod. Heidelb. *latis* et pro *Euboea* exhibet *Oboea.* *petita est.* Ita e Cod. Lips. 2. edidi pro *potita est.*

Cic. pro Corn. primo. *Petam* reposui e MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. pro *petamus.* Mox post *foeminino* Codicum auctoritate omisi *genere.*

similem habent dativum. Omisi *et ablativum*, cum a plerisque Codd. absit. Sponte hoc intelligitur.

ralis fit, addita s ablativo singulari. Producitur enim, ut hos poetas, has Musas.

IV 12 Secunda declinatio terminationes habet nominativi sex, in er, ir, ur, us, eus, um. In er masculinorum tam Latinorum quam Graecorum, ut caper capri, Alexander Alexandri. Iber etiam Iberi, quod per apocopam extremae syllabae prolatum solum in hac declinatione producit er, et ab eo compositum Celtiber Celtiberi. Dicitur tamen et Iber Iberi pro Hispanus, et Iber Iberis, quando de illa gente loquimur, quae est juxta Armenios, et Iberus Iberi fluvius. Unde Lucanus in IIII. *Qui praestat terris aufert tibi nomen Iberus.* In ir et in ur Latinorum tantum masculinorum, ut vir viri, satur saturi. In us Latinorum et Graecorum, masculinorum et foemininorum neutrorumque, ut hic clarus hujus clari, Homerus Homeri, haec cupressus hujus cupressi, haec platanus hujus platani, hoc vulgus hujus vulgi. Dicitur tamen et hic vulgus. Hoc pelagus hujus pelagi. In eus Graecorum tantum masculinorum, hic Tydeus hujus Tydei, Orpheus Orphei. In um neutrorum tam Graecorum quam Latinorum, et figurate foemininorum apud comicos, hoc regnum hujus regni, hoc Pelium hujus Pelii, haec Glicerium hujus Glicerii, haec Sophronium hujus Sophronii. Panthus per sinaeresim pro Panthous, quomodo Alcinus pro Alcinous prolatum est. Unde Horatius in primo Epistolarum: *Nos numerus sumus, et fruges consumere nati, sponsi Penelopae, nebulones Alcinoique.* Virgilius in II. Georgicon: *Pomaque et Alcinoi silvae.* Idem Horatius: *Alcinoique plures.*

13 Genitivus secundae declinationis in omni nomine i

---

§. 12. *in er — um.* Omisi Cod. Lips. 2. auctoritate *in* ante singulas terminationes.

Lucanus in IV. vs. 23. Mox *hoc pelagus hujus pelagi* transposui Codicum meorum jussu. *Neutrorumque* scripsi secundum MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. Dresd. pro *et neutrorum quoque.* Ante *Homerus* et *Homeri* expunxi pronomen articulare. Item ante *Orpheus Orphei.*

Virg. in II. Georg. vs. 82. *Item Horatius.* Vulgo, *Idem.*

§. 13. *Genitivus.* Vulgo additur *singularis*, quod, cum a MSS. absit, sustuli. Infra post *desinentia pares habent* Codicum jussu omisi *syllabas.*

onga terminatur, sed in quibusdam pares habet syllabas nominativo, ut niger nigri, magnus magni, templum templi. In quibusdam una syllaba abundat, ut tener teneri, vir viri, satur saturi, Tydeus Tydei. Cujus rationem quamvis in libro, quem de nominativo et genitivo exposuimus, latius tractavimus, nunc quoque quantum possumus breviter percurramus, In ir et ur et eus desinentia semper una syllaba vincunt in genitivo, quae penultimam brevem habent, ut Trevir Treviri, satur saturi, Oileus Oilei, nisi productio poetica fiat in Graecis, ut Tydei. In us vero et in um desinentia pares habent, ut Priamus Priami, Virgilius Virgilii, templum templi, Taurominium Tauromini. Frequenter tamen invenimus veteres in hujuscemodi genitivis, id est geminantibus i subtrahere alteram ex eis. Virgilius in primo Aeneidos: *Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit*, pro Patavii. Idem in Bucolicis: *Nec spes libertatis erat, nec cura peculi*, pro peculii. In eodem: *Pauperis et tuguri congestum cespite culmen*, pro tugurii. Idem in IIII. Georgicon: *Florentem ignobilis oti*, pro otii. Juvenalis in quarto: *Antoni gladios potuit contemnere, si sic*, pro Antonii. Hoc autem faciunt metri causa. Nunquam enim minores vult habere syllabas genitivus nominativo. In er igitur tantum desinentia ancipitem habent regulam genitivi. In aliis enim abundat, in aliis non abundat. Abundat quidem in hujuscemodi, Lucifer Luciferi, armiger armigeri, tener teneri, miser miseri, prosper prosperi. Pares autem habet in hujuscemodi, Menander Menandri, sacer sacri, ater atri, de quibus, ut supradictum est, cum de nominativo et genitivo tractabatur, sufficienter exposuimus. Androgeo

---

Taurominium. Plures Codd. *Tauromenium.* Mox transposui verba Edd. vulg. *subtrahere ex eis alteram.*

Virg. in I. Aen. vs. 247. *Idem in Buc.* I. vs. 33. *In eodem.* vs. 69. *Idem in IV. Georg.* vs. 564. Codicum auctoritate omisi initium versus *Parthenope studiis. Juvenalis in IV.* Sat. X. vs. 125. Codicibus jubentibus praetermisi *omnia dixisset.*

in aliis non abundat. Invitus parui Codicibus meis et inserui *abundat*, quod hoc quidem loco abundare multi erunt qui recte contendant. Exhibent MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. Edd. Ven. *abundant.*

ut supra dictum est. Haec est lectio MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Vulgo, *sicut jam.*

Virgilius in sexto genitivum posuit Atticum: *In foribus letum Androgeo tunc pendere poenas.*

14 Dativus et ablativus singularis hujus declinationis fit a genitivo mutatione extremae i in o productam, ut hujus luciferi huic et ab hoc lucifero, hujus sacri huic et ab hoc sacro, hujus viri huic et ab hoc viro, hujus saturi huic et ab hoc saturo, hujus Priami huic et ab hoc Priamo, hujus Taurominii huic et ab hoc Tauromino, hujus Typhoei huic et ab hoc Typhoeo. Virgilius in nono: *Inarime Jovis imperiis imposta Typhoeo.* Idem in decimo: *Nec Clytio genitore minor nec fratre Mnestheo.* Est tamen quando etiam Graeco dativo in hujuscemodi nominibus, id est eus finientibus nominativum uti solent antiqui. Idem poeta in Bucolicis: *Orphei Calliope, Lino formosus Apollo.* Et oportet scire in hac declinatione, quod omnes obliqui casus tam singulares quam plurales eundem numerum syllabarum servant, quem genitivus singularis, absque genitivo plurali, qui una syllaba vult superare, nisi per concisionem proferatur. Unde Dii et Diis, cum pro monosyllabis ponuntur, per synaeresim sunt accipienda, sive magis per synaeresim e et i in unam syllabam. Veteres enim finalem i, quae longa est, per ει diphthongum scribebant, longas autem vocales vetustissimi etiam gemi-
15 nare solebant. Quae vero secundum analogiam proferuntur, id est Dei et Deis, dissyllaba sunt. Lucanus in sexto: *O utinam caelique Deis Erebique liceret.* Idem accidit etiam in pronomine ei et ii, eis et iis. E quibus

---

Virg. in VI. vs. 20. Pro *tum* e Cod. Zwicc. 1. scripsi *tunc.*

§. 14. *Virg. in IX.* vs. 716. *Idem in X.* Adjeci e Codd. *Idem.* Est vs. 129.

Est tamen quando etiam. E Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Erl. 1. 2. adjeci *etiam.* Mox ante *eus* delevi *in. obliqui casus tam singulares, quam plurales.* Libri editi addunt: *nec non etiam nominativus et vocativus plurales,* quae cum absint a MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd., omittenda esse duxi. Post *genitivus singularis* addunt editiones *habuerit,* pro quo unus Erl. 2. *habet;* reliqui ignorant. Ex glossemate in textum illatum est. Mox pro *synaeresim* plures Codd. *syncrisin* vel *syncresin.* Nonnulli deinde *magis* omittunt.

§. 15. *ut supra diximus.* Sic MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Vulgo *docuimus.* Paulo post *ponantur* Codices Lips. 1. 2. Zwicc. 2. Erl. 2. pro *ponuntur* scribi jusserunt. *Juven. in V.* Est Sat. 14. vs. 29 seqq.

illud apparet, quod vetustissimi, ut supra diximus, pro una longa vocali solebant duas scribere. Ecce enim vestigium antiquitatis in his adhuc servatur, cum duae i pro una longa ponantur, tam in supradicti nominis quam pronominis ternis casibus, hi Dii, his Diis, ab his Diis, ii iis ab iis. Nam si dicas Dei Deis a Deis, ei eis ab eis, dissyllaba sunt, sicut ostendimus. Juvenalis in quinto: *Implet et ad moechos dat eisdem ferre cinaedis.* Puto autem, quod in his differentiae causa servata est geminatio, id est, ne, si Di et Dis, i et is dicamus, dubitatio fiat significationis, nam di etiam praepositio est, et dis praepositio est, et i et is verba. In pluribus autem invenis differentiae causa hujuscemodi, quasdam fieri syllabarum vel literarum additiones, vel ademptiones, vel accentuum mutationes, itaque in compositione idem et isdem per unam i scripsisse, quia nulla confusio fit significationis, inveniuntur pro eidem et eisdem. Et quia diximus, omnes obliquos casus genitivum sequi, sciendum, quod vocativus nominativum suum sequitur, de quo mox docebimus, sed prius de accusativo tractemus.

Accusativus quoque a genitivo fit mutatione i in V
um, ut hujus Priami hunc Priamum, Luciferi Lucife- 16
rum, Tydei Tydeum. In hujuscemodi tamen nominibus, id est in eus desinentibus Graeco magis accusativo utuntur auctores. Virgilius in I. Aeneid. *Ilioneа petit dextra laevaque Serestum.* Idem in nono: *Et amicum Crethea Musis, Crethea Musarum comitem.* Statius in

---

Puto autem, quod. Lips. 3. *puta. Differentiae causa servata est* Libri editi addunt: *in genitivo*; quod, cum scripti ignorent, omisi.

et dis praepositio est. Quod in libris editis additum reperitur, *et nomen*, ut additamentum interpolatoris omisi. Unus vel alter Codex in margine hoc exhibet addito *dives*. Mox *invenis* edidi secundum Codices pro *invenies*.

pro eidem et eisdem. Vulgo, *idem et isdem.* Praeplacet Codicum lectio. *de quo mox docebimus.* Vulgo, *modo docebimus.* Recte *modo* a Codicibus damnari, sponte in oculos incurrit. Pro *docebimus* nonnulli Codd. *docemus.*

§. 16. *Virg. in I. Aen.* vs. 611. *Idem in IX.* 774. Pro *Cretea* scripsi *Crethea* secundum Codd. Erl. 2. Lips. 2. Numerum etiam IX pro VIII restitui.

Statius in primo. Theb. 559. 60.

primo: *Necnon et viribus infra Tydea fert animus.* Invenitur tamen in usu etiam in um accusativus hujuscemodi nominum. Cicero de Natura Deorum tertio: *Theseum, Hippolitum.* Livius ab urbe condita XL. *Odio, cui Perseus indulgeret.* In eodem: *Perseo sese adjungunt.* In eodem: *Totus in Perseum versus.* In eodem: *Ad Perseum misit.* In eodem: *Perseum filium.* In eodem: *Perseum Amphipolim mittit.* Idem in XXXIX. *Areum et Alcibiadem.* In eodem: *Quod Areum et Alcibiadem, ne Lacedaemonii possint reprehendere.* Statius in II. Thebaidos: *Pentheumque trahens, nondum te Phaedimus aequo, Bacche genus.* Plautus in Vidularia: *Ejusdem Bacchae fecerunt nostram navem Pentheum.*

17 Vocativus hujus declinationis, quando in r vel in m finitur nominativus, similis est ei, ut hic Lucifer o Lucifer, hic sacer o sacer, hic vir o vir, hic satur o satur, hoc templum o templum, haec Glicerium o Glicerium. Virgilius cum paulo ante Tymber nominativum protulit, mox vocativum Tymbre posuit in X. *Daucia Laride Tymberque simillima proles.* Et: *Nam tibi, Tymbre, caput Euandrius abstulit ensis.* Sed non est hic vocativus a nominativo in er desinente, sed in us accipiendus, hic Tymbrus o Tymbre. Solet enim poeta hujuscemodi saepe nomina tam in er quam in us proferre, ut Teucer et Teucrus, Euander et Euandrus. Idem in X. *Pallas Euander in ipsis omnia sunt oculis.* Idem in VIII. *Tum rex Euandrus Romanae conditor arcis.* Sed de his latius de nomina-

---

Cic. de Nat. Deor. III. Expuli ante III, *in.* Respicit fortasse Caput 31. sed ibi legitur *Theseus Hippolytum.* Edd. Ven. *Cic. de N. D. IV. Livius ab U. c.* XL. Cap. 5. *In eodem.* 4. *In eodem.* 5. *In eodem.* 56. *In eodem.* 23. *In eodem.* 24. Pro *misit,* quod hoc loco libros vulgatos occupavit, secundum Codd. edidi *mittit.* De reliquis locis vide Ind.

Statius in II. Theb. vs. 575.

Plautus in Vidularia. Pro *fecerunt* unus meorum Codd. *ferunt.* Edd. Ven. *fecere.* Pro *navim* posui *navem,* cum hoc Codices mei omnes exhiberent.

§. 17. *nominativum protulit.* Ita potiores Codices omnes, etiam editiones Venetae. Vulgo, *protulisset. Virg. in X.* vs. 391. 394.

Solet enim poëta. Cod. Zwicc. 1. *Solent enim poëtae. Idem in X.* vs. 515. 16. *In VIII.* vs. 313. *Tum* scripsi pro *tunc* secundum Cod. Erl. 2. *Plautus in Mercatore.* Act. V. Sc. 2. vs. 71. *Idem in Curculione.* Act. I. Sc. 1. vs. 75. *quid facturus?* Codd.

tivo tractantes disseruimus. Notandum tamen, quod Plautus a puer nominativo vocativum puere dixit in Mercatore: *Egomet memor, tu puere, ab' hinc intro ocius.* Idem in Curculione: *Cedo, puere, sinum, quid facturus? jam scies.* Quod quibusdam rectius a puerus nominativo esse videtur. Si vero in eus desinat nominativus, magis Graecum servamus vocativum. Horatius in I. Epist. *Pentheu rector Thebarum.* Statius in VIII. Thebaidos: *Vade, o primis puer inclute bellis Arcas, et Argolicae Capaneu jam maxime turmae.* Probo tamen et quibus- 18
dam aliis artium scriptoribus, et o Penthee, et o Tydee, et o Ilionee posse dici secundum analogiam Latinam placet, quod in usu non inveni. In us vero terminantia si sint propria, i ante us habentia, abjecta us faciunt vocativum, ut hic Virgilius o Virgili, hic Salustius o Salusti, hic Pompejus o Pompei. Haec tamen eadem etiam in e proferebant antiquissimi, o Virgilie, o Mercurie dicentes. Livius Andronicus in Odissia: *Neque enim oblitus sum te, o Laertie noster.* Laevius in Sireno: *Circa nunc Laertie velle para ire Ithacam.* Laertius enim pro Laertes dicebant, quomodo et Graeci *Λαέρτιος* pro *Λαέρτης.* *Σοφοκλῆς ἐν Αἴαντι μαστιγοφόρῳ: Ἀτὰρ μὲν, ὦ παῖ Λαερτίου, δέδορκά σε.* Juniores autem, gaudentes brevitate, per abscisionem extremae protulerunt pro Virgilie Virgili, et pro Mercurie Mercuri. Horatius in primo Carminum: *Mercuri, facunde nepos Atlantis.* In eodem: *Multis ille bonis flebilis occidit, nulli flebilior*

Luth. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. auctoritate omisi *es*. Pro *scies* Zwicc. 2. *sies*. Lips. 1. *scias*.

Horatius in I. Epist. 16. vs. 73. 74.

§. 18. *Livius in Odissia Neque enim oblitus sum te, o Laertie noster.* Vulgo, *neque enim te oblitus sum, Laertie noster. Te* transposui secundum Codd. Zwicc. 1. Dresd. Erl. 2. o recepi e Cod. Erl. 2. Pro *enim* MSS. Lips. 2. Zwicc. 1. *tamen*.

Laevius in Sireno. *Laevius* edidi pro *Livius* e Cod. Lips. 2. *Sireno* pro *Sereno* scripsi Codd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb. Zwicc. 2. Luth. Pro *cura* edidi *circa*, cum hoc referant MSS. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. Pro *ire* Zwicc. *iter*. Edd. Ven pro *nunc* legunt *ne*. Locus Sophoclis legitur in Aj. ab initio.

per abscisionem extremae. Ita Codd. Vulgo, *per extremae syllabae abscissionem.* Codices nostri constanter exhibent *abscisio* per unum s scriptum.

Horat. in primo Carm. Ode X. *In eodem.* Ode XXIV. vs. 9. 10.

quam tibi, Virgili. Unde accentus perfecti vocativi in his servatur. Si enim non esset abscisio, debuerunt hujuscemodi vocativi, id est qui in i desinentes penultimam correptam habent, antepenultimam acuere, ut Virgili, Mercuri, quod minime licet; nam penultimam acuimus. In abscisionibus enim, si ea vocalis, in qua est accentus, integra manet, servat etiam accentum integrum, ut audivit audit, nostratis nostras, illicce illic.
19 De Pompei, et Vultei, et Cai, et similibus vocativis, quae i loco consonantis ante us habent in nominativo, dubitatur, utrum i extrema pro vocali, an pro consonante sit accipienda, quomodo in aliis casibus: quod magis more antiquo rationabilius esse videtur. Nam solebant illi non solum in principio, sed etiam in fine syllabae ponere i loco consonantis, idque in vetustissimis invenies scripturis, quotiens inter duas vocales ponitur, ut eiius, Pompeiius, Vulteiius, Caiius. Quod etiam omnes, qui de litera curiosius scripserunt, affirmant. Necnon etiam metra ostendunt quod dicimus, et regulae ipsius ratio in supradicto vocativo. Omnis enim vocativus in i desinens una syllaba minor esse debet nominativo suo, ut Salustius o Salusti, Virgilius
20 o Virgili, Terentius o Terenti. Ergo si Pompejus et Vultejus trisyllaba sunt in nominativo, necessario in vocativo dissyllaba esse debent: quod non potest fieri, nisi i loco consonantis accipiatur. Unde illud quoque possumus scire, quod bene cui pro monosyllabo accipiunt metrici, et huic. Omnis enim genitivus in ius desinens, una vult superare syllaba suum dativum, ille illius illi, ipse ipsius ipsi, unus unius uni, alter alterius alteri. Alius quoque per duas ii debuit esse genitivus causa dativi, quod est alii, sed vel hiatus causa est, vel quia inter duas vocales i vocalis esse non poterat. Dativus etiam loco consonantis eam accipi

---

§. 20. *Dativus etiam loco consonantis.* Scripsi *etiam* pro *autem* auctoritate Codicis Zwicc. 2. Mox pro *quam duplicabat* edidi *quia duplicat.* Haec enim est lectio MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2.

Coelius in V. Scripsi *Coelius* pro *Caecilius* auctoritate MSS. Erl. 2. Lips. 1. Luth.

§. 21. *Virg. in II. Aen.* 274. Pro *Hei* edidi *Ei*, quod Codices praestant et editiones Venetae. Mox pro *positam* e Codd. recepi *positam.*

prohibebat, quia ipse duplicat vocalem. Et credo differentiae causa, ne ali verbum infinitum esse putaretur. Ideo plerique recusaverunt cum frequenti usu proferre. Vetustissimi tamen similem genitivum nominativo posuisse inveniuntur, sed accentu differt. Quippe circumflectitur in genitivo penultima. Caesar in Anticatone priore: *Uno enim excepto, quem alius modi atque omnis natura finxit, suos quisque habet caros.* Coelius in quinto: *Nullius alius rei nisi amicitiae eorum causa.* Ei quoque cum rationabiliter monosyllabum esse debe- 21
ret, cum genitivus ejus sit dissyllabus, per diaeresim a poetis proferri invenitur differentiae causa, ne, si monosyllabum sit, interiectio esse putetur. Virgilius in II. Aeneid. *Ei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore!* Nihil tamen mirum i loco consonantis positam transire in vocalem, cum u quoque idem patiatur in quibusdam dictionibus apud poetas, ut Horatius in Epodo: *Nivesque deducunt Iovem, nunc mare nunc siluae.* Hic enim divisione facta uae extremae syllabae u a consonante transit in vocalem. Est enim dimetrum iambicum conjunctum semiquinariae heroicae. Similiter ergo ei et eis et eidem et cisdem per diaeresim proferuntur. Juvenalis in V. *Iuvenes hortantur ut illam, ire viam pergant, et eidem incumbere sectae.* In eodem: *Cera nunc hac dictante puellas implet, et ad moechos dat eisdem ferre cinaedis.* In compositione autem nec aliter possunt proferri, cum consequens consonans cogit i secum loco vocalis proferri. Cui quo- 22
que inveniuntur quidam dissyllabe protulisse per diaeresim, ut Albinus rerum Romanarum primo: *Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis sponte deum patuere, cui freta nulla repostos abscondere sinus, non tutae moenibus urbis.* Quod autem Pompei, et Vultei, et Cai, et similia i finalem, et ante eam vocalem pro una syllaba

---

Horatius in Epodo, XIII. vs. 2. Pro *semiquinariae heroicae* MS. Dresd. *semiquinario heroico.*

Iuven. in V. XIV. 122. *In eodem.* Sat. 14, 29 seqq. MS. Lips. 2 *moechas.* Mox *consequens* secundum MSS. Luth. Erl. 1. 2. edidi pro *sequens.*

§. 22. Pro *dissyllabe*, quod libri editi exhibent, plures Codices, inter quos Zwicc. 1. Luth. Erl. 2. Dresd. Lips. 1., *bissyllabe* sive *bisyllabe*, quod recte mihi videtur scribi propter formam adverbialem Latinum. Zwicc. 2. *dissyllabam.* In Al-

habent, usus quoque confirmat. Horatius in I. Epistolarum: *Durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris.* Vultei dissyllabum accepit secundum analogiam. Alia vero omnia in us desinentia masculina seu foeminina conversa us in e faciunt vocativum, hic Priamus o Priame, pius pie, mirtus mirte. Excipitur unum, quod tam in e quam in i facit vocativum, quamvis sit appellativum, o filie et o fili. Livius Andronicus in Odissia: *Pater noster, Saturni filie.* Catullus autem: *Tu praeter omnes une de capillatis Celtiberosae Celtiberiae fili.* Terentianus de syllabis: *Hic prius tu Basine fili, et tu gener Novate mi.* Est tamen quando nominativo quoque in us terminante pro vocativo sive metri, sive euphoniae causa utuntur. Virgilius in VIII. *Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.* Lucanus in II. *Degener o populus vix secula longa decorum, sic meruisse viris.*

VI 23 Pluralis nominativus et vocativus secundae declinationis, tam masculini quam foeminini generis in i finitur, et est similis genitivo singulari, ut hujus docti, hi et o docti, hujus platani, hae et o platani. In neutris vero extremam i genitivi singularis mutantes in a brevem, facimus nominativum et accusativum et vocativum pluralem, ut hujus templi, haec et o templa,

---

bini loco proxime sequenti *urbis* reposui e Cod. Lips. 2. pro *urbes*. Pro *celsa* MS. Lips. 1. *cesa*.

Horatius in I. Epistolarum. ep. 7. vs. 91. In proxime sequentibus pro *accipit* edidi *accepit* auctoritate MSS. Lips. 2. Erl. 1. Luth. Deinde eadem ratione commotus transposui verba *in us desinentia*, et omisi *o* ante *pie*, *mirte*. Post *mirtus*, *mirte* in Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. additum legitur *scyphus o scyphe*. Nullus meorum quidem Codicum hanc vocem refert. Plurimi omittunt. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Editt. etiam Ven. MS. Lips. 1. *Scithius*, *o Scithie*. Lips. 2. *Sinthus*, *o Sinthe*. In MS. Luth. supra scriptum *Cinthius* (e corr. *Cynthus*) *o Cinthe*. Dresd. *Sithius*, *o Sithie*. Equidem frequentiam Codicum omittentium secutus sum.

Catullus autem. Est carm. XXXVII. s. fin. Expuli *cuniculosae*, quod invitis Codicibus meis intrusit Putschius. Nam hi ad unum omnes *Celtiberosae* praestant, quod Edd. Ven. etiam receperunt. Cf. supra ad Lib. V. §. 77.

In us terminante. Sic Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. nisi quod tres per i proferunt ablativum participii.

hujus munii, haec et o munia. Alii vero casus plurales in tribus generibus communem possident regulam.

Et genitivus quidem fit in omni genere ablativo 24
singulari assumente rum, ut ab hoc viro, horum virorum, ab hac platano, harum platanorum, ab hoc templo, horum templorum. Inveniuntur tamen per concisionem mediae syllabae masculinorum plerumque nominum, quae neutra non habent, hunc casum proferentes maxime poetae. Est autem etiam apud veteres prosam scribentes idem invenire, sed raro. Virgilius in primo Aeneid. *It caelo clamorque virum stridorque rudentum*, pro virorum. Idem in III. *Cura deum, bis Pergameis erepte ruinis*, pro deorum. Idem in V. *Genus alto a sanguine diôum*, pro divorum. Nummum vero pro nummorum, et liberum pro liberorum, et sestertium pro sestertiorum, et jugerum pro jugerorum, modium pro modiorum, medimnum, senum, septenum, denum, frequenter etiam oratores per syncopam solent proferre. Cicero in VI. Verrinarum: *Iste unus inventus est, qui ex complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, et parentes pretium pro sepultura liberum poscret.* In eodem: *Cum asserat sestertium vicies quingenta millia rem esse constaret.* In eodem: *Quis est enim, qui tueri possit liberum nostrorum pueritiam contra improbitatem*

Virg. in VIII. vs. 77. *Lucanus in II.* vs. 116.

§. 24. *Et genitivus quidem fit.* Edd. addunt ad *genitivus* vocem *pluralis*, quae abest a MSS. nec requiritur ad sententiam perfectam, cum ex nexu ultro pateat, de genitivo plurali hoc quidem loco agi. Mox ante *ablativo* Codd. Lutherii et Dresdensis, Lips. 1. Erl. 2. auctoritate omisi *ab* et sublato post *singulari* commate sequens *assumente* cum *genitivo* construi volui. Erl. 1. *assumpta.* Codd. Lips. 2. Erl. 1. tuentur *ab.*

apud veteres prosam scribentes. Hanc vulgatam lectionem tuentur Codd. Lips. 1. 3. Erl. 1. Dresd. Zwicc. 2. Cod. Erl. 2. *veteres prosam* ab alia manu in margine scriptum refert. In Cod. Luth. *veteres* supra scriptum est. In Cod. Zwicc. 1. idem in margine. Pro *invenire* unus *inveniri.*

Virg. in I. Aen. vs. 87. Pro *it caelo* ibi legitur *insequitur. Idem in III.* vs. 476. *Idem in V.* vs. 45. *genus alto a sanguine.* MS. Dresd. *ab.* Erl. 2. *genus alto sanguine*

Cicero in VI. Verrin. Vulgo *tertio.* Ego Codicis Lips. 2. lectionem recepi. Est Act. II. Liber I. Cap. 3. *unus* non legitur in libris Ciceronis.

In eodem. Est Cap. 58. s. fin.

magistratuum? Idem in VII. Verrinarum: *Et pueri annorum senum, septenumque denum, senatorum nomen nundinati sunt.* Senum pro senorum, septenum pro septenorum, denum pro denorum dixit. Idem in Frumentaria: *Sed tritici septies medimnum ex Nymphonis arationibus tollit*, medimnum pro medimnorum. In eadem: *Minus te jugerum professum esse dico*, pro jugerorum. 25 Nam quod singulare hujus hoc jugerum est, ipse ostendit in eadem: *In jugerum Leontini agri medimnum fere tritici seritur.* Dicitur tamen et hoc jugus jugeris: unde Juvenalis in IV. *Jugeribus paucis lumbos donare clientis.* Cicero in IIII. Verrinarum: *Quid, si doceo judices eos, qui coco milia modium lucri faciunt?* pro modiorum. Idem pro Muraena: *Praefectum fabrum*, pro fabrorum. Idem pro Varenо: *Deum fidem*, pro deorum. Idem pro Cluentio: *Milibus quadragenis nummum*, pro nummorum. Idem ad Herennium libro III. *Pedum tricenum*, pro tricenorum. Frequentius tamen hac utitur et Cicero et caeteri syncopa in eis nomi- 26 nibus, quae numeros vel mensuras significant. Recusant autem hoc in masculinis habentibus neutra vel in neutris, ne similis sit nominativo singulari neutrorum: quamvis in iis quoque nominibus, quae ex se faciunt neutra, licet non frequens, invenitur tamen usus hujuscemodi concisionis. Virgilius in IX. *Altaque certant prendere tecta manu sociumque attingere dextras*, pro sociorum. Idem in X. *At Rutulum abscessu juvenis tum jussa superba*, pro Rutulorum. Quamis et socius socia socium, et Rutulus Rutula Rutulum dicatur. Teren-

---

Idem in VII. Verr. Est Cap. 49. *Idem in Frumentaria.* Cap. 21. Edd. Ven. *et Menemphonis.* Pro *arationibus* ineptissime nonnulli Codd. *orationibus.*

§. 25. *In eadem.* vide Ind. *In eadem.* Cap. 47. *In jugerum.* Ita Codd. mei. Libri Ciceronis vel *in jugere* vel *in jugero.* Pro vulgato *frumenti* e Codicibus meis recepi *tritici.*

Unde Juvenalis in IV. Est Sat. IX, 59. Hic etiam locus negligenter redditus est. Pro *clientis* plures Codd. *dicentis*, quod notavi, ut, *d* et *cl* in Codd. saepe confusa esse, appareat.

§. 26. *in iis quoque nominibus.* Vulgo *his*, quod Codd. plures et Grammatica damnant. *Virg. in IX.* vs. 558. *Idem in X.* vs. 445. *abscessu* edidi secundum MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 2. Edd. Ven. Ald. Colon. Bas. Putsch. *accessu.*

Terentius in Heaut. Prol. 27. *Statius in I. Theb.* 549-50. Cod.

tius in Heautontimorumeno: *Quare omnes vos oratos volo, ne plus iniquum possit quam aequum oratio*, pro iniquorum et aequorum. Statius in I. Thebaidos: *Illa novos ibat populata Penates, portarum in bivio lateri duo corpora parvum dependent*, parvum pro parvorum. Virgilius in III. *Magnanimum quondam generator equorum.* Idem in sexto: *Magnanimum heroum pueri innuptaeque puellae.* Quod et in pronominibus quoque fecerunt antiqui, meum pro meorum, tuum pro tuorum, nostrum pro nostrorum dicentes. Plautus in Trinummo: *Ut rem patriam et gloriam majorum foedarim meum.* Idem in Poenulo: *Ecquid meministi tuum parentum nomina?* Idem in Menaechmis: *Averti praedam ab hostibus nostrum salute socium.*

Dativus et ablativus pluralis secundae declinationis 27
fiunt similiter ab ablativo singulari, mutatione o finalis in is longam, ut a viro, his et ab his viris, a platano, his et ab his platanis, a templo, his et ab his templis. Inveniuntur pauca inaequalem habentia declinationem, ut vas in singulari numero tertiae est declinationis, hoc vas hujus vasis, in plurali vero secundae, haec vasa horum vasorum. Festorum etiam nomina dierum in ia desinentia semper pluralia, genitivum quidem tam secundum formam secundae quam tertiae proferunt, dativum vero et ablativum secundum tertiam, ut haec Vulcanalia horum Vulcanaliorum et Vulcanalium, his et ab his Vulcanalibus. Similiter Saturnalia, Floralia, Compitalia, Terminalia, Quinquatria. Necnon a domo harum domorum et domuum, his et ab his domibus,

---

Lips. 2. post *ibat* addit *frangens*. Pro *Portarum* MS. Zwicc. 1. *post arvum*. Addidi e Codicibus meis *parvum* ante *pro parvorum*. *Virg. in III.* 704. *Idem in sexto.* vs. 307.

quod et in pronominibus. MSS. Zwicc. 1. Lips. 2. Erl. 1. 2. *et* inseri jusserunt. *Plautus in Trinummo.* Act. III. Sc. 2. vs. 30. *Idem in Poen.* Act. V. Sc. 2. vs. 101. Pro *ecquid* plures Codices *et quidem*; alii *et quid*. Edd. Ven. *et quod*.

Idem in Menaechmis. Act. I. Sc. 2. vs. 29. Scripsi *averti* pro vulgato *avertit* ex MSS. Zwicc. 1. 2.

§. 27. *Dativus et ablativus pluralis.* Ita secundum MSS. Luth. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 2. edidi pro *plurales*.

haec vasa horum vasorum. Detexi, quod vulgo additur, *his et ab his vasis*, cum a MSS. Zwicc. 1. Luth. Lips. 2. absint et in Codd. Lips. 1. Erl. 2. in margine leguntur.

non etiam domis. Juvenalis in I. *Viscera magnarum domuum dominique futuri.* Virgilius in II. Aeneidos: *Turres ac tecta domorum culmina convellunt.* Idem in II. Georg. *Domibus cedrumque cupressosque.* Salustius in Catilinario: *Domos suas gloria decorabant.* Terentius in Eunucho: *Domi focique fac vicissim ut memineris.* Virgilius in VI. Aen. *Hic labor ille domus et inextricabilis error.* Per omnes igitur casus tam secundae quam quartae invenitur absque dativo et ablativo pluralibus, qui semper in bus exeunt. Sunt tamen quaedam nomina, quorum aliqui casus in usu deficiunt: quos quamvis secundum analogiam possumus proferre, tamen, quia apud auctores non invenimus, recusandos puto, ut hujus tabi, huic et ab hoc tabo. Lucanus in sexto: *Stillantis tabi saniem.* Virgilius in III. Aeneidos: *Et terram tabo maculant, mihi frigidus horror.* Caeteri vero casus in usu
28 non facile inveniuntur. Maria, aera, vina, mella, hordea, genitivos et dativos plurales in usu raro habent, nisi apud vetustissimos: apud quos multa praeterea deficientia invenies. Oportet igitur scire quidem analogiae rationem, usum tamen auctorum magis aemulari. Duo praeterea et ambo genitivos quidem et accusativos secundum hanc declinationem proferunt, duorum amborum, duos ambos, quamvis in neutro differentiae causa duum soleat dici, necnon accusativus masculinorum est quando similis nominativo profertur, quomodo in neutris. Virgilius in XI. *Si duo praeterea tales Idaea tulisset terra viros.* Lucanus in I. *Quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem, non cepit fortuna duos.*

Juvenalis in I. Est Sat. III. vs. 72. *Virg. in II. Aen.* vs. 446. Omisi *Dardanidae contra* ab in. Codd. auctoritate. *Idem in II. Georg.* vs. 443. Pro vulgato *cedros* secundum MSS. Lips. 2. Luth. Erl. 2. Dresd. edidi *cedrum.* *Salustius in Cat.* Cap. 12. §. 4. Edidi *domos* pro *domus;* ita enim MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 2. Dresd. Edd. Ven. scribi jubent. Cf. Corte ad l. Sal.

Terentius in Eun. Act. IV. Sc. 7. vs. 45. *Virg. in VI. Aen.* vs. 27. *Lucanus in VI.* vs. 548. *Virg. in III. Aen.* vs. 29.

§. 28. *genitivos et dativos.* Post *genitivos* omisi *quidem,* quod libri editi inserunt, nostri vero Codices plerique ignorant. *duos ambos.* Codd. Lips. 2. Zwicc. 2. jussu omisi *et* post *duos.* *Virg. in XI.* vs. 286. *Lucanus in I.* 110. *Juven. in II.* Est Sat. 6. vs. 641.

Dativos vero et ablativos. Inserui e Codd. Luth. Lips. 1. 2. 3.

Juvenalis similiter in II. *Tune duos una saevissima vipera coena, tune duos?* Dativos vero et ablativos in bus terminant in omni genere, duobus duabus, ambobus ambabus.

Accusativus pluralis secundae declinationis in masculino et in foemininо genere fit, ablativo singulari addita s, ut a docto hos doctos, a platano has platanos. Neutra enim semper accusativum similem habent nominativo et vocativo.

Tertia declinatio terminationes habet nominativi septuaginta octo vel paulo plus. Desinit enim in a correptam, in e correptam, in o correptam, in o productam, in al correptam, in el correptam, in el productam, in il correptam, in ol productam, in ul correptam, in an productam, in en correptam, in en productam, in in productam, in on productam, in ar correptam, in ar productam, in er correptam, in er productam, in ir correptam, in or correptam, in ur correptam, in ur productam, in as correptam, in as productam, in es correptam, in es productam, in is correptam, in is productam, in os correptam, in os productam, in us correptam, in us productam, in ys, in aes, in aus, in ans, in ens, in ons, in uns, in yns, in ars, in ers, in ors, in urs, in uls, in ems, in abs, in ebs correptam, in ebs productam, in obs, in ybs, in urbs, in aps, in eps, in ops, in yps, in irps, in ax correptam, in ax productam, in ex correptam, in ex productam, in ix correptam, in ix productam, in ox correptam, in ox productam, in ux correptam, in ux productam, in yx, VII 29

Erl. 1. 2. Dresd. *vero.* Mox neutrum *duobus* et *ambobus* delevi, cum a MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. absit.

Accusativus pluralis secundae decl. Vulgo, *ejusdem decl.* Equidem Codices meos secutus sum. Mox ante *ablativo* Codicum auctoritate delevi *ab* et *ablativo* cum *addita* construi volui. *A docto* scripsi pro *ab hoc docto* secundum Codices, qui *et* ante *nominativo* deleri jusserunt.

§. 29. Ante *in e correptam* et *in o productam* delevi *et*. *In ul correptam.* Plures Codd. omittunt *correptam*. *In ons.* Omisi *productam et correptam*, quas voces libri editi addunt. Codices variant. Nonnulli *utraque corripiunt et producunt*. Post *in ut* Codicum auctoritate Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. omisi *in ud*.

in aex, in aux, in alx, in anx, in unx, in arx, in ac,
30 in ec, in ut. In a correptam neutra et Graeca, ut hoc poema hujus poematis. In e correptam neutra Latina, ut hoc monile hujus monilis. In o correptam, quam frequenter et producunt poetae, masculina desinunt vel foeminina, vel communia Latina, vel notha, hic Cicero hujus Ciceronis, hic leo hujus leonis, haec virgo hujus virginis, hic et haec homo hujus hominis. Antiquissimi tamen et Graeca in o productam desinentia per hanc declinationem proferebant, ut Sappho Sapphonis, Dido Didonis. In al correptam masculina neutra Latina, et barbara, ut hic sal hujus salis, hic Annibal hujus Annibalis, hoc tribunal hujus tribunalis. In el correptam neutra Latina, ut hoc mel hujus mellis, fel fellis. In el productam barbara, ut hic Daniel hu-
31 jus Danielis, Michael Michaelis. In il correptam masculini vel foeminini vel communis generis sunt Latina, ut hic pugil pugilis, haec Tanaquil hujus Tanaquilis, hic et haec vigil hujus vigilis. In ol productam masculinum Latinum, ut hic sol hujus solis. In ul correptam masculini vel communis Latina, hic consul hujus consulis, hic et haec exul hujus exulis. In an productam masculina Graeca, ut hic Paean hujus Paeanis. In en correptam Latina masculina vel neutra, ut hic flamen hujus flaminis, hoc numen hujus numinis. In en productam Latina vel Graeca, masculini vel foeminini generis, hic lien hujus lienis, haec Siren hujus Sirenis. In in productam Graeca, masculina vel foeminina, hic Delphin hujus Delphinis, haec Trachin hujus Trachinis. In on productam Graeca, masculina vel foeminina, hic Memnon hujus Memnonis, haec Sidon hujus Sidonis. In ar correptam Latina et Graeca et barbara, masculini vel neutri generis, hic Caesar hujus Caesaris, hic Bostar hujus Bostaris, hoc nectar hujus nectaris,
32 hoc calcar hujus calcaris. In ar productam Latina, ma-

---

§. 30. Post *Danielis* in Edd. legitur *Nechamel*, *Nechamelis*. Omittunt inter Codices meos Lips. 2. Erl. 1. Dresd. Lips. 3. Ego etiam hac auctoritate commotus expunxi.

§. 32. *Hic et haec auctor.* Vulgo additur *et hoc.* Delevi neutrum, non solum quod plures Codices et Edd. Ven. omittunt, sed etiam quod paulo post inter ea nomina ponitur, quae figurate neutris adduntur. *Virg. in IV. Aen.* 520.

sculini vel communis vel neutri generis, et sunt monosyllaba vel ex monosyllabis composita, ut hic Nar hujus Naris, hic et haec et hoc par hujus paris, dispar disparis, hoc far hujus farris. In er correptam, masculina et foeminina et neutra et communia, ut hic pater hujus patris, haec mater hujus matris, hoc tuber hujus tuberis, hic et haec pauper hujus pauperis. In er productam, masculina Graeca et unum Latinum vel magis nothum, neutri generis, hic aer hujus aeris, hoc ver hujus veris. In ir correptam, unum foemininum, haec Gadir hujus Gadiris. Quidam addunt hic Abaddir, ὁ βαίτυλος, hujus Abaddiris, lapis, quem pro Jove devoravit Saturnus, sed in usu hoc non invenitur. In or correptam, masculina et foeminina et neutra et communia, tam Graeca quam Latina, hic Hector hujus Hectoris, hic orator hujus oratoris, haec uxor hujus uxoris, hoc aequor hujus aequoris, hic et haec auctor hujus auctoris, hic et haec et hoc memor hujus memoris. Virgilius in IIII. Aeneidis: *Tum si quod non aequo foedere amantes curae numen habet, justumque memorque precatur.* Invenitur tamen et hoc et omnia pene communia masculini et foeminini, quae etiam si non faciunt ex se neutra, saepe tamen neutris adjunguntur figurate, ut Virgilius in X. *Italiam petiit fatis auctoribus esto.* Et in Bucolico: *Pauperis et tuguri congestum cespite culmen.* Et in VI. *Curibus parvis et paupere regno.* Quamvis pluralis nominativus eorum, hoc est neutrorum, ex supradictis nominibus in usu frequenti non sit ex eis, quomodo neque ex aliis communibus duum generum. Nam si sint communia trium generum, sine dubio masculini quidem et foeminini in es, neutri vero in a proferunt nominativum pluralem, ut hi et hae sapientes et haec sapientia, ergo hic et haec et hoc sapiens, hi et hae pares et haec paria, hic et haec et hoc par, hi et hae ancipites et haec ancipitia,

---

§. 33. *Virg. in X.* vs. 67. *Idem in Buc.* I. vs. 69. *Et in VI.* vs. 812.

neutri vero in a proferunt nominativum. Haec est lectio MSS. Luth. Zwicc. Dresd. Lal. 1. 2. Lips. 1. 2. Vulgo, *proferent in a nominativum.* *Virg. in IX.* vs. 447. *Juven. in V.* Vulgo, *VI.* Illud Cod. Heidelb. v. Ind.

hic et haec et hoc anceps, hi et hae felices et haec felicia, hic et haec et hoc felix, hi et hae veteres et haec vetera, hic et haec et hoc vetus. Quae igitur in plurali numero a terminationem non accipiunt, quae propria est neutrorum, manifestum est, trium generum non esse communia, sed masculini et foeminini, figurate tamen per obliquos plerumque casus, raro autem per nominativum conjungi etiam neutris, ut Virgilius in IX. *Nulla dies unquam memori vos eximet aevo.* Et Juvenalis in V. Satira: *Titulique cupido haesuri saxis cinerum custodibus.* Quamvis hoc custos raro, nisi figurate invenies, et haec custodia pluraliter nemo dicat. Sic ergo neque haec memora, vel auctora, vel paupera, neutraliter puto facile in usu posse inveniri, sed, sicut supradictum est, figurate sunt prolata, et haec et
34 alia plurima hujusmodi apud auctores. Inveniuntur tamen quaedam, quae obliquos casus communes possident, quamvis nominativus non sit communis, ut plus, cum sit neutri nominativus duntaxat, genitivus ejus communis est trium generum, nec non et dativus et ablativus. Unde pluralia quoque tam in es quam in a invenimus, hi et hae plures et haec pluria vel plura, unde compositum compluria. Terentius in Phormione: *Multa advenienti nova, ut fit, compluria.* Ablativus quoque tam in e quam in i terminans invenitur, utpote communis trium generum. Et accusativus pluralis tam in es quam in is. Virgilius in primo Georg. *Seu pluris calor ille vias et caeca relaxat spiramenta.* Horatius In I. Epistolarum: *Tractus uter pluris lepores, uter educet apros.* In ur correptam Latina, masculina et communia et neutra, hic turtur hujus turturis, hic et haec augur hujus auguris. Horatius in III. Carminum: *Nisi fallit augur, annosa cornix.* Hoc Tibur hujus Tiburis. In ur productam unum invenitur commu-

---

§. 34. *nec non et dativus.* Adjeci *et* e MSS. Zwicc. Luth. Lips. 2. *Terentius in Phorm.* Act. IV. Sc. 3. vs. 6. *Virg. in I. Georg.* vs. 89. *Horat. in I. Epist.* XV. vs. 22. *Horat. in III. Carm.* 17. vs. 13.

§. 35. *hoc Ceras, proprium loci.* Plures Codices, nec ii spernendi, omittunt *proprium loci. Ovidius in II. Metamorphoseon.* vs. 415.

ne duum generum, ut hic et haec fur hujus furis. In VIII
as correptam Graeca masculini vel foeminini vel neutri 35
vel communis generis, hic Arcas hujus Arcadis, haec Pallas hujus Palladis, hoc Ceras, proprium loci, hujus Ceradis, hic et haec Arcas, gentile, hujus Arcadis. In as productam Graeca et Latina masculini vel foeminini vel neutri vel communis generis, ut hic Atlas hujus Atlantis, hic Maecenas hujus Maecenatis, haec civitas hujus civitatis, hoc vas hujus vasis, hic et haec Capenas hujus Capenatis. In es correptam Latina masculina vel foeminina vel communia duum vel trium generum, ut hic Cocles hujus Coclitis, haec seges hujus segetis, hic et haec miles hujus militis. Ovidius in II. Metamorphoseon: *Miles erat Phoebes:* de Calistone dicit. Hic et haec et hoc teres hujus teretis. Virgilius in VII. *Sed haec tereti mos est aptare flagello.* Hebes hebetis, sospes sospitis. Juvenalis in III. *Nec unquam depositum tibi sospes erit.* Hic et haec et hoc hospes hujus hospitis. Lucanus in V. *Hospes in externis audivit curia tectis.* Haec hospes curia. Invenitur tamen et haec hospita. Virgilius in III. Aeneid. *Bellum, o terra hospita, portas.* Similiter sospes et sospita prolatum est ab auctoribus. Ovidius in II. Fastorum: *Sospita delubris dicitur aucta novis.* Neutra quoque supradictorum 36
pluralia tradit usus. Statius in IIII. Thebaidos: *Accipias, fessisque libens iterum hospita pandas flumina.* In es productam tam Graeca quam Latina masculini generis vel foeminini vel communis, ut hic Chremes hujus Chremetis vel Chremis, hic Verres hujus Verris, haec caedes hujus caedis, hic et haec haeres hujus haeredis. In is correptam tam Graeca quam Latina masculini generis vel foeminini vel communis, hic Paris hujus Paridis vel Paris, hic collis hujus collis, haec Thetis hujus Thetidis vel Thetis, haec cuspis hujus cuspidis,

---

Virg. in VII. vs. 457. Initium loci: *teretes sunt aclides illis tela*, delevi, cum absit a MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Zwicc. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. Pro *tereti* autem, quod ego e MSS. et Edd. Ven. restitui, in libris Virgilii editis legitur, *tento*. *Juvenalis in III.* Est Sat. XIII. vs. 178. Scripsi III. e Codd. Lips. 1. 2. Erl. 1. *Lucanus in V.* vs. 11. *Ovid. in II. Fast.* vs. 56.

§. 36. *Statius in IV. Theb.* vs. 842. Pro *libens* Lips. 2. *libans*.

hic et haec utilis hujus utilis. In is productam Graeca et Latina, masculina vel foeminina vel communia, ut hic Delphis vel Delphin hujus Delphinis, hic Aris proprium hujus Arinis. Cicero pro Scauro: *Arinis uxorem.* Haec Soteris hujus Soterinis. Plautus in Vidularia: *Immo id quod haec nostra est patria, et quod hic meus pater, illic autem Soterinis est pater.* Hic Dis proprium est, id est Pluto, hujus Ditis. Hic et haec dis, appellativum, hujus ditis, haec vis hujus vis, hic et haec
37 Samnis hujus Samnitis. In os correptam unum Latinum neutrum, hoc os hujus ossis, quod etiam hoc ossum antiqui protulerunt. Gellius lib. XXX. *Calvariaeque ejus ipsum ossum expurgaverunt inauraveruntque.* In os productam Graeca et Latina masculini vel foeminini vel neutri vel communis generis, ut hic heros hujus herois, hic nepos hujus nepotis, haec dos hujus dotis, hoc os hujus oris, hic et haec compos hujus compotis. In us correptam Latina, masculini vel foeminini vel neutri vel communis, duum vel trium generum, hic lepus hujus leporis, haec Venus hujus Veneris, hoc tempus hujus temporis, hic et haec Ligus hujus Liguris, hic et haec et hoc vetus hujus veteris. In us productam Graeca vel Latina, masculina vel foeminina vel communia vel neutra, ut hic Melampus hujus Melampodis, hic mus hujus muris, haec virtus hujus virtutis, hic et haec
38 sus hujus suis, hoc tus hujus turis. In ys Graeca, masculina vel foeminina, hic amphibrachys hujus amphibrachyis, hic Capys hujus Capyis, haec Erinnys hujus Erinnyis. In aes Latinum unum masculinum, ut hic praes hujus praedis, et unum neutrum, hoc aes hujus aeris, cujus plurales obliqui in raro sunt usu, aera ae-

---

Plautus in Vidularia. Pro *haec* Edd. Ven. *hic.* Post *hic meus* Codd. Erl. 2. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. auctoritate omisi *est*, quod Lips. 2. Erl. 1. tuentur.

§. 37. *Gellius libro XXX.* Hic Cn. Gellii, historici, locus a Charisio etiam Grammatico Lib. I. ed. Putsch. p. 40. allegatur, ita tamen ut pro XXX ibi legatur XXXIII, pro *expurgaverunt expurgarunt* et pro *inauraveruntque inauraruntque.*

§. 38. Infra §. 60. haec eadem Catonis oratio sub hoc titulo, *qua in senatu suasit*, omissis reliquis allegatur. Sunt etiam inter meos Codices, qui *ut plura aera equestria fierent* ad orationem contextam trahant. Equidem non video, quomodo tum *fierent* imperfectum defendi possit. Scripsi autem pro *in senatu suasit* secundum Codd. *suasit in senatu.* In

rum aeribus. Cato in oratione, qua suasit in senatu, ut plura aera equestria fierent: *Nunc ergo arbitror oportere restitui, quo minus duobus milibus ducentis sit aerum equestrium.* In eadem: *De aeribus equestribus de duobus milibus actum.* In aus Latina duo foemininа, ut haec laus hujus laudis, haec fraus hujus fraudis. In ans Latina, masculina vel communia, duum vel omnis, hic quadrans hujus quadrantis, dodrans dodrantis, hic et haec infans, τὸ νήπιον, infantis, hic et haec et hoc infans, ὁ ἄλαλος, infantis. Et amans, quod nomen est, cum pro amatore accipitur, amantis. Invenitur unum foemininum, haec glans hujus glandis. Sic enim Lucretius, ut supra dictum est, profert. Et Ovidius in XIV. Metamorphoseon: *Ut lata plumbea funda missa solet medio glans intabescere caelo.* In ens Latina, masculina, 39
foeminina, vel communia, duum vel trium generum, hic Ufens hujus Ufentis, haec mens hujus mentis, hic et haec parens hujus parentis, hic et haec et hoc prudens hujus prudentis. In ons Latina, masculina vel foeminina vel omnis generis, ut hic mons hujus montis, haec frons hujus frontis, hic et haec et hoc insons hujus insontis, quod solum, teste Proba, o ante ns habet correptam, et ejus simplex sons sontis. In uns similiter Latina masculina, hic Aruns hujus Aruntis. In yns unum Graecum invenitur foemininum, haec Tiryns hujus Tirynthis. In ars Latina masculina vel foeminina, hic Mars hujus Martis, haec ars hujus artis. In ers Latina omnis generis, hic et haec et hoc iners hujus inertis. In ors Latina masculina vel foeminina vel omnis, ut hic Mavors hujus Mavortis, haec cohors hujus cohortis, haec sors hujus sortis, cujus nominativum haec

---

sequenti loco pertinet fortasse *de aeribus equestribus* ad titulum orationis. Pro *nunc ergo* Edd. Ven. *nunc ego.* Mox ante *duobus milibus* plures Codd. omittunt *de. Communia, duum vel omnis.* Ita MSS. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Vulgo, *trium generum. Ovidius in XIV. Metamorph.* ve. 826.

§. 39. *In yns unum Graecum.* Quod post *foemininum* in libris editis legitur, post *unum* posui Codd. auctoritate.

In ens Latina omnis generis. Additur vulgo *communia.* MS. Zwicc. 2 *communis generis.* Caeteri *omnis communis generis.* Vocem, quae propter sedem incertam suspecta est, delevi.

cujus nominativum haec sortis protulit. Ita Codices mei. Vulgo *haec sortis* ponitur post *Casina.* Verba allegata leguntur in

sortis protulit Plautus in Casina: *Vide ne qua illic insit*
40 *alia sortis sub aqua.* Hic et haec et hoc concors hujus concordis. I urs Latina communia trium generum, hic et haec et hoc Tiburs hujus Tiburtis, gentile. In uls unum Latinum foemininum, haec puls hujus pultis. In ms unum foemininum, haec hiems hujus hiemis. In abs Graeca et Latina, masculina et foeminina, hic Arabs hujus Arabis, haec trabs hujus trabis. Vetustissimi tamen trabes pro trabs proferebant. Ennius in Medea: *Utinam ne in nemore Pelio securibus caesa accidisset in terram abiegna trabes.* In ebs correptam Latina, omnis communia, hic et haec et hoc coelebs hujus coelibis. In ebs productam unum foemininum Latinum, haec plebs hujus plebis: dicitur tamen et haec plebes plebei. Lucanus in III. *Nescit plebes jejuna timere.* In obs foeminina Latina, haec scobs hujus scobis, et scrobs scrobis. Sic alii; sed Probus nominativum similem protulit genitivo, quod Plautus in masculino genere profert in Amphitruone: *Ibi scrobes effodito duplos sexagenos indies.* In ybs unum masculinum, hic chalybs hujus chalybis.
41 In urbs unum foemininum, haec urbs hujus urbis. In aps unum foemininum, haec daps hujus dapis. Sed nominativus in usu frequenti non est, quem Livius Andronicus in primo Odissiae ponit: *Quae haec daps est, qui festus dies?* Horatius accusativum protulit in

---

Act. II. Sc. 6. vs. 28. (Both. 264.). Pro vulgato *ne qua* Codices mei fere omnes, praestantissimi etiam, *neque*. At vero haec lectio, cum ex aperto errore vel scripturae compendio orta sit, recipi non debuit. Pro *illic* Zwicc. 2. *illi*. Pro *insit*, quod Lips. 2. et Erl. 2. tuentur, alii *sit*. Edd. Ven. *illic* omittunt.

§. 40. Ante *Tiburtis* adjeci e Codd. *hujus*. Mox *ems* pro *ms* secundum Codd. scripsi et delevi *quoque*, quod libri editi addunt. Deinde ante *trabes* expunxi *et*.

Ennius in Medea. Pro *accidisset* nonnulli meorum Codd. *accedisset* vel *accendisset*. MSS. Heidelb. Lips. 1. Erl. 2. Edd. Ven. *cecidisset*. Vulgo *ad terram*. Quam recepimus lectionem, *in terram*, praestant MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. Mox post *omnis* Codicum jussu delevi *generis*. *Lucanus in III.* vs. 58.

Plautus in Amphitruone. Plures Codd. et Edd. Ven. *Amphitrione*. MS. Dresd. *effodit*. Alii *effodi*. Pro *duplos* MSS. Zwicc. Lips. 1. Luth. *plus*. Erl. 2. *duplos plus*, ita tamen ut posterior vox punctis suppositis spuria declarata sit. Dresd. Erl. 1. *in die*. Lips. 3. *per dies*.

II. Carm. *Ergo obligatam redde Jovi dapem.* Idem genitivum in IIII. *Nunc in reluctantes dracones egit amor dapis atque pugnae.* Idem in Epodo: *Mutatae dapis inemori spectaculo.* In eps masculini et omnis generis, hic manceps hujus mancipis, hic et haec et hoc particeps hujus participis. Adeps vel adipes in utroque genere invenitur. Varro in II. Rerum Rusticarum: *Adipes illa.* In ops Latinum foemininum unum, haec Ops hujus Opis, nomen matris deum et copia. Ejus quoque nominativus in usu frequenti non est, sed illius, quod ex eo componitur, commune omnis, hic et haec et hoc inops hujus inopis. Vetustissimi tamen hic et haec et hoc ops et cops pro opulentus et copiosus proferebant. Attius de Hercule dicens: *Quorum genitor fertur esse ops gentibus*, pro opem ferens et auxilium gentibus. Sic Caper. Potest tamen etiam foeminino ge- 42
nere hic intelligi figurate conjunctum masculino, ut si dixisset, quorum genitor auxilium fuit gentibus. Tamen nominativo ejus usus est Plautus in Cistellaria: *Itaque me Saturnus ejus patruus. Ecastor pater! Itaque me Ops opulenta illius avia. Imo mater quidem!* Et Graeca, hic Pelops hujus Pelopis, hydrops hydropis, merops meropis. In yps Graeca, Cinyps Cinypis. In irps Latinum unum, hic et haec stirps hujus stirpis. In ax correptam Latina et Graeca, haec fax hujus facis, hic abax

---

§. 41. *in usu frequenti non est.* Ita Codd. Vulgo, *frequenti non est in usu.* Pro *Odissiae* nonnulli Codd. *Odissia. Qui festus dies.* Ita omnes Codd. praeter unum, qui foemininum exhibet, *quae festa dies.* Vulgo, *quis festus dies. Horatius in II. Carm.* 7. vs. 17. *Idem in IV.* 4. vs. 11. *Idem in Epodo.* V, 34. Pro *inemori* plures Codices facili errore *memori.* Mox pro *masculina et omnis* secundum Codices meos edidi *masculini et omnis generis.* Deinde *matris deum* pro *matris deorum* e MSS. Lips. 2. Erl. 2. recepi. Denique post *commune omnis* Codicum meorum auctoritate delevi *generis.*

et copiosus proferebant. Vulgo *dicebant.* Nos Codicum consensum secuti sumus.

§. 42. *Plautus in Cistellaria.* Act. I. Sc. 3. vs. 36. (238. 39. Bothe). Vulgo *et Castor pater.* Ita et omnes Codd. Fateor, hanc lectionem tam monstrosam esse, ut bonus Priscianus, si in suis libellis reperisset, stylo haud dubie prosequeretur editores et librarios. Hoc igitur loco sensus communis jure suo postulavit, ut a Codicibus discederem.

hujus abacis, quod tamen et hic abacus hujus abaci frequens invenitur. In ax productam Graeca et Latina sunt masculina vel foeminina vel omnis, ut hic Phaeax hujus Phaeacis, haec pax hujus pacis, hic et haec et hoc audax hujus audacis. In ex correptam Graeca et Latina, masculina et foeminina et communia trium generum, ut hic Lelex Lelegis, hic grex hujus gregis, haec ilex hujus ilicis, hic et haec et hoc artifex hujus artificis. 43 In ex productam Latina, masculina vel foeminina vel communia trium generum, hic rex hujus regis, haec lex hujus legis, hic et haec et hoc exlex hujus exlegis. In ix correptam Latina, masculina vel foeminina, hic calix hujus calicis, haec pix hujus picis, haec nix hujus nivis. In ix productam Graeca et Latina, masculina vel foeminina vel communia trium generum, hic Phoenix Phoenicis, haec cornix cornicis, hic et haec et hoc felix. Oportet tamen scire, quod Graeci i et *v* ante x brevem esse volunt, etiam si in obliquis producatur, ut *Φοῖνιξ Φοίνικος*, *βόμβυξ βόμβυκος*. A vero secundum genitivum etiam in nominativo produci vel corripi dicunt, ut *κόλαξ κόλακος* corripitur in nominativo, quoniam et in genitivo corripitur: *Φάλαξ* vero *Φάλακος* in utroque producitur. Latini autem omnes vocales bitempores, id est *διχρόνους*, habentes, ad genitivum respicientes, dicunt produci vel corripi vocales ante x positas in nominativo. Inveniuntur igitur in x productam Latina, ut ostendimus, foeminina vel omnis, haec nutrix hujus nutricis, hic et haec et hoc 44 pernix hujus pernicis. In ox correptam foemininum, nox noctis, et ex hoc compositum commune, hic et haec et hoc pernox pernoctis. Juvenalis: *Si luditur alea pernox.* In ox productam foemininum vel omnis, haec vox hujus vocis, hic et haec et hoc velox hujus velocis, atrox atrocis. In ux correptam masculina vel foeminina vel communia, hic volux hujus volucis, haec

---

frequens invenitur. Haec est lectio MSS. Zwicc. 1. Luth. Lips. 2. Erl. 1. 2. quos secutus delevi vulgatum *frequenter*.

In ax productam Graeca et Latina sunt. E Codd. meis addidi *sunt*. Mox pro *et foeminina et omnis* secundum MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. scripsi *vel — vel*, et delevi sequens *ut*, quod saepe tacitus feci, cum de minutiis istis vix quisquam in tali scriptore laboret.

§. 43. *Latini autem omnes vocales bitempores.* Vulgo *bitempo-*

nux hujus nucis, hic et haec dux hujus ducis. In ux productam masculinum vel foemininum, hic Pollux hujus Pollucis, haec lux hujus lucis. In yx Graeca tam masculina quam foeminina, hic Sandyx hujus Sandycis, haec Styx hujus Stygis. In aex foemininum, haec faex hujus faecis. In aux unum foemininum, haec faux hujus faucis. In alx unum foemininum, haec falx hujus falcis. In anx unum, haec lanx hujus lancis. In unx unum commune, hic et haec conjunx hujus conjugis. In arx unum foemininum, haec arx hujus arcis. In ac unum neutrum, hoc lac hujus lactis. In ec unum neutrum, hoc alec hujus alecis. In ut unum neutrum, hoc caput hujus capitis.

Et hae quidem terminationes nominativi tertiae declinationis, genitivus autem ejus in is desinit correptam, excepto uno monosyllabo, haec vis hujus vis, quamvis omnes aliae declinationes producant terminationem ejusdem casus. Oportet autem scire, quod in quibusdam pares habeat genitivus tertiae declinationis suo nominativo syllabas, in quibusdam una, in aliis duabus syllabis vincat. Et pares quidem habet in nominibus in e desinentibus correptam, ut hoc mare hujus maris, hoc monile hujus monilis. Et in quibusdam in er vel in es productam, vel in is tam correptam quam productam exeuntibus, ut hic pater hujus patris, hic Verres hujus Verris, haec caedes hujus caedis, hic collis hujus collis, haec avis hujus avis, haec vis hujus vis. In aliis autem omnibus ejusdem declinationis nominibus una syllaba superat nominativum genitivus, ut schema schematis, Cicero Ciceronis, consul consulis, pecten pectinis, baccar baccaris, lis litis, apex apicis. Excipitur haec caro hujus carnis, in quo pares habent syllabas nominativus et genitivus, (inveniuntur tamen veteres, qui genitivum similem nominativo

IX 45

46

---

reas. Haec lectio damnatur ab omnibus MSS. Nostram exhibent MSS. Dresd. Zwicc. 1. Lips. 2. Lips. 1. Erl. 1. Edd. Ven. MSS. Erl. 2. Lusb. *hitemporeis.* Mox Codicis Lutherii auctoritate pro *ostendi* scripsi *ostendimus.*

§. 44. *Juvenalis* Lst Sat. VIII, 10. Post *caput hujus capitis* in libris editis haec leguntur: *in ud, Bogud Bogudis.* At haec absunt ab optimis Codicibus.

§. 46. *Qui genitivum similem nominativo protulerunt.* His addiuntur: *ut haec carnis hujus carnis.* Cum vero haec in opti-

protulerunt,) senex senis, et supellex supellectilis, in quo duabus syllabis vincit nominativum genitivus. Hujus quoque nominativum quidam similem genitivo protulerunt. Et omnia, quae a capite composita in ps desinunt, similiter habent duabus syllabis superantem genitivum, ut anceps ancipitis, biceps bicipitis, centiceps centicipitis. Quae veteres in es proferentes secundum regulam declinabant, ancipes ancipitis, bicipes bicipitis, sicut hospes hospitis, sospes sospitis. Juniores vero gaudentes breviloquio, per concisionem ea protulerunt. Quod et in aliis dictionibus fecisse inveniuntur, ut dic, duc, fac, fer, pro dice, duce, face, fere. Necnon etiam vocativos in ius terminantium pro-
XI priorum, Virgili, Terenti, pro Virgilie, Terentie dicen-
tes, de quibus iam docuimus. Penultima vero ejus declinationis in quibusdam producitur, in quibusdam corripitur: producitur quidem in his, quorum nominativus in longam desinit syllabam, seu natura, seu positione, ut sol solis, Titan Titanis, Delphin Delphinis, fur furis, Maecenas Maecenatis, merces mercedis, Samnis Samnitis, Crenis, proprium nomen nymphae, Crenidis, os oris, mus muris, praes praedis, vas vasis, laus laudis, infans infantis, Aruns Aruntis, iners iner-
47 tis, vecors vecordis, puls pultis, alec alecis. Excipiuntur in on desinentia Graeca, et in o tam Latina quam nothae: quod tam producere quam corripere licet ea in nominativo. Haec enim vocalis, id est o, quamvis in nominativo producatur, in genitivo non semper producitur penultima, sed in quibusdam, in aliis autem corripitur. Quando autem corripitur, vel quando producitur, cum de nominativo et genitivo exposui-
51 mus, dictum est. Praeterea corripiunt praedictam penultimam in ms vel ps vel bs vel x desinentia, si vocalem brevem ante eas consonantes habuerint, velut

---

mis Codicibus frustra requirantur vel certe transposita, omissa inepta hoc loco particula *ut*, legantur, omittenda esse duxi.

per concisionem ea protulerunt. Haec est lectio MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Vulgo, *per circumcisionem.*

§. 47. *Haec enim vocalis, id est o.* Perperam vulgo, *Nec enim vocalis.* Nos MSS. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Edd. Ven. secuti veram lectionem restituimus. *Quando corripitur — producitur.* Indicativum e MSS. Luth. Lips.

hiems hiemis, manceps mancipis, coelebs coelibis, fax facis, artifex artificis. Necnon producentia terminationem nominativi corripiunt penultimam genitivi, ut hic et haec et hoc par, hujus paris, Lar Laris, vas vadis, pes pedis, Ceres Cereris, compos compotis, bos bovis, sus suis, grus gruis. Corripientia quoque nominativum in quibusdam corripiunt penultimam genitivi, in quibusdam producunt. Producunt in al et in el neutra, et in ar similiter neutra derivata, ut hoc tribunal hujus tribunalis, cervical cervicalis, mel mellis, fel fellis, calcar calcaris, lacunar lacunaris, lucar lucaris. In or quoque desinentia alia producunt, alia 48
corripiunt penultimam genitivi; producunt, ut hic cursor hujus cursoris, hic et haec auctor hujus auctoris: corripiunt, hic Hector hujus Hectoris, haec arbor hujus arboris, hic et haec memor hujus memoris. Quando vero producunt, te quando corripiunt, cum de nominativo tractabatur docuimus. Alia vero omnia, quae nominativi terminationem corripiunt, similiter penultimam genitivi corripiunt, ut toreuma toreumatis, Annibal Annibalis, vigil vigilis, cornicen cornicinis, agger aggeris, vetus veteris, caput capitis. Excipitur inquies inquietis, quod simplicis declinationem servavit in composito, quamvis corripiat extremitatem nominativi. Similiter os ossis et lac lactis, quod quibusdam placet in nominativo per apocopam te proferri: hoc lacte enim dicebant antiqui.

Dativus tertiae declinationis nascitur a genitivo, 49
abjecta s, et producta i, hujus schematis huic schemati, hujus maris huic mari, hujus Ciceronis huic Ciceroni. Inveniuntur poetae rarissime in Graecis, quae apud Graecos in i correptam terminant supradictum casum, ipsi quoque eum corripientes. Statius in primo Achilleidos: *Palladi littoreae celebrabat Scyros honorem.*

---

1. 2. 3. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. pro subjunctivo reposui. Mox *velut hiems* e MSS. Luth. Zwicc. Lips. 2. Dresd. Erl. 1. 2. posui pro *ut haec*.

§. 48. *Quando vero producunt — corripiant.* Indicativum posui pro subjunctivo, Codicibus suadentibus. Mox *tractabatur docuimus* in textum recepi pro vulg. *tractabamus ostendimus.*

§. 49. *Inveniuntur poetae.* Omisi *tamen*, quod a MSS. plerisque abest. *Statius in I. Achill.* 294. *Scyros* posui secundum MSS. pro *Scyrus.*

X Accusativus fit supradictae declinationis is genitivi
50 modo in em, modo in im conversa, ut hujus solis hunc solem, hujus flaminis hunc flaminem, hujus gregis hunc gregem, hujus regis hunc regem, hujus Thiberis hunc Thiberim, hujus Araris hunc Ararim, hujus vis hanc vim, hujus turris hanc turrim. In una tamen terminatione, id est is desinentium, quae similem habent genitivum nominativo, inveniuntur quaedam nomina accusativum im finientia. Sunt autem haec plerumque Graeca vel propria, quae accusativi Graeci n in m convertentia faciunt accusativum Latinum, ut Thiberis Thiberim, Fabaris Fabarim, Thibris Thibrim, Araris Ararim. Nam non potest ab alio nominativo, ut diximus, nisi in is desinente, in im accusativus proferri. Ergo Arar per apocopam is protulit. Lucanus in VI. *Rhodanumque morantem praecipitavit Arar.* Haec Neapolis Neapolim, Charybdis Charybdim. Virgilius in sexto: *Leucaspim et Lyciae ductorem classis Orontem.* Idem in octavo: *A quo post Itali fluvium cognomine Thibrim diximus.* Idem in nono: *Principio Fabarim, et succiso poplite Gigen.* Idem in septimo: *Qui Tiberim*
51 *Fabarimque bibunt.* Mephitis quoque, quod proprium est, et a Graeco μεσίτης, ut quibusdam videtur, mutatione σ in φ translatum, rationabiliter in im fecit accusativum. Virgilius in VII. *Saevamque exhalat opaca*

---

§. 50. *Hujus Araris hunc Ararim.* MSS. Erl. 2. Lips. 2. *Agaris Agarim.*

id est is desinentium, quae. Vulgo *qui.* Falsum esse patet, MSSi clamant.

Thiberis Thiberim. In plurimis Codd., velut Luth. Heidelb., per *Th.* invenitur scriptum. Hos secutus sum. *Nam non potest.* Haec est lectio MSS. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Vulgo, *nam non poterit. Virg. in VI.* vs. 334. *Idem in octavo.* vs. 331. MS. Lips. 1. *Thybrim. Idem in nono.* vs. 762. Pro *Fabarim* alii *Ararim;* unus *Farrim.* MS. Lips. 1. *Falerim,* e corr. *Falarim;* super scriptum est *Ararim.* MS. Luth. *Principioque Ararim.* Pro *Gigen* MS. Dresd. *Gigens.*

Idem in septimo. vs. 715. Pro *Fabarim* Cod. Luth. *Falerim.* Edd. Ven. *Falarumque.* MSS. Dresd. Erl. 1. Erl. 2. *Ararim.* MS. Lips. 1. *Fabarim Ararimque. Virg. in VII.* vs. 84. Erl. 2. *mefitim. Idem in nono.* vs. 730. *Idem in XI.* vs. 532. MS. Lips. 2. *superant* pro *superis.*

Alpis. Cod. Luth. *Alpes* et *Syrtes. Syrtim facit.* Vulgo, *faciat.* Illud Codices mei omnes praestant.

mephitim. Idem in nono: *Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.* Idem in XI. *Velocem interea superis in sedibus Opim.* Alpis cum semper plurale sit, quomodo Syrtis, tamen et singulariter hoc, quomodo illud, invenitur a poetis prolatum, et in em terminans accusativum Alpem, cum illud Syrtim facit. Lucanus in I. *Tunc inter Rhenum populos Alpemque iacentes.* Idem in III. *Agmine nubiferam rapto superevolat Alpem.* Juvenalis in IIII. *Transilit, imposuit natura Alpemque nivemque.* Lucanus in VIII. *Trans Pharon in medio tanget ratis aequore Syrtim.* Idem in primo: *Dubiam super aequora Syrtim.* Praeterea inveniuntur Latina in im terminantia accusativum, hanc turrim, burim, securim, puppim, sitim, restim, vim, pelvim, tussim, magudarim. Virgilius in II. Aeneidos: *Turrim in praecipiti* 52
stantem summisque sub astra. Idem in I. Georgicon: *Continuo in silvis magna vi flexa domatur in burim, et curvi formam accipit ulmus aratri.* Idem in II. Aeneidos: *Taurus et incertam excussit cervice securim.* Idem in primo: *Ingens a vertice pontus in puppim ferit.* Idem in Bucolicis: *Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.* Terentius in Eunucho: *Ad restim mihi quidem res redit planissime.* Virgilius in VI. *Nec vim tela ferunt, licet ingens ianitor Orci.* Plautus in Rudente: *Seu tibi confidis fore multam magudarim,* quod signifi-

---

Lucanus in I. vs. 481. Scribendum fuit *tunc*, quamquam falsum esse in oculos incurrit, si contextum consulueris. *Idem in III.* vs. 299. *Juvenalis in IV.* Est Sat. X. 152. Consensus Codicum invitum me scribere coëgit *imposuit* pro *opposuit*. *Lucanus in VIII.* vs. 184. *Idem in I.* 686. Mox *pelvim, tussim*, quae voces in Edd. in fine leguntur, post *vim* posui secundum MSS. et *Tiberim* eadem ratione expunxi.

§. 51. *Virg. in II. Aen.* vs. 460. *Idem in I. Georg.* vs. 170. *Idem in II. Aen.* vs. 224. MS. Zwicc. pro *incertam* exhibet *incussam*. *Idem in primo.* vs. 114. *Idem in Buc.* Ecl. 5. vs. 47. *Terentius in Eunucho.* Est Phorm. Act. IV. Sc 4. vs. 5. *ad restim mihi quidem.* MSS. Zwicc. 2. Lips. 2. *ad restim quidem mihi.* Pro vulgato *redit* MS. Dresd. *rediit*, quod et libri Terentii habent editi. *Virg. in VI.* vs. 400. *Plautus in Rudente.* Act. III. Sc. 2. vs. 19. Putschius cum caeteris *magudarim.* Ego e MSSis veram scripturam per *a* restituisse mihi videor. *Vel, ut alii.* Vulgo additur *volunt*. Omittunt hoc MSS. Zwicc. Luth. Dresd. Erl. 2. Lips. 1. 2. MS. Erl. 1. *dicunt* ponit ante *alii*.

cat frugis genus, id est caulis, qui nascitur ex ea parte,
53 cujus radix sirpis avellitur, vel, ut alii, siliginem. Quorundam tamen etiam in em invenitur accusativus, ut Lucanus in III. *In puppem rediere rates.* Virgilius in XI. *Tullaque et aeratam quatiens Tarpeja securem.* Juvenalis in IIII. *Descendunt statuae restemque sequuntur.* Caetera vero omnia supradictae declinationis nomina in em solam proferunt accusativum, hunc patrem, leporem, hanc vallem, hunc et hanc utilem. In Graecis autem frequenter invenimus auctores tam in hac quam in aliis declinationibus Graecos plerumque servantes accusativos, ut Titana, Sirena, thoraca, lampada, pro Titanem, Sirenem, thoracem, lampadem, quamvis Plautus hanc lampadam dixit in Casina: *Tene hanc lampadam! Imo ego hanc tenebo.*

54 Vocativus tertiae declinationis suo similis est nominativo, ut hic Cicero o Cicero, hic consul o consul, hic rhetor o rhetor. Inveniuntur tamen Graeca, quae vocativum Graecum servant, ut Thibris o Thibri, Thebais o Thebai, Pallas o Palla. Virgilius in decimo: *Da nunc, Thibri pater, ferro, quod missile libro.* Idem in eodem: *Teque juvat, Palla, sed bellis acer Alesus.* Idem in XI. *Quin ego non alio digner te funere, Palla.* Ovidius in I. Fastorum: *Care nepos, Palla, funesta quid induis ar-*

---

§. 53. *Lucanus in III.* vs. 545. *Virg. in XI.* vs. 656. *Tullaque.* Vulgo, *Telaque.* Hanc lectionem falsam esse patet. Nos e MSS. Lips. 2. Erl. 2. Lips. 1. veram restituimus Prisciano lectionem. MS. Dresd. *Cullaque. Juvenalis in IV.* Est Sat. X, 58. *Plautus in Casina.* Act. IV. Sc. 4. vs. 16. Pro *lampadam* MSS. Zwicc. 1. Lips. 3. et MSS. Luth. Lips. 1. ante correctionem *lampadem.* Reliqui vulgatam tuentur. Pro *tene* MSS. Zwicc. 1. Erl. 2. *tenebant.* Reliqui *tene hanc,* quod propter hunc consensum Codicum in textum recepi. Lectionis, quam libri Plauti editi exhibent *jam* pro sequente *hanc* scribentes, nullum equidem in meis membranis deprehendi vestigium.

§. 54. *Vocativus tertiae declinationis.* Haec est lectio MSS. Erl. 1. 2. quam vulgatae *in tertia declinatione*, quamvis Codicum auctoritate confirmetur, praeferendam esse duxi, cum usui Prisciani convenientior sit. *Suo similis est nominativo.* Ita e Cod. Luth. verba struxi.

Virg. in X. vs. 421. *Thibri* pro *Tibri* scripsi secundum Cod. Erl. 1. Pro vulgato *ferrum* testitui Prisciano *ferro* e MSS. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd.

Idem in eodem. vs. 411. *bellis acer.* MS. Luth. *fortis. Idem in*

ma? In quo Homerum est secutus. Ille enim: *Πολυδάμα, σὺ μὲν οὐκέτ' ἐμοὶ φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις.* Statius in XII. Thebaidos: *O mihi bissenos longum vigilata per annos, Thebai.*

Ablativus tertiae declinationis in aliis per e correptam, in aliis per i, in aliis per e et per i profertur. Per i in neutris, quae in e correptam desinunt per nominativum, et sunt appellativa, ut hoc mare, hoc monile, ab hoc mari, ab hoc monili. Et est similis hujuscemodi ablativus suo dativo, ut huic mari ab hoc mari. Vetustissimi tamen solebant hujuscemodi nominum ablativum etiam in e proferre. Varro in Antiquitatum humanarum XII. *Ab Erythro mare orti.* Idem in Fundanio: *In mare aquam frigidam oriri.* Atacinus quoque: *Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.* Plautus in Rudente: *Quippe quom extemplo in macellum pisces prolati si essent nemo emat, suam quisque partem piscium poscant sibi, dicant in mare communi captos.* Lucanus in VII. *Gentes Mars iste futuras obruet et populos, aevi venientis in orbem erepto natale feret,* pro natali. Ovidius in V. Fastorum: *Cur tibi pro Libycis claudantur rete leones?* Rete pro reti. Plautus in Rudente: *Mea opera et rete et horrea,* quod etiam masculino genere protulit. Idem in eadem: *Non vides proferre me uvidum retem sine* XI 55

VI. vs 169. *Ovid. in I. Fast.* Vulgo in *II.* quem numerum Putschius etiam retinuit. Ego e Cod. Lips. 1. aliisque verum restitui. Est vs. 321. *Statius in XII. Theb.* s. fin.

§. 55. *in aliis per i.* Vulgo additur *productam*, quod, cum a MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. absit, omittendum esse duxi.

Varro in Antiqu. E MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. inserui *in.* Mox *Erythro* pro *Erythraeo* edidi e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven.

Atacinus quoque. Omisi, quod vulgo additur, *dicit*, auctoritate Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd.

Plautus in Rudente. Act. IV. Sc. 3. vs. 39. 40. (8 9. 830. Both.) Ab initio addidi e membranis, quibus usus sum, *quippe quom extemplo.* Lectionem *quom* ego ex duabus concinnavi. Libri scilicet scripti vel *quam* vel *quod* exhibent, ex quibus *quom* effinxi.

Lucanus in VII. vs. 389 — 91. *Iste* pro *ille* ego e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Prisciano restitui. *Ovidius in V. Fast.* vs 371. *Claudantur.* Vulgo, *claudantur.* Subjunctivum exhibet MS. Luth. *Leones* reinquere debui, cum hanc lectionem mei Codices omnes praestent.

Plautus in Rudente. v. Ind. *In eadem.* Act. IV. Sc. 3. vs. 4. 5.

squamoso pecu. Idem in eadem: *Ubi demisi retem atque hamum, quicquid haesit extraho,* quod etiam foeminino genere protulit secundum primam declinationem. Idem in Rudente: *Pol magis sapuisset, si dormisset domi, nam nunc et operam ludos facit et retiam, ut tempestas est.* Horatius in II. Sermonum: *His ut sublatis, puer alte cinctus acernam, gausape purpureo mensam pertersit.* Unde Persius quasi in e tantum desinente supradicti nominis ablativo gausapa dixit plurale, non gausapia: *Iam chlamides regum, iam lutea gausapa captis.* Idem: *Balanatum gausape pectes.* Antiquissimi tamen et hic gausapes et haec gausapa et hoc gausape, et plurale neutri haec gausapa, quasi a nominativo hoc gausapum, protulisse inveniuntur. Unde Cassius ad Maecenatem:
56 *Gausapo purpureo salutatus.* Varro vero de Lingua Latina ait: *Talia ex Graeco sumpta ex masculino in foeminum transire, et aliter ea finiri,* ὁ κοχλίας haec cochlea, ὁ χάρτης haec charta, ὁ γαυσάπης haec gausapa. Seneca Ovidium sequens: *Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta probat.* Propria ejusdem terminationis similem habent nominativum ablativo, hoc Praeneste ab hoc Praeneste. Virgilius in octavo: *Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa.* Figurate enim ad urbem reddidit,

---

(Bothe 843.) *In eadem.* Act. IV. Sc. 3. vs. 45. (Bothe 884.) *Ubi demisi.* Putschius cum caeteris *ut dimisi.* Ego MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. secutus genuinum textum restitui. MS. Zwicc. 1. *haec sit* pro *haesit.*

Idem in Rudente. Act. IIII. Sc. 1. vs. 9. Pro *sapuisset* MSS. Luth. Zwicc. 2. *sapisset.* MS. Lips. 1. *sapivisset.* Deinde vero *dormisset* pro *dormivisset* scribere debui, cum Codices mei tantum non omnes hanc lectionem exhibeant.

Horatius in II. Serm. Sat. 8. vs. 11. Pro *ubi* auctoritate MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Erl. 1. 2. reposui *ut.*

Persius. Sat. VI. vs. 46. *Idem.* Sat. IV. vs. 37. Pro *pectes* vulgo scriptum exstat *pectis.* Nos MSS. Lips. 1. 2. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. secuti *pectes* scripsimus, non ignorantes, in libris Persii editis legi *pectas.*

§. 56. *aliter ea finiri.* Vulgo *a litera.* Edd. Ven. *alite ea.* Lectionem vulgatam non sollicitassem, nisi Codicum consensui resistere recte, puto, dubitassem. *Ovidium sequens.* Art. Am. II. vs. 300.

Virg. in VIII. vs. 561. *Idem in VII.* vs. 682. *quique arva Celenae.* Pro *arva* MS. Lips. 2. Zwicc. 2. *arma.* Pro *Celenae* vulgo editum est *Celene.* Ita plerique libri manu scripti, in quibus tamen ultimam e pro ae positam esse, non facile erit,

sub ipsa, cum proprium oppidi neutrum est, quomodo Reate. Idem poeta in septimo: *Quique altum Praeneste viri, quique arva Celenae.* Illorum quoque ablativus i terminatur neutrorum, quae in al desinunt, hoc tribunal ab hoc tribunali, hoc cervical ab hoc cervicali. Similiter faciunt ablativum, quae in ar desinunt neutra, et in obliquis casibus producunt a penultimam, ut hoc calcar calcaris a calcari, lacunar lacunaris a lacunari, lucar lucaris a lucari. Quando autem producunt eam, in libro, qui est de nominativo et genitivo, docuimus. Masculina quoque vel communia in er vel in is desinen- 57
tia, si faciunt in e neutra, ablativum in i efferunt, ut hic pedester haec pedestris hoc pedestre, ab hoc et ab hac pedestri, saluber et salubris et salubre, ab hoc et ab hac salubri. Virgilius in primo Georgicon: *Balantumque gregem fluvio mersare salubri.* Hic et haec celer vel celeris et hoc celere, ab hoc et ab hac celeri. Lucanus in primo: *Motuque celer Cyllenius haeret.* M. Cato de re militari: *Satis celeris sis in tempore.* Caecilius in Episatomo: *Si properas, extende huc in meam navem, ita celeris est:* ex quo celerissimus pro celerrimus superlativum protulerunt. Cn. Matilius in Iliade: *Celerissimus advolat Hector.* Ennius in Annalibus: *Exin per terras*

---

qui dubitet. MSS. Dresd. Lips. 2. *Celemve.* MS. Heidelb. *celemne.* Heynius edidit *Gabinae.*

Illorum quoque ablativus i terminatur. Vulgo, — *ablativi terminantur.* Equidem Codicum auctoritate receptam lectionem tutam esse opinor. Mox ante *calcaris* delevi *hujus.* Deinde *quando producunt* Codicum suasu indicativum pro subjunctivo posui.

§. 57. *ab hoc et ab hac pedestri.* Semel monuisse sufficiat, in vulgatis libris semper neutri pronomen articulare *ab hoc* adjectum reperiri, ubi adjectivorum exempla in medium afferantur. Quod, cum Codices ignorent, tollendum fuit.

Virg. in I. Georg. vs. 272. *Lucanus in I.* vs. 662. *M. Cato de re militari.* Pro recepta lectione duo meorum: *Satis est celeris si sint tempore.* MS. Dresd. *si sint.* Cod. Luth. omittit *in.* Cod. Lips. 2. *in temperie.* Edd. Ven. *Satis sit celeris in tempore. Caecilius in Episatomo.* Codd. Lips. 3. *Caelius.* MS. Zwicc. 1. *Ephisatomo.* MSS. Lips. 1. Erl. 1. *Episathomo.* Pro *extende huc* MS. Erl. 1. *extende hunc.* Pro *in meam navem* Erl. 2. *in meam navim.* Pro *celeris* MS. Lips. 1. *sceleris.* Edd. Ven. *extende hunc.*

Cn. Matilius. Vulgo *Cn. Manlius.* Manlii nomen nullus meorum quidem Codicum, si recte memini, refert. *Matilius* prae-

postquam celerissimus rumor. Livius in Odissia: *At celer hasta volans perrumpit pectora ferro.* Unde superlativum Virgilius in XII. *Et qua fata celerrima crudum.* Terentius in Phormione: *Nullus es, Geta, nisi iam aliquod consilium celere repereris.* Virgilius in tertio: *Celerique fuga sub sidera lapsae.* Idem in quinto: *Agmine remorum celeri ventisque vocatis.* Lucanus in tertio: *Et*
58 *celeri venas movet improba pulsu.* Hic et haec utilis et hoc utile, ab hoc et ab hac utili, hic et haec regalis et hoc regale, ab hoc et ab hac regali. Sciendum tamen, quod, si inveniantur propria appellativis similia in i finientibus ablativum, illa per e proferunt eum, ut Juvenalis proprium a Juvenale. Similiter Martialis a Martiale, Annalis ab Annale. Cicero pro Fundanio: *Non modo hoc ab Julio Annale, sed vix mehercule a Quinto Mutone factum probari potest.* Idem pro Plancio: *Confiteor, summa in Laterense ornamenta esse.* Similiter in i terminant ablativum omnia, quae in im habent accusativum, ut Tiberim a Tiberi, Parim a Pari, Charibdim a Charibdi, Tigrim a Tigri, vim a vi. Virgilius in decimo: *Massicus aerata princeps secat aequora tigri.* Idem in primo Aeneidos: *Multum ille et terris iactatus, et alto vi superum.* Juvenalis in V. *Saeva| dignum veraque Charibdi.*
59 Quae vero et in im et in em, haec tam in e quam in i, ut hanc puppim et puppem, ab hac puppi et puppe. Virgilius in tertio: *Stans celsa in puppi.* Idem in octavo: *Stans prima in puppi.* Idem in decimo: *Dextra tenet puppim.* Lucanus in quarto: *Primum cana salix madefacto robore parvam texitur in puppem.* Idem in secun-

---

stant MSS. Lips. 1. Dresd. Heidelb. Erl. 2. Erl. 1. MS. Lips. 2. *Mallius.* Pro *advolat* MS. Erl. 1. *avolat.* Mox in Livii Andronici loco plures meorum *perrupit* pro *perrumpit* exhibent.

Virg. in XII. Perperam vulgo *in decimo* legitur. Est vs. 507. *Virg. in III.* vs. 243. *Idem in V.* vs. 211. *Lucanus in I.* vs. 629.

§. 58. *Similiter Martialis.* Haec est lectio MSS. Luth. Lips. 2. quam pro vulgata *Martialis similiter* in textum recipere nullus dubitavi. Mox secundum Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. scripsi *ab Julio* pro *a Julio.* Ernestius edidit *Villio:* id unde hauserit, nescio. In meis membranis nullibi legitur per duas ll scriptum; sed omnes in recepta lectione consentiunt, praeter unum Dresd. qui *aulio* exhibet.

Cic. pro Plancio, Cap. 26. *Virg. in X.* vs. 166. *Idem in I.*

do: *Rapta puppe minor subducta est montibus Argo.* Turrim et turrem, ab hac turri et turre. Attius in Medea: *Apud vetustam turrem.* Virgilius in secundo: *Turrim in praecipiti stantem summisque sub astra eductam.* Idem in Bucolico: *Tale tuum carmen nobis, divine poeta, quale sopor fessis in gramine, quale per aestum dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.* Idem in tertio Georgicon: *Asperque siti atque exterritus aestu.* Idem in sexto Aeneidos: *Saevumquo securi aspice Torquatum et referentem signa Camillum.* Cato in epistola ad filium: *Ex dolore; ex febri, ex siti, ex medicamentis bibendis.* Non tamen convertitur regula. Non enim in e et in i desinentia in ablativo etiam accusativum omni modo in em et in im terminant. In as quoque terminantia, quando XII
sunt gentilia, ablativum in i proferunt, Arpinas ab Ar- 60
pinati, Capenas a Capenati. Et rationabiliter. Veteres enim hujuscemodi nomina in is proferebant, hic et haec Arpinatis dicentes, unde neutrum hoc Arpinate. Docuimus autem, quod omnia, ex quibus neutra transfigurantur in e exeuntia, per i faciunt ablativos, ut hic et haec regalis et hoc regale, ab hoc et ab hac regali. Sic ergo hic et haec Capenatis et hoc Capenate, ab hoc et ab hac Capenati. Nec mirum declinationem perfecti servari in his, cum etiam accentum soleamus servare, quamvis a in finali sit syllaba, quae in perfectis erat penultima, Capenas, Arpinas, Ardeas. Quod autem per syncopam haec proferuntur, vetustissimorum usus comprobat. Cato in primo Originum: *Sed lucus Capenatis.* Idem in eodem: *Si quis mortuus est Arpinatis,*

---

vs. 3. 4. *Juven. in V.* XV. vs. 17. *Virg. in III.* 527. *Idem in VIII.* 630. *Idem in X.* 226. *Lucanus in IV.* vs. 131. Libri Lucani editi *vomine*; nostri scripti omnes *robore.* Illud e glossemate ortum puto. *Idem in II.* vs. 717. *Idem in Buc.* Cf. supra §. 52. *in gramine.* Ita Codd. Luth. Lips. 1. 2. 3. Lel. 1. 2. Dresd. Zwicc. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. Vulgo, *per gramina. Idem in III. Georg.* vs. 434. *Idem in VI. Aen.* vs. 825.

§. 60. *in e exeuntia, per i faciunt ablativos.* Vulgo, *in i faciunt ablativum.* Receptam lectionem Codd. tuentur.

Idem in eodem. Hoc quoque loco eadem est lectionis varietas, de qua supra ad Lib. IV. §. 21. disputatum fuit. Primum pro vulgato *haeredes* singularem *haeredem* e MSS. Zwicc. 1. Lips. 1. Lips. 2. restitui. Deinde reliqui ego quidem particulam *non*, invitis vero Codicibus Zwicc. 1 qui constanter *suum consequuntur* tuetur; Lips. 2. qui simplex *sequuntur*

ejus haeredem sacra non sequuntur. Idem in eodem: *Populus communiter, Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis.* Idem in oratione, qua suasit in senatu, Samnitis dixit pro Samnis: *Accessit ager, quem privatim habent Gallicus,*
61 *Samnitis, Apulus, Brutius.* Laurentis etiam pro Laurens dicebant. Ennius in Annalibus: *Quos homines quondam Laurentis terra recepit.* Naevius neutraliter hoc Samnite protulit in carmine belli Punici. Ad cujus similitudinem debet etiam hoc dite dici, unde pluraliter ditia. Lucanus in nono: *Non illic Libycae posuerunt ditia gentes templa.* Lucilius tamen ὁμοιοτρόπως *Oleum Casinas* pro Casinate. Titinnius in Psaltria: *Ferentinatis populus res Graecas studet.* Plautus in Sticho infimatis: *Ergo oratores populi summates viri summi accumbent, ego infimatis infimus.* Inveniuntur tamen quidam in hujuscemodi nominibus etiam in e ablativum proferentes, quod mox usus approbet. Similiter mensium nomina in is vel in er desinentia ablativum per i finiunt: Quintilis a Quintili, Aprilis ab Aprili, September a Septembri, October ab Octobri. Juvenalis in quinto: *Hesternum solitus medio servare minutal Septembri.* Idem in tertio: *Pallere, et vinum toto*
62 *nescire Decembri.* Possunt tamen etiam haec communia esse, unde Kalendas Septembres dicimus. Praeterea simplex eorum similiter invenitur faciens ablativum

---

omisso *non* exhibet; Dresd. *nunc* pro *non* referente. Reliqui *non* tuentur. MS. Lips. 3. Edd. Ven. hunc locum omittunt.

Idem in oratione, qua suasit in senatu. Supra §. 38. additum legitur, *ut plura aera equestria fierent*, cujus additamenti hoc quidem loco nullum in meis membranis deprehendi vestigium.

§. 61. *Ennius in Annalibus.* Pro *quos* unus meorum Codd. *quosdam.* Mox *pluraliter* scripsi pro *plurale* secundum MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Deinde *Lucilius* Codicum et Edd. Ven. auctoritate reposui pro *Lucillius*, quod Putschius ex prioribus Edd. vitiose recepit, et *Casinas* restitui ex Codd. pro *Cassinas.*

Plautus in Sticho. Act. III. Sc. 2. vs. 36. 37. (Bothe 468. 69.) Adjeci post *Sticho* e MSS. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. *infimatis.* Male hoc Edd. Ven. ad contextam orationem traxerunt.

quod mox usus approbet. Perperam Putschius cum Ald. Bas. Colon. Ven. indicativum posuit *approbat*, quem sequens par-

in i, imber imbri. Statius in septimo Thebaidos: *Nubibus hibernis et nostro pascitur imbri.* Cicero de Signis: *Cum esset vinctus, nudus, in aere, in imbri, in frigore.* Idem in Frumentaria: *Perebat hanc quoque iniquitatem Septitius et imbri frumentum in area corrumpi patiebatur.* Bipennis commune est, et habet etiam neutrum in e, et ideo ablativum a bipenni facit. Virgilius in XI. *Ferro sonat alta bipenni fraxinus.* In e autem et in i indifferenter desinunt in ablativo omnia nomina, quae sunt communia trium generum, ut hic et haec et hoc par, ab hoc et ab hac pare vel pari. Virgilius in Bucolicis: *Numero deus impare gaudet.* Lucanus in nono: *Ergo pari voto gessisti bella juventus.* Hic et haec et hoc vetus, a vetere vel a veteri. Juvenalis in III. Satira: *Intravit veteri calidum centone lupanar.* Cicero pro Muraena: *Cum ex familia veteri et illustri.* Statius in I. Thebaidos: *Funditus et veteri spumavit Lerna veneno.* Idem in XI. *Veteri stat sordida tabo utraque canities.* Idem in XII. *Siquid in hoc veteri bellorum sanguine mecum quaesitura venis, siquid non fanda Creontis jussa times.* Hic et haec et hoc audax, triplex, 63
artifex, ab hoc et ab hac audace vel audaci, a triplice vel triplici, ab artifice vel artifici. Virgilius in octavo: *At Caesar triplici invectus Romana triumpho moenia.* Statius in I. Achilleidos: *Qualiter artifici victurae pollice cerae accipiunt formas.* Similiter ab hoc et ab hac duplice

---

ticula *mox* damnat. Nos Codd. Zwicc. 1. Luth. aliosque secuti conjunctivum restituimus. Nam futuri vim habet. Mox ante *er* e Codd. adjeci *in*.

Juvenalis in V. Sat. XIV. vs. 129. *Idem in III.* Est Sat. VII. 97. §. 62. *Statius in VII. Theb.* vs. 9. (Vulgo *V I.*) *Cic. de signis.* Verr. IV, 10.

Idem de Frumentaria. Verr. III. Cap. 14. Mox *et ideo ablativum a bipenni facit* edidi e MSS. Lips. 1. 2. 3. Luth. Erl. 2. Dresd. pro *et ideo ablativum in i a bipenni facit.* Edd. Ven. omittunt *ablativum* et tuentur *in i. indifferenter desinunt in ablativo omnia nomina.* Addidi e Codd. *in* et *nomina.*

Juven. in III. Sat. VI, 121. Pro *calidum veteri* secundum Codices meos edidi *veteri calidum.* *Statius in I. Theb.* vs. 360. *Idem in XI.* vs. 583. *Idem in XII.* vss. 374.

§. 63. *Virg. in VIII.* vs. 714. *Stat. in I. Achill.* vs. 333. Pro *artifici* unus Dresd. *artificis.* Zwicc. 2. *vincturae* sive *junc turae* Ita et MS. Erl. 2. e corr. Edd. *junctura.* Mox *ab hac* ante *daphne* e MSS. addidi.

vel duplici, ab hoc supplice vel supplici dicimus. Horatius in secundo Sermonum: *Tunc pensilis uva secundas et nux ornabat mensas cum duplice fico.* Terentius in Phormione: *Commodius esse opinor duplici spe uti.* Lucanus in sexto: *Nec superos orat, nec cantu supplice numen auxiliare vocat.* Salustius in Catilinario: *Demisso vultu, voce supplici.* Memor a memore vel memori. Juvenalis in quarto: *Fingendum et memori tractandum pectore, sive.* Horatius Sermonum libro secundo ad Maecenatem: *Memori si mente recurras.* Ovidius in VI. Metamorphoseon: *Absentes pro se memori rogat ore salutent.* Et puto ideo magis i terminatione uti in hoc nomine veteres, quod antiquissimi hic et haec memoris et hoc memore proferebant, ex quibus ablativus
64 in i solam vult terminari. Unde Cicero quoque pro Plancio: *Memori mente persolvunt.* Ideo autem communis generis est duplicis in ablativo terminationis causa, quod simplicia unius generis inveniuntur, quorum ablativus in e solam exit, et tamen composita ab eo, si communia trium generum sint, tam in e quam in i finiunt eundem casum: haec ops ab hac ope, hoc cor a corde, caput a capite, hic et haec et hoc inops ab inope vel inopi. Cicero in Frumentaria: *Hanc pecuniam tantam datam ex aerario inopi atque exhausto.* Anceps ab ancipite vel ancipiti. Virgilius in tertio: *Tum vero ancipiti mentem formidine pressus.* Similiter hic et haec

---

Horatius in II. Serm. Sat. II. vs. 121. Pro *tunc* e Codicibus nostris edidimus *tum*. Vulgo *ficu*. Ita et libri Horatii editi. Nos MSS. Erl. 2. Lips. 2. Dresd. secuti *fico* scripsimus. Ed. Ven. 1. perperam *ficti*. Ven. 2. *ficu*. Utraeque omittunt *et nux*.

Terentius in Phormione. Act. IV. Sc. 2. vs. 14. *Lucanus in VI.* vs. 523. *Salustius in Catilinario.* Cap. 37. §. 7. *Juvenalis in IV.* Sat. XI. vs. 28. *Horat. in II. Serm.* Sat. VI. vs. 31. *Ovidius in VI. Metam.* vs. 508. Perperam Putschius *salutet* edendo vitium reliquit, quod ne Coloniensis quidem Ed. habet. Ego e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. *salutent* restitui. Apud Gierigium hic versus ita legitur: *Absentes memori pro se jubet ore salutent.*

Unde Cic. quoque pro Plnacio. Cap. 33.

§. 64. *in e solam exit et tamen composita ab eo. Solam* pro *solum* et *eo* pro *eis* scripsi auctoritate Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Mox post *ab hac ope* omisi *in e desinit solum* Codicum suasu Zwicc. 1. Lips. 1. Variant reliqui MSS. Luth. Erl. 2. *non in i, sed in e desinit solum.* Lips. 2. *subau-*

et hoc concors a concorde vel concordi. Unde Persius: *Dividit in geminos concordia fata duorum.* In ia autem desinens pluralis sine dubio ab ablativo est in i terminante. Sciendum autem, quod etiam hic et haec concordis et hoc concorde dicebant, et hic et haec amentis et hoc amente. Nec mirum, cujus simplex quoque mentis Ennius protulit in Epicharmo: *Terra corpus est, at mentis ignis est*, pro mens. Lentis quoque pro lens, et paris pro par. Ata in socru: *Ad hanc fortunam accessit ei fortuna paris.* Vigil, quod quidam duum, quidam trium generum commune putant esse debere, a vigile vel vigili facit ablativum. Juvenalis in quinto: *Praeterea lateris vigili cum febre dolorem.* Statius in II. Achilleidos: *Aspicit intentum vigilique haec aure trahentem.* Teres a terete vel tereti. Virgilius in VII. *Sed haec tereti mos est aptare flagello.* Idem in eodem: *Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.* Idem in XI. *Et fundam tereti circum caput egit habena.* Hebes ab hebete vel hebeti. Juvenalis in V. *Hebeti lautissima ferro caeditur, et tota sonat ulmea coena Suburra.* Quaeritur, an, cum hic et haec et hoc hospes et sospes dicatur, unde Lucanus in V. *Hospes in externis audivit curia tectis.* et Statius in IIII. Thebaidos: *Accipias, fessisque libens iterum hospita pandas flumina.* et Juvenalis in V. *Nunquam depositum tibi sospes erit.* possit ab hoc sospite vel sospiti dici: quod adhuc apud nullum legi, sed ab

---

dimus desinit in e solum. Edd. Ven. omiserunt. *Hoc cor a corde, caput a capite.* Haec est lectio MSS. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 2. aliorumque et Edd. Ven. Vulgo, *ab hoc corde, ab hoc capite.*

Cic. in Frum. v. Ind. *Virg. in III.* vs. 47.

Persius. Sat. V, 49. Post *in ia desinens* plerique Codd. meorum omittunt *nominativus.* Post *concorde dicebant* omisi *antiqui*, quod vulgati libri addunt, scripti Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. Dresd. ignorant.

Ata in socru. MS. Dresd. in alia omnia abit scribens: *idem Ennius protulit.* MS. Lips. 2. *Atta.* Erl. 1. *Ita.* Edd. Ven. *Actius.* Lips. 1. *arta* et e corr. *atra.* Putschius *Atta.*

§. 65. *Juven. in V.* Sat. XIII. vs. 229. *Statius in II. Achilleidos.* vs. 120. Vulgo legitur, *in primo. Virgil. in VII.* vs. 731. *Idem in eodem* vs. 665. *Idem in XI.* vs. 529. *Juvenalis in V.* Sat. XI. vs. 141.

possit ab hoc sospite vel sospiti. Vulgo, — *sospiti vel sospite.*

hospite et sospite. Virgilius in octavo: *Quo sospite nunquam res equidem Trojae victas, aut regna fatebor.* Et fortassis quia haec sola in es terminantium etiam in a faciunt foeminina, evitaverunt communem aliorum regulam ablativi: vel quod in heroico stare metro non
66 possit nisi in e terminans eorum ablativus. Quod autem etiam in a desinunt supradicta nomina, usus confirmat. Virgilius in III. *Et pater Anchises, bellum, o terra hospita, portas.* Idem in IIII. protulit compositum ab eo: *Et Numidae infreni cingunt, et inhospita Syrtis.* Ovidius in II. Fastorum: *Principio mensis Phrygiae contermina Matris Sospita delubris dicitur aucta novis.* Cicero pro Muraena: *A sacris patriis Junonis Sospitae.* Tridens a tridente vel tridenti. Potest enim esse trium generum. Nam lectum est Tridenti hasta et telo. Quamvis, cum Neptuni fuscinam per se positum significat, masculino genere invenitur. Virgilius in secundo: *Neptunus muros magnoque emota tridenti fundamenta quatit.* Locuples quoque, quia trium est generum, a locuplete vel locupleti facit ablativum. Cicero in Frumen-
XIII taria: *In provincia locupleti ac referta.* In er communia,
67 quae non exeunt etiam in is, per e solam invenio proferentia ablativum, hic et haec et hoc pauper a paupere, hic et haec et hoc degener a degenere, hic et haec et hoc uber ab ubere, ὁ εὐθαλὴς ἡ εὐθαλὴς τὸ εὐ-

---

Mox *quod adhuc apud nullum* e MSS. reposui pro *quod apud nullum adhuc. Virg. in VIII.* vs. 470.

§. 66. *desinunt.* MSS. pro *desinant. Virgilius in III.* vs. 539. *Idem in IV.* vs. 41. *Ovidius in II. Fast.* 55. 56. *Matris*, ut supra, scribendum fuit propter Codicum consensum pro *Matri.* Pro *Sospita* fere omnes *hospita*, quod cum perspicue falsum sit, in textum recipere dubitavi; praesertim cum supra Lib. V. §. 24. iidem Codices *Sospita* exhibeant.

Cicero pro Muraena. Cap. 45. extr. *Virg. in II.* vs. 610. 11.

§. 67. *Horatius in I. Carm.* Oda XV. vs. 5.

Terentius in Andria. Act. V. Sc. 4. vs. 20. *Idem in Heautontimorumeno.* Act. I. Sc. 2. vs. 9. *Abduxi* e MSS. Luth. Lips. 2. Zwicc. 2. Erl. 2. restitui pro vulgato *adduxi. Virg. in V.* 189. Pro *incedens* membranae meae aliae *incedit*, aliae *incedere*; pauciores retinent vulgatam.

§. 68. *Juvenalis in IV.* Sat. X. vs. 278.

Cicero in Verrinarum quarto. Or. II, 13. Hunc locum, quem nos ex MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. Erl. 2. Lips. 2. exprimendum curavimus, vulgati libri, Edd. scilicet Bas. Colon. Ald. Putsch., ita exhibent, ut post *datur* inserant *paulo infra.*

θαλῆς. Similiter in e et in i faciunt ablativum in vis xel ctis vel mnis vel gnis vel guis terminantia nomina nominativum, et alia fere omnia, quorum extrema syllaba in is desinit, a duabus incipiens consonantibus, ut avis ab ave vel avi. Horatius in primo Carminum: *Nereus fata mala ducis avi domum, quam multo repetet Graecia milite.* Navis a nave vel navi. Cicero de suppliciis: *Quo enim tibi navi opus fuit?* Terentius in Andria: *Navi fracta apud Andrum insulam.* Idem iu Heautontimorumeno: *Advenientem e navi egredientem illico abduxi ad coenam.* In eadem: *Dies triginta aut plus ego in navi fui.* Virgilius vero per e protulit in quinto: *At media Mnestheus incedens nave per ipsos hortatur socios.* Civis a cive vel civi. Juvenalis in quarto: *Quid illo ci-* 68
ve tulisset natura in terris. Cicero in Verrinarum quarto: *Quod Siculus a civi Romano, civis Romanus datur. Primum suae legis, quod civis cum civi ageret.* Sic enim veteres codices habent, quos imperitia quorundam corrupit mutantium scripturam. Idem pro Plancio: *Quid dicam de C. Virgilio, tali civi et viro?* Et mox: *In navi tuta.* Idem pro Sextio: *Quod esset ausus pro civi, pro benemerito civi.* Idem in VII. Philippicarum: *Sed in principe civi non est satis.* Vectis a vecte vel vecti. Terentius in Eunucho: *In medium huc agmen cum vecti*

Quod, cum a Codicibus meis omnibus absit, in textum recipere dubitavi. Receptam lectionem tuetur etiam ed. Paris. Asc. Scio quidem, hunc locum ita, ut nunc quidem legitur, non esse salvum; nolui tamen invitis Codicibus ipsum scriptorem corrigere. Pro *Siculus* MS. Lips. 2. *Siculis.* Pro *datur* tres meorum *dicitur.* Pro *primum* Lips. 2. *primo.* Erl. 1. omisit. Pro *suae* duo *sive.* Pro *ageret* unus et alter *agerent.* Cf. Illustrem Schützium ad laudatum Cic. locum Cic. Opp. Vol. V. Part. I. p. 171. 72.

quos imperitia quorundam corrupit mutantium scripturam. Vulgo scriptum legitur *corrumpit.* At vero potiores Codicum meorum omnes, Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 2., *corrupit* exhibent. *Scripturam* eorundem Codicum auctoritate restitui pro *scripturas.*

Idem pro Plancio. Cap. 40. In nonnullis Codicibus legitur *Cn.* pro *C.* At Lips. 2. *gajo* et Lips. 1. *geo.*

Terentius in Eunucho. Act. IV. Sc. 7. vs. 4. *Huc.* MS. Dresd. *hinc. Dorax.* Ita Lips. 1. Reliqui *Donate.* Erl. 2. Lips. 3. *Domate.* Secutus sum Lips. 2. probe tenens, in libris Terentii editis legi *Donax.*

Dorax. Ignis ab igne vel igni. Virgilius in IIII. Aeneidos: *Vulnus alit venis et caeco carpitur igni.* Idem in I. Georgicon: *Et quamvis igni exiguo properata maderent.* Juvenalis in V. *Minor igne rogi.* Lucanus in primo: *Igne vago lustrare iuvat tibi numine ab omni.* Etiam amnis ab hoc amne vel amni. Virgilius in nono: *Murorum in parte sinistra opposuere aciem: nam dextera cingitur amni.* Idem in primo Georgicorum: *Prono rapit alveus amni.* Lucanus in sexto: *Ferit amne citato Maliacas Sperchios aquas.* Anguis ab angue vel angui. Statius in quarto: *Angue ter excusso.* Horatius in primo Epistolarum: *Alter Mileti textam cane pejus et angui*
69 *vitabat chlamydem.* Similiter ab ungue vel ungui. Idem in eodem: *Ad haec ego naribus uti formido et luctantis acuto ne secer ungui.* Invenitur etiam a minore vel minori, a leviore vel leviori, a majore vel majori. Juvenalis in quinto: *Numinibus miserumque urgebat Atlanta minori pondere.* Statius in sexto Thebaidos: *Nunquam hunc animum natura minori corpore, nec tantas ausa est includere vires.* Juvenalis in tertio: *Non defuit illi, unde emeret multa pascendum carne leonem jam domitum, constat leviori belua sumptu nimirum, et capiunt plus intestina poetae.* Lucanus in septimo: *Vixque revulsa solo majori pondere pressum signiferi mersere caput.* Nec mirum tam in e quam in i comparativorum ablativos terminari, quando vetustissimi etiam neutrum in or finiebant, et erat eadem terminatio communis trium

---

Virg. in IV. Aen. vs. 2. *Idem in I. Georg.* vs. 196. *Juvenalis in V.* Sat. XV. vs. 140. *Lucanus in I.* vs. 50.

Etiam amnis. Vulgo *hic amnis.* Nos MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. secuti sumus.

Virg. in IX. vs. 469. *Dextera.* Unus *dextra.* *Idem in I. Georg.* vs. 203. *Lucanus in VI.* vs. 366. *Sperchios* posui secundum Codd. meos pro vulgato *Sperchius.* *Statius in IV.* vs. 518. *Horat. in I. Epist.* 17. vs. 30. *Cane pejus.* MS. Lips. 2. ridiculo errore *canapeus.* Lips. 1. *capaneus*, supra scripta lectione genuina. *Vitabat.* Haec est lectio meorum Codicum. Libri Horatii editi *vitabit.* *Chlamydem.* Codices mei *clamidem.*

§. 69. *Similiter ab ungue vel ungui.* Expuli Codicum praesidio firmatus *ab* ante *ungui.* *Idem in eodem.* Horatii Epp. I, 19. vs. 49. *acuto.* Lips. 1. *acuta.* *Juven. in V.* XIII, 48. *Statius in sexto Theb.* 834. 35. *Juven. in III.* Sat. VII. vs. 76. *Lucanus in VII.* vs. 162. Post hunc Lucani locum MSS. Luth.

generum, quae capax est, ut docuimus, utriusque ablativi, tam in e quam in i terminantis. Valerius Antias in sexto Annalium: *Hoc senatusconsultum prior factum est.* Cassius Hemina Annalem suum quartum hoc titulo inscripsit: *Bellum Punicum posterior.* Claudius in octavo Annali: *Qui prior bellum, quod cum his gestum erat, meminissent.* Idem in eodem: *Ubi decreverunt, commemorant. Graccho foedus prior Pompejanum non esse servatum.* Propria si sint appellativis similia in i terminantibus ablativum, ipsa per e eundem proferunt casum, sicut supradictum est. Juvenalis, Martialis, Felix, propria, a Juvenale, Martiale, Felice. Rudis, quando commune est, significat recentem, et neutrum in e facit, hoc rude, et ablativum in i, a rudi; quando vero virgam, qua gladiatores donati cessabant gladiatura, foemininum solum est, et ablativum in e finit. Juvenalis in II. *Hic Sergius idem accepta rude coepisset Vejento videri.* Strigilis vel derivativum est a stringo, vel a Graeco στλεγγίδος. Itaque rationabiliter in i terminavit ablativum. Horatius in secundo Sermonum: *An hic peccavit sub noctem qui puer uvam furtiva mutat strigili?* In ix etiam foeminina verbalia, quae possunt esse communia in numero plurali cum neutris, ut victrix, ultrix, unde victricia, ultricia, tam in e quam in i finiunt ablativum. Lucanus in secundo: *In sua victrici conversum viscera dextra.* Idem in eodem: *Tollite jampridem victricia tollite signa.* Statius in V. Thebai- XIV 70

Erl. 2. praestantissimi illi, ponunt Statii verba, e sexto Thebaidis libro supra allegata.

Claudius in octavo Annali. Pro *VIII.* unus meorum *IX.* Pro *Annali*, quae est plurimorum optimorumque Codicum lectio, vulgati libri exhibent *Annalium.* Mox *non esse servatum.* MS. Zwicc. 1. omittit *esse.*

§. 70. *significat recentem.* E MSS. Erl. 1. scripsi pro *significans.* Mox ante *gladiatura* omisi *a*, quam praepositionem inserunt libri editi, scripti vero ignorant.

a Graeco στλεγγίδος. MS. Zwicc. 2. στρηγγιλος. Lips. 2. στηγιδος.

Horatius in II. Serm. Sat. 7. vs. 110. *furtiva.* Duo meorum Codd. *furtivam.* Zwicc. 1. *fortuna.* Mox post *communia* e MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. addidi *in numero plurali*, et ante *victricia*, *ultrica* bis positam conjunctionem *et* delevi.

Lucanus in II. vs. 5. *Idem in eodem.* v. 317

Statius in V. Theb. vs. 117. *Virginibus.* Erl. 1. *Virginis.* Ad

dos: *Ultricia Grajis virginibus dare tela pater.* Postis etiam a poste vel posti invenio, quia, ut supra diximus, a duabus consonantibus incipiens finalis syllaba in is desinit. Lucanus in quinto: *Tum poste recluso dux ait.* Ovidius in V. Metamorphoseon: *Raptaque de dextro robusta repagula posti ossibus inlisit.* In as quoque circumflexa, quae apud veteres etiam in tis proferri docuimus, tam in e quam in i finiunt ablativum. Cicero pro Vareno: *C. Ancharius Rufus fuit e municipio Fulginate.* Idem in eodem: *In praefectura Fulginate.* Idem pro
71 Cluentio: *Ex municipio Aletrinati.* Alia vero omnia tertiae declinationis nomina in e desinunt per ablativos correptam, cum omnes aliae terminationes ablativi in omni declinatione producantur. Ergo si qua ex his, quae debent in e per ablativum proferri, inveniamus per i prolata, auctoritati adscribimus, quae saepe etiam dativis pro ablativis, necnon etiam pro genitivus est usa. Virgilius in octavo: *Advectum Aenean classi victosque penates,* pro advectum classe, nisi dicamus hellenismo usum esse poetam. Dativo enim casui illi hoc adjungunt verbum. In Graecis est quando invenimus e producta finiri ablativum tam primae quam tertiae declinationis nominum, qui magis dativus est Graecus positus pro Latino ablativo. Virgilius in primo Aeneidos: *Ipse uno graditur comitatus Achate.* Lucanus in octavo: *Signaque ab Euphrate cum Crassis capta sequen-*
72 *tes?* Similiter a Demosthene, Aristotele, Hermogene.

---

tela Codex Luth. in margine, Erl. 2. in textu addit *Danaus*, quam vocem in MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. post *pater* scriptam invenies. *Lucanus in V.* vs. 531. Pro *tum* MS. Lips. 2. *tunc. Ovidius in V. Metam.* vs. 120. Pro *inlisit* Ed. Gierigiana *illidit* exhibet. Deinde post *Fulginate* e MSS. adjeci *Idem.* Pro vulgato *eadem* secundum MS. Luth. Edd. Ven. restitui *eodem.* Illud enim e correctione ortum videtur. *Praefectura.* MS. Lips. 2. *id est in comitatu in praefectura in civitate.* Duo ergo glossemata in textum illata hoc loco deprehendis. Idem *Fulginati. Cic. pro Cluentio.* Cap. 16.

§. 71. *Alia vero omnia.* Ego e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. addidi *omnia.*

Ergo si qua. Zwicc. 2. *si aliqua. Virg. in VIII.* vs. 11. Pro *victos* unus meorum *vectos. Hellenismo* per literas Latinas efferendum curavi. Nec temere hoc feci. Nam Codices plerique et Edd. Ven. ita scriptum referunt, cum libri vulgati

Vetustissimi tamen etiam in quibusdam Latinis, quae nominativum in es productam terminantia pares cum genitivo habent syllabas in hac declinatione, solebant producere ablativum more quintae declinationis, vel supradictorum Graecorum, ut a mole, fame, tabe, quod adhuc sic profertur. Virgilius in VI. Aeneidis: *Offam objicit, ille fame rabida tria guttura pandens.* Lucanus in X. *Non mandante fame multas volucresque ferasque Aegypti posuere deos.* Juvenalis in V. *Membra aliena fame lacerabant esse parati et sua.* Lucretius: *Imbribus ut tabe nimborum arbusta vacillent.*

Nominativus pluralis fit a genitivo singulari, mutata ultima is in es productam in masculinis et foeminis et communibus, ut hujus cardinis hi cardines, hujus consulis hi consules, hujus matris hae matres, hujus vatis hi et hae vates. Neutra vero ex ablativo singulari faciunt nominativum pluralem hoc modo. Si in i vel tam in e quam in i exeat ablativus, correpta i et addita a fit nominativus pluralis, ut ab hoc mari haec maria, ab hoc cervicali haec cervicalia, a lacunari lacunaria, a pare vel pari paria, a felice vel felici felicia. Excipitur a vetere vel veteri, quod vetera, non veteria, facit. Necnon ab hoc ludicri, quod ludicra, non ludicria, facit. Virgilius in XII. Aeneidos: *Nec enim levia, aut ludicra petuntur praemia, sed Turni de vita et sanguine certant.* Similiter comparativa, quae ablativum tam in e quam in i terminant. Majora enim et minora XV 73 74

---

scribunt, *ἐλληνιαμῷ*. *Lucanus in VIII.* 538. *Sequentes.* Ita mihi propter Codicum Zwicc. 1. 2. Lips. 2. Erl. 2. Luth. consensum scribendum fuit. Vulgo *sequentem.* Edd. Ven. *forentes.*

§. 72. *Virg. in VI.* vs. 420. Hoc loco in *rabida* consentiunt Codices mei. *Lucanus in X.* vs. 158. 59. *Juvenalis in V.* Sat. XV. vs. 102. *Lucretius I.* vs. 806. Apud Eichstaedtium in textu legitur *vacillant*, in Indice *vacillent.* Nostri Codices tuentur vulgatam. Item Edd. Ven.

§. 73. *Mutata ultima is.* In editionibus vulgatis deest *ultima*, quod ego ex MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. adjeci. Mox ante *felice* ex iisdem libris manu scriptis inserui *a* praepositionem. Deinde *ludicra, non ludicria*, eorundem librorum auctoritate reposui pro *non ludicria, sed ludicra.* Paulo post *facit* scripsi pro *dicimus.* *Virg. in XII. Aen.* vs. 764.

et plura dicimus: quamvis etiam antiqui pluria dixerunt. Unde compositum compluria. Terentius in Phormione: *Multa advenienti, ut fit, nova hic compluria.* Cicero de Signis: *Imo vero alia compluria.* In quibusdam tamen codicibus invenitur complura. Idem in eodem: *Dies continuos compluris.* Idem pro Caecina: *Compluris armatos.* Gausape quoque, sicut supra diximus, et ablativum in e terminat, ab hoc gausape, et nominativum pluralem in a definit. Gausapa enim, non gausapia, dicimus. Horatius in secundo Sermonum: *Gausape purpureo mensam pertersit acernam.* Persius: *Jam chlamides regum, jam lutea gausapa captis.* Aplustre item quamvis faciat ablativum ab hoc aplustri, nominativum tamen pluralem non solum in a, sed etiam in ia terminat: aplustra enim et aplustria antiqui protulisse inveniuntur. Cicero in Arato: *Navibus assumptis fluitantia quaerere aplustra.* Caesar in Arato: *Fulgent Argoae stellis aplustria puppis.* Alia vero omnia neutra, quae in e terminant ablativum, mutata e in a faciunt nominativum pluralem. Ab hoc numine haec numina, a tempore tempora, a tubere tubera, a capite capita.

XVI 75 Genitivus pluralis tertiae declinationis nascitur ab ablativo singulari hoc modo. Cum in i vel in e et in i desinit, correpta i assumit um, ut a sedili horum sedilium, a cervicali cervicalium, ab equestri equestrium, ab utili utilium, a sapiente vel sapienti sapientium, a felice vel felici felicium. Multa tamen per syncopam solent proferri, sapientum pro sapientium, merentum pro merentium. Statius in secundo Thebaidos: *Dabitur mihi crede merentum consiliis tranquilla dies.* Idem in III. *Aeternaque sontum supplicia.* Coelestum pro coelestium. Virgilius in VII. *Coelestum vis magna jubet.* Et sciendum tamen, quod rarissime haec, quae in solam i finiunt ablativum, syncopam patiuntur i per genitivum pluralem. Inveni marum pro marium, qui tamen in

---

§. 74. *Unde compositum compluria.* Sustuli *est* Codicum suasu, quod in libris editis post *compositum* reperitur. Post *imo vero* e Codd. addendum fuit *alia*. *Aplustre item.* Vulgo *itidem*, quod Codices damnant.

§. 75. *Statius in II. Theb.* 352. 53. *Idem in III.* v. Ind. *Virgilius in VII.* Putschius reliquit falsum libri numerum IX.

raro est usu genitivus, apud Naevium in carmine belli Punici: *Senex fretus pietate deum allocutus summi deum regis fratrem Neptunum regnatorem marum,* pro marium. Ejus ablativum Caesar in quinto belli Gallici ponit: *Paulo latiores quam quibus in reliquis utimur maribus.* Comparativa quoque, quae inveniuntur tam in e, quam in i exeuntia per ablativum, carent i penultima in genitivo plurali, ut a majore vel majori horum majorum, a minore vel minori horum minorum. In e vero solam 76
finientia ablativum, si nominativus in duas terminetur consonantes, mutant e in i brevem, et assumunt um, ut hic Mars a Marte horum Martium, hic fons a fonte horum fontium, haec frons a fronte harum frontium, haec urbs ab urbe harum urbium, haec arx ab arce arcium. Rarissime tamen et haec supradicta, sicut illa, quae in i solam terminant ablativum, per syncopam i proferunt genitivum pluralem, exceptis in ms et ps desinentibus, si non sint a capite composita. Haec enim e ablativi in um convertentia faciunt genitivum pluralem, haec hiems ab hieme hiemum, princeps a principe principum, municeps a municipe municipum, forceps a forcipe forcipum, manceps a mancipe mancipum. A capite enim composita, et duabus syllabis abundant in genitivo, et trium sunt generum communia. Itaque et ablativum tam in e quam in i et genitivum pluralem rationabiliter in ium terminant, hic et haec et hoc triceps a tricipite vel tricipiti tricipitium, nisi syncopa fiat. Illa quoque, quae pares habent sylla- 77
bas, tam in genitivo quam in nominativo, mutant e in i et assumunt um, ut hic collis ab hoc colle horum collium, haec aedes hujus aedis ab aede aedium, haec caedes hujus caedis a caede caedium; nisi etiam haec per syncopam i proferantur. Frequentius tamen in es terminantia absque i inveniuntur, ut vatum pro vatium. Virgilius in quarto: *Multaque praeterea vatum praedicta*

Est vs. 452. *Caesar in V. Belli Gallici.* Cap. 1. Mox ante *majori* delevi Codicum jussu a praepos.

§. 76. Ante *arcium* omisi *harum*; ante *hieme* et *hiemum* delevi *hac* et *harum.*

§. 77. Ante *aedium* et *caedium* Codicum auctoritate expunxi pronomen articulare *harum. Virg. in IV.* vs. 464.

priorum. Cicero pro Sextio: *Vestrarum sedum templorumque causa.* Mensum quoque pro mensium. Ovidius in VIII. Metamorphoseon: *Et quos sustinui bis mensum quinque labores.* Excipiuntur juvenis a juvene juvenum, canis a cane canum, panis a pane panum: carent enim i penultima semper. In as quoque Latina mutant e ablativi in i, et assumunt um, a civitate civitatium, a probitate probitatium. In his tamen frequenter solet fieri concisio i in genitivo plurali, a civitate civitatium et civitatum, a probitate probitatium vel
78 probitatum. Reperiuntur praeterea absque i facientia genitivum pluralem, quamvis ablativum et in e et in i proferant, in us et in il et in or trium generum, et in ex desinentia, quando sunt communis generis, ut hic et haec et hoc vetus a vetere vel veteri veterum. Virgilius in quinto: *Veterum non immemor ille parentum.* Vigil ab hoc et ab hac vigile vel vigili, horum et harum vigilum. Juvenalis in quinto: *Praeterea lateris vigili cum febre dolorem.* Virgilius in nono: *Praeterea vigilum excubiis obsidere portas.* Sunt tamen, qui vigilis nominativum quoque similem genitivo esse putaverunt, usus tamen in il esse ostendit, ut Lucanus in IIII. *Tutelaque valli, pervigil alterno paret custodia signo.* Similiter memor a memore vel memori horum et harum memorum. Horatius in II. Sermonum: *Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta.* Raro tamen invenitur in e terminans hujus nominis ablativus, nec aliam esse causam existimo, ut supradictum est, nisi eam, quod apud

---

Cic. pro Sextio. Cap. 20. Post *mensum* e MSS. addidi *quoque. Ovidius in VIII. Metam.* vs. 500.

§. 78. Ante *veteri* delevi *a* praepositionem. *Virg. in V.* vs. 39. *Juvenalis in V.* Sat. XIII. vs. 229. *Virg. in IX.* vs. 159. Pro vulgato *interea* MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. scribi jusserunt *praeterea.* Mox *putaverunt*, quod libri editi post *qui* ponunt, Codicum auctoritate ad finem commatis rejeci. *Lucanus in IV.* vs. 6. Pro *tutela* Erl. 2. *cautela. Horatius in II. Serm.* Sat. IV. vs. 90. Mox *hujus nominis* secundum Codices meos scripsi pro *ejus nominis. Profluvia fide.* MS. Lips. 2. *profluida. Itane est madida.* MS. Lips. 2. *in madida.* MS. Dresd. *madidae memoriae.* Ante *hic celer* delevi *et.* Pro *inveniantur* restitui e MSS. *inveniuntur. Virg. in XII.* Falsum numerum *X*, quem Putschio quoque placuisse satis mirari non possis, emendavi e Codd. Est versus 534.

antiquos hic et haec memoris et hoc memore proferebatur. In quo testis est Caper, antiquitatis doctissimus inquisitor. Ostendit enim, Caecilium in Epiclero sic protulisse: *Itane Antipho inventus profluvia fide, itane est immemoris, itane est madida memoria?* Nec mirum, cum hic celer et hic celeris, et hic concors et hic concordis protulisse inveniuntur vetustissimi, multaque alia in eundem modum. Virgilius in X. *Nec domini memorum proculcat equorum.* Supplex ab hoc et ab hac supplice vel supplici, horum et harum supplicum. Artifex ab hoc et ab hac artifice vel artifici, horum et harum artificum. Lucanus in VIII. *Se simul et Romam Pompejo supplice mensus.* Salustius in Catilinario: *Demisso vultu, voce supplici.* Cicero pro Ligario: *Et nos iacentes ante pedes supplicum voce prohibebis.* Virgilius in I. *Artificumque manus inter se, operumque laborem.* Puto tamen, haec etiam ab oratoribus differentiae causa sic proferri per syncopam, quia supplicium et artificium neutra inveniuntur singularia. Hic et haec parens, quando nomen est, duum est generum, et genitivum pluralem absque i facit plerumque, horum parentum. Virgilius in II. Aeneidos: *Decora alta parentum.* Quod autem etiam parentium non irrationabiliter dicitur, ostendit accusativus pluralis in is etiam terminans, qui proprius est in ium terminantis genitivi. Terentius in Heautontimorumeno: *Quod volo aut peto parentis meos ut commonstres mihi.* Cicero de Suppliciis: *Navium praefectos sine ulla causa de complexu parentium suorum,* 79

---

§. 79. *Lucanus in VIII.* vs. 346. *Pompejo.* Zwicc. *Pompejos. mensus.* MSS. Luth. Lips. 1. Dresd. Erl. 2. *menses.* Unus *mentis.* Edd. Ven. recte vulgatam tuentur. *Salustius in Catilinario.* Cap. 31, 7. Quod libri vulgati, editiones etiam Venetae, ante *demisso* exhibent *prono*, id ut e glossemate textui obtrusum, cum a pluribus Codd., Lips. 2. 3. aliisque, absit, expunxisse recte mihi videor.

Cicero pro Ligario. Cap. 5. Edd. Bas. Colon. Ald. Ven. *prohibetis.* Ego Codd. Luth. Zwicc. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 5. Dresd. Putschium secutus restitui *prohibebis. Virg. in I.* vs. 455. *Virgilius in II.* vs. 448. *In is etiam terminans.* Activi participium pro passivo *terminatus* reposui e MSS. Dresd. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. *Terentius in Heautontim.* Act. V. Sc. 4. vs. 4. *Cic. de Supplicus.* Cap. 52. (Verr. V.) Ernestius *parentum* edidit.

80 *hospitum tuorum ad mortem cruciatumque rapuisti.* Notandum vero, quod omnia semper pluralia, quae in es desinunt, genitivum in ium faciunt, ut hae vires harum virium, hi Penates horum Penatium, (invenitur tamen apud veteres ejus singulare, hic penatis hujus penatis,) hi quinquatres horum quinquatrium, hi et hae tres horum et harum trium. Similiter hi et hae plures et haec plura vel pluria, horum et harum plurium. Cicero ad Herennium in III. *Complurium negotiorum.* In is quoque longam desinentia, lis a lite litium, Samnis a Samnite Samnitium, dis a dite ditium, nox etiam a nocte noctium. Unde Agellius Noctium Atticarum inscripsit. Caetera vero omnia ablativum in e solam terminantia, mutant eam in um, et faciunt genitivum pluralem, a poemate poematum, a Cicerone Ciceronum, a consule consulum, a Titane Titanum, a duce ducum, a patre patrum, a virtute virtutum, a capite capitum, ab alite alitum. Nam alituum per interpositionem addita u protulit Virgilius in VIII. *Alituum pe-*
81 *cudumque genus sopor altus habebat.* A bove quoque bovum debet fieri: sed hoc nomen notandum est, in quo u consonantem assumunt obliqui singulares, hiatus causa, abjiciunt eamdem autem est quando plurales. Virgilius in III. Aeneidos: *Huc ubi delati portus intravimus, ecce laeta boum passim campis armenta videmus.* Idem in VIII. *Reddidit una boum vocem vastoque sub antro.* Dativus etiam et ablativus ejus nominis per syncopam semper mediae proferuntur syllabae, bobus pro bovibus. Horatius in Epodo: *Beatus ille, qui procul negotiis paterna rura bobus exercet suis.* Nominativus vero pluralis et

---

§. 80. *Notandum vero.* Vulgo *etiam.* Illud exhibent MSS. Dresd. Erl. 2. Lips. 3. et videtur aptius esse quam *etiam.* Mox pro *nomina* MSS. Luth. Dresd. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. scribi jusserunt *omnia quae in es desinunt.* Post ea in libris vulgatis leguntur haec: *quae ex se non habent singularia.* Cum vero e glossemate orta ea esse pateat, tumque a Codicibus Luth. Zwicc. 1. Erl. 2. Edd. Ven. absint, in reliquis vero per *id est* antecedentibus jungantur et in Lips. 2. *singularem* legatur, omittenda esse censui. Pro *hic penatis* unus meorum *penates. Nox etiam.* E MSS. adjeci *etiam. Virg. in VIII.* vs. 27. Vulgo *IX.*

§. 81. Post *obliqui* Codicum jussu delevi *casus. Virg. in III. Aen.* vs. 220. *Idem in VIII.* vs. 217. Post *Dativus* expunxi *autem* et e MSS. substitui *etiam. Horat. in Epodo.* II. vs. 1.

accusativus et vocativus, qui similes sunt, raro abjiciunt u loco consonantis positam. Virgilius in Bucolicis: *Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum.* Idem in VIII. *Discessu mugire boves.* Idem in eodem: *Abstractaeque boves abjurataeque rapinae.*

Dativus et ablativus pluralis tertiae declinationis nascitur a singulari genitivo, interiecta bu, ut hujus hominis, his et ab his hominibus, hujus exulis, his et ab his exulibus, hujus numinis, his et ab his numinibus, hujus disparis, his et ab his disparibus, hujus felicis, his et ab his felicibus, toreuma toreumatis, his et ab his toreumatibus. In hujuscemodi tamen, id est neutris a finitis, quae sunt Graeca, frequenter invenimus antiquos dativum et ablativum plurales in is productam proferentes contra regulam tertiae declinationis, quam servant in caeteris casibus supradictorum nominum. Ut Cicero frequenter in Verrinis toreumatis dicit et peripetasmatis et emblematis. In libro de signis: *Nunc de peripetasmatis quemadmodum te expedias non habes.* Idem in eodem: *Scaphia cum emblematis.* Idem ad Herennium in IIII. *De orationibus aut poematis,* quamvis neutro genere hoc ubique profertur. Si enim, sicut Plautus et alii vetustissimi, foemininum hoc protulisset, pares syllabas omni casu servasset absque genitivo plurali secundum analogiam primae declinationis. Est igitur magis apud Ciceronem et eos, qui similiter in hujuscemodi proferunt, heteroclitum: vel, ut videtur Celso, a nominativo hoc peripetasmatum, hoc emblematum. Excipitur bobus, ut dixi, euphoniae causa pro bovibus. Est enim genitivus singularis bovis. Hora- XVII 82

5. Hic quoque locus in iis nominandus, qui parum diligenter redditi sunt a Prisciano. *Virg. in Buc.* Ecl. I. vs. 9. *Ludere quae vellem* Codicum jussu delevi. *Idem in VIII.* 215. *Idem in eodem.* vs. 263.

§. 82. *In hujuscemodi.* Omisi *nominibus*, quod libri vulgati addunt, cum haec vox a MSS. Luth. Zwicc. Dresd. Lips. 1. 2. absit. *Cicero de signis.* Verr. IV. Cap. 12. MS. Erl. 2. omittit *te. Idem in eodem.* IV, 17. *Idem ad Herennium.* IV, 4. *Hoc ubique profertur.* Ita pro *ubique ille profert* scribere me coegerunt MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd Lips. 1 2. *Omni casu.* Vulgo, *omni casui.* Praetuli lectionem MS. Zwicc. 2. aliorumque. Post *similiter* addidi *in* e MSS. et post *excipitur* delevi *etiam.* Pro *bobus* plures Codd. *bubus.*

tius in Carmine Saeculari: *Quaeque vos bobus veneratur albis.* Idem in III. Carminum: *Sol ubi montium mutaret umbras et juga demeret bobus fatigatis, amicum tempus agens abeunte curru.*

83 Accusativus pluralis tertiae declinationis similis est proprio nominativo, sicut et vocativus. In illis vero, quae genitivum ejusdem numeri in um finiunt, plerumque per es longam profertur, hi latrones hos latrones o latrones, hi consules hos consules o consules, hi tubicines hos tubicines o tubicines, hae matres has matres o matres, hi et hae sacerdotes hos et has sacerdotes o sacerdotes. Inveniuntur tamen quaedam etiam in is solam productam terminantia hunc casum Graeca, quae etiam nominativo similiter in is desinunt, hac Sardis has Sardis. Item Alpis, Syrtis, Trallis, quae apud Graecos in supradictis casibus εις diphthongum habent finalem. Horatius in I. Epistolarum: *Smyrna quid et Colophon? Quid Croesi regia Sardis?* Virgilius in X. *In Syrtis, in saxa volens vos Turnus adoro.* Quorum autem in ium terminantium genitivum frequentius in is, et quorum rarius exeat in es accusativus, ut potero, breviter colligam.

84 Omnium, quae tam nominativum quam genitivum similem habent, eorum accusativus raro in es, frequenter in is solet terminari, ut hic et haec omnis, hujus omnis, hos et has omnis. Salustius in Catilinario: *Omnis homines, qui sese student.* Terentius in Andria: *Omnis nos gaudere.* Virgilius in III. Georgicon: *Et pinguis unguine ceras.* Idem in IIII. Georgicon: *Aquas dul-*

Horatius in Carm. Saec. vs. 49. 50. *Quaeque* pro *quique* edidi e MSS. Lips. 2. Erl. 1. 2. Reliqui per compendium scripturae efferunt hanc vocem ita, ut dubius sis, *quique* an *quaeque* legi velint. Receptam lectionem tuentur Venetae etiam editiones, et tres membranae Richardi Bentleji, quibus vir ille summus ad laudatum Horatii locum usum se esse testatur. *Idem in III. Carm.* VI, 41. 42. *mutaret.* Erl. 2. *notaret.* Pro *curru* libri editi, Putschius quoque, exhibent *nocte.* Ego e MSS. Zwicc. 2. Lips. 2. restitui *curru.*

§. 83. Post *hos latrones* e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. adjeci *o latrones.*

Horatius in I. Epist. 11. vs. 3. *Virg. in X.* vs. 677. *exeat in es.* Vulgo *in es* ponitur post *accusativus.*

§. 84. *Salustius in Cat.* 1. *Terentius in Andria.* Act. V. Sc. 4.

eis et frondea semper tecta petunt. Idem in I. Aeneidos: *Hic fessas non vincula navis ulla tenent.* Idem in V. *Quove magis fessas optem dimittere navis.* Idem in eodem: *Muneraque in navis ternos aptare juvencos.* Similiter faciunt accusativum ejusdem formae semper pluralia, ut hi Manes horum Manium, hos Manes vel Manis. Virgilius in IIII. Aeneidos: *Id cinerem aut Manis credis curare sepultos?* Tres trium, hos et has tres vel tris. Idem in III. Aeneidos: *Tris adeo incertos caeca caligine soles erranus pelago.* In er quoque desinentia, quae in i terminant ablativum, similiter faciunt accusativum pluralem plerumque per is, raro per es, ut acer ab acri, hos et has acris. Virgilius in XI. *Metuensque moneret, acris esse viros.* Similiter saluber salubris a salubri, salubres vel salubris. Virgilius in XII. *Spargitque salubris ambrosiae succos et odoriferam panaceam.* Imber ab imbri, 85
hos imbres vel imbris. Idem in IX. *Cum fremit ad caulas ventos perpessus et imbris.* December, quod proprium est, a Decembri, hos Decembres vel Decembris. Horatius in I. Epistolarum: *Me quater undenos sciat implevisse Decembris.* Similiter celer vel celeris a celeri. Virgilius in III. Aeneidos: *Celerique fuga sub sidera lapsae semesam praedam et vestigia foeda relinquunt.* Idem in V. *Agmine remorum celeri ventisque vocatis.* Hos et has celeres vel celeris, quod est frequentius. Idem in IIII. *Et celeris defer mea dicta per auras.* Similiter faciunt accusativum in ns vel rs terminantia, ut hic fons, hos fontes vel fontis, hic et haec et hoc iners, hos et has inertes vel inertis, haec pars, has partes vel

---

vs. 43. *Virg. in III. Georg.* vs. 450. *Idem in IV. Georg.* vs. 61. *Idem in I. Aen.* vs. 168. *Idem in V.* vs. 28. *Quove.* Haec est lectio MSS. Lips. 2. Dresd., quam pro *quoque* in textum recipere non dubitavi. *Idem in eodem.* V, 247. Zwicc. 2. *teneros optare.* Posteriorem vocem Heynius in textum recepit, quem secutus sum.

Virg. in IIII. Aen. vs. 34. *credis.* Unus meorum *credas.* *Idem in III. Aen.* vs. 205. Pro *erramus* unus meorum *certamus.* *Virg. in XI.* vs 47. *Virgilius in XII.* vs. 419. Pro vulgato *sparsit* secundum MSS. Luth. Dresd. Lips. 2. Erl. 2. edidi *spargitque.* *Panaceam* varie scribitur in Codd. *paniceam, panacem, paniceam.*

§. 85. *Idem in IX.* vs. 60. *Horat. in I. Epist.* 20. vs. 27. *Virg. in III. Aen.* vs. 244. *Idem in V.* vs. 221. *Idem in IV.*

partis. Virgilius in II. Georgicon: *Aggredior sanctos ausus recludere fontis.* Terentius in Heautontimorumeno: *Parentis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.* Virgilius in sexto: *Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas.* Idem in II. *Penitusque cavernas ingentis uterumque armato milite complent.*
86 Idem in IIII. *Mactant lectas de more bidentis.* Alia autem, quamvis genitivum pluralem in ium desinentia, raro invenies, et in paucis is finientia accusativum, ut in as exeuntia nominativo, civitas civitatium, has civitates fere ubique legimus. In x terminantia trium generum communia, quamvis in paucissimis genitivum pluralem absque i penultima proferant: (Difficile enim invenies audacum pro audacium, vel felicum pro felicium. Supplicum autem magis differentiae causa, ut supra dictum est, profertur: ne, si supplicium dicas, aliud significare videaris, quomodo artificum pro artificium, et judicum pro judicium. Cicero de Signis: *Didici etiam, dum ministrum inquiro, artificum nomina.* Virgilius in primo Aeneidos: *Artificumque manus inter se operumque laborem.*) tamen accusativum plerumque per es efferunt. Lucanus in primo: *Est, qui, tauriferis ubi se Mevania campis explicat, audaces ruere in certamina turmas.* Raro per is. Virgilius in IIII. Georgicon: *Deinde| tenacis suspendunt ceras.* Plurium, quod solum in us terminans talem habuit genitivum pluralem, tam in es quam in is finit accusativum. Virgilius in primo Georgicon: *Seu pluris calor ille vias et caeca relaxat spiramenta, novas veniat qua succus in herbas.*

---

vs. 358. *Virg. in II. Georg.* vs. 175. *Terentius in Heautont.* Act. I, 2. vs. 20. *Virg. in VI.* vs. 540. *Idem in II.* vs. 19. *Idem in IV.* vs. 57.

§. 86. *Virg. in I. Aen.* 455. *Lucanus in primo.* vs. 475. 76. *Est.* Hanc lectionem unice veram restitui ego Prisciano e MSS. et Edd. Ven. cum vulgo, in Putschiana etiam, legitur *et. Virg. in IV. Georg.* vs. 162. *Virg. in I. Georg. Pluris.* Vulgo, *plures*, quod falsum. Restitui *pluris* e Codd. Pro *et caeca* MS. Lips. 2. *seu caeca.* Pro *succus* idem Cod. *sucus. Terentius in Phormione.* Act. III. Sc. 2. vs. 35. *adversus.* Codd. Zwicc. 2. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Edd. Ven. *adversus* pro *adversum*, quos sequi debui. Pro *compluris* Erl. 2. *complures. Horatius in I. Epist.* 20. vs. 19. *tepidus.* Lips. 1. *rapidus.* Ed. Ven. 1. *admoverat. et litis* scripsi secundum

Terentius in Phormione: *Ego te compluris adversus ingenium meum menses tuli.* Horatius in I. Epistolarum: *Cum tibi sol tepidus pluris admoverit auras.* Cicero pro Cornelio primo: *Quae intermissa compluris annos.* Harum litium has lites et litis. Cicero in Frumentaria: *Sedasti etiam litis eorum.*

XVIII 87 Quarta declinatio terminationes habet in nominativo duas, in us correptam et in u. In us masculinorum et foemininorum tantummodo Latinorum, ut hic senatus hujus senatus, haec manus hujus manus. In u neutrorum, quae indeclinabilia sunt in singulari numero, ut hoc genu hujus genu, hoc cornu hujus cornu. In quibus quamvis quibusdam artium scriptoribus videatur temporum esse differentia, dicunt enim, nominativum quidem et accusativum et vocativum corripi, reliquos produci, ego in usu pariter in omnibus produci invenio casibus haec nomina, nec irrationabiliter. Omnis enim in quacumque parte terminatio in u desinens producitur, ut fluctu, Panthu, tu, diu. Ovidius in IX. Metamorphoseon: *Dextroque a poplite laevum, pressa genu digitis inter se pectine vinctis.* Ecce enim accusativus est sine dubio productus. Apud Virgilium quoque in I. Aeneidos: *Nuda genu nodoque sinus collecta fluentis.* Quomodo enim *sinus collecta* accusativum junxit nominativo, sic etiam *nuda genu.*

88 Genitivus igitur in us desinentium fit producta us, ut hujus senatus, hujus manus. Vetustissimi tamen inveniuntur eorum nominum etiam in uis divisas proferentes genitivum. Terentius in Heautont. *Texentem*

Codices meos pro *vel litis.* Mox *eorum* e MSS. Zwicc. 2. Erl. 1. Dresd. reposui pro *illarum.*

§. 87. Pro *temporum* MS. Zwicc. 1. *temporis.* Post *ego* Codicum praestantissimorum jussu expunxi *etiam*, quod e libris editis Veneti etiam recte omiserunt. Ante *produci* etiam *vero* omisi.

Ovidius in IX. Metamorph. vs. 298. 99. Falsus legitur in libris vulgatis numerus libri VIII. *vinctis.* Ita scripsi pro *junctis* secundum MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Ita et Heinsius, notante Gierigio, legi maluit. *Ecce enim accusativus est sine dubio productus.* Haec est lectio MSS. Zwicc. 2. et Luth. quae cum commodior vulgata, *ecce enim hic accusativus est sine dubio et producitur*, visa sit, a me in textum recepta est. *Virg. in I. Aen.* vs. 320.

§. 88. *Terentius in Heaut.* Act. II. Sc. 3. vs. 44. 45. 46. *ipsam*

telam studiose ipsam offendimus, mediocriter vestitam veste lugubri, ejus anuis causa, opinor, quae erat mortua.

Dativus ejus declinationis fit a genitivo, abjecta s et addita i, sed corripitur penultima, ut huic senatui, manui. Est tamen quando poetae metri causa pro eo ablativo utuntur. Virgilius in I. Aeneidos: *Parce metu, Cytherea, manent immota tuorum fata tibi,* pro metui. Idem in IIII. Georgicon: *Namque aliae victu invigilant,* pro victui. In eodem: *Concubitu indulgent,* pro concubitui.

89 Accusativus quartae declinationis a nominativo fit, mutata s in m, hunc senatum, hanc manum.

Vocativus similis est nominativo, hic senatus, o senatus, haec manus, o manus.

Ablativus fit a genitivo, abjecta s, producit enim u, ab hoc senatu, ab hac manu.

Nominativus et accusativus et vocativus pluralis in hac declinatione similis est genitivo singulari, ut hi et hos et o senatus, hae et has et o manus. Hae Idus harum Iduum has et o Idus semper plurale est, ut omnium festorum nomina.

90 Genitivus pluralis a nominativo fit singulari, abjecta s et assumpta um. Corripitur enim u in utraque syllaba, quomodo et nominativus, horum senatuum, harum manuum. Et oportet scire, quod in hac declinatione omnes casus pares habent syllabas nominativo singulari, excepto dativo singulari et genitivo et dativo et ablativo pluralibus, qui una superant syllaba, quod habebat etiam genitivus singularis, cum apud vetustis-

---

omittit MS. Luth. Post *Dativus* expunxi *singularis* et pro vulgato *ejusdem* e MSS. reposui *ejus*. Edd. etiam Venetae omittunt *singularis* et pro *ejus* exhibent *hujus*. *Virg. in I. Aen.* vs. 257. *Idem in IV. Georg.* vs. 158. *In eodem.* vs. 198.

§. 89. *Hic senatus o senatus.* Ita MSS. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 2. Vulgo *o senatus* post *haec manus* ponitur. *Producit enim u.* Hanc lectionem praestant MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Luth. Dresd. Vulgo, *producitur*. *Has et o Idus.* Haec addidi e MSS. Dresd. Erl. 2. Post *nomina* addunt plures MSS. *dierum.*

§. 90. *Quomodo et nominativus.* Plures meorum Codd. *sicut in nominativo.* Plerique post *omnes* omittunt *casus.* Nolui sollicitare vocem insontem. *excepto* pro *exceptis* scribi jusserunt omnes fere mei Codices. Mox ante *ablativo* posui *et*

simos in uis divisas desinebat. Invenitur tamen, sed raro, apud poetas genitivus pluralis in hac quoque declinatione per syncopam prolatus. Virgilius in VI *Quae gratia currum armorumque fuit vivis.* Quamvis etiam geminata u possit metrum per synaloepham stare, cum sequens versus a vocali incipiat, necnon etiam duabus vocalibus junctis prior potest in metro excludi, ut *Ferreique Eumenidum thalami.*

Dativus et ablativus pluralis quartae declinationis 91
fit a nominativo singulari, mutata u in i, et interposita bu, ut hic senatus, his et ab his senatibus, haec manus, his et ab his manibus. Est autem quando differentiae causa servat u, ut artus artubus, arcus arcubus, partus partubus. Artibus enim et partibus et arcibus ab arte, parte, arce nascuntur, quae sunt tertiae declinationis, cujus dativus et ablativus pluralis penultimam aliam, nisi i correptam, habere non potest. Unde excipitur his et ab his bubus. In hac vero, id est quarta, in quibusdam inveniuntur veteres per supradictos casus plurales, quamvis nulla cogente causa differentiae, u penultimam pro i ponentes, ut portubus, specubus, tribubus, lacubus. Ovidius in IV. Fastorum: *Praemia de lacubus proxima musta tuis.* Neutrorum vero singularia, quae indeclinabilia esse supra diximus, corripientia u assumentiaque a, faciunt nominativum et accusativum et vocativum plurales, cornu cornua, genu genua. Genitivus vero et dativus et ablativus ad similitudinem fit tam masculini quam foeminini, cornuum, genuum, his et ab his cornibus, genibus.

---

pro *vel. Virgilius in VI.* vs. 655. *Possit.* Vulgo *posset*, quod damnant optimi Codices. *Metrum.* Vulgo, *neutrum*, quae lectio tam inepta et absurda est, ut vix sanae mentis esse posse credas editorem, qui eam reliquerit. Putschius pro sua negligentia reliquit foedum vitium, quod sensus communis, Codices, Edd. Ven. unanimi consensu damnant.

ferreique Eumenidum thalami. Virg. Aen. VI. 286.

§. 91. *Ovid. in IV. Fast.* Pro *III.* restitui *IV.* Est vs. 888. *dativus et ablativus.* Vulgo, *vel ablativus, cornuum, genuum, his et ab his cornibus, genibus.* Pro *genuum* libri vulgati exhibent *genitivus*, quod usui Prisciani repugnat. Is enim nunquam solet postponere casuum nomina. *Genuum* praestant MSS. Zwicc. 1. Luth. Dresd. Erl. 2. Lips. 2. Edd. Ven. 1. 2. Pro *genibus* legitur in libris vulgatis *dativus et ablativus.* Nostram lectionem tuentur Codices et Edd. Ven. 1. 2.

XIX. 92 Quinta declinatio terminationem habet nominativi unam in es productam, et sunt omnia foeminini generis et Latina. Excipitur unum, dies, quod in singulari numero tam masculini quam foeminini generis invenitur, ut Lucanus in II. *Proh fata quis ille, qui fuit ille dies.* Virgilius in IIII. Aeneidos: *Ille dies primus leti primusque malorum causa fuit.* Idem in II. *Venit summa dies et ineluctabile tempus Dardaniae.* In plurali vero semper masculinum invenitur, hi dies, sicut etiam ab eo compositum semper masculini generis est, hic meridies. Terentius in Adelphis: *Praeterea meridie ipso faciam ut stipulam colligat.*

93 Genitivus et Dativus ejus declinationis sunt similes; fiunt enim extrema s nominativi abjecta, et assumpta i, ut hic dies hujus diei huic diei, haec facies hujus facii huic faciei. Servant quidem productionem nominativi, si i habeat penultima, ut acies aciei, rabies rabiei. Sin autem consonantem habeant ante s, corripitur e tam in genitivo quam in dativo, ut haec fides hujus et huic fidei, res rei, spes spei, plebes plebei. Veteres tamen frequentissime inveniuntur similem ablativo protulisse in hac declinatione tam genitivum quam dativum. Salustius in Historiarum primo: *Dubitavit acie pars*, pro aciei. Et Virgilius in I. Georgicon: *Libra die somnique pares ubi fecerit horas*, die pro diei. Ovidius quoque in III. Metamorphoseon fide pro fidei posuit: *Prima fide vocisque ratae temptamina sumpsit.* Idem in sexto: *Utque fide pignus dextras utriusque poposcit.*

94 Accusativus a nominativo fit, mutata s in m, et necessario correpta e. Nunquam enim ante m termi-

---

§. 92. *Lucanus in II.* vs. 98. 99. *Qui fuit ille dies! qui* scripsi pro *quis* secundum MSS. Zwicc. 1. Erl. 2. Luth. *Virg. in IV. Aen.* vs. 169. *Idem in II.* vs. 324. *Semper masculinum.* MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. pro *masculini semper. Terentius in Adelphis.* Act. V. Sc. 3. vs. 62.

§. 93. *Servant.* Omisi ante hanc vocem *et.* Mox *habeat penultima* scripsi Codicum jussu pro *habeant penultimam.* In loco Virgilii unus vel alter meorum Codd. *fecerat.* In Ovidiano loco edidi *temptamina* pro *tentamina* Codicum suasu. *Idem in sexto.* vs. 498.

nalem longa invenitur vocalis, ut hunc meridiem, hanc rem.

Vocativus similis est nominativo, hic meridies o meridies.

Ablativus quoque fit a nominativo, abjecta s, hic meridies ab hoc meridie, haec acies ab hac acie. Inveniuntur tamen hujuscemodi ablativo veteres etiam pro genitivo usi, ut Virgilius in I. Georgicon: *Libra die somnique pares ubi fecerit horas*, die posuit pro diei. Sallustius quoque in Histor. lib. I. *Dubitavit acie pars*, pro aciei. Idem in primo: *At inde nulla munitionis aut requie mora processit ad oppidum*, requie pro requiei. Quidam tamen antiquissimorum etiam similem nominativo genitivum protulerunt ejusdem declinationis.

Pluralis vero nominativus et accusativus et vocativus similis est nominativo singulari, ut haec res, hae et has et o res. 96

Genitivus fit, addita ablativo singulari rum syllaba, ut ab hac re harum rerum, a die dierum: qui tamen in aliis fere omnibus usu apud plerosque defecit. Itaque Cicero hoc approbat in Topicis, dicens: *In divisione formarum, quas Graeci ἰδέας vocant, nostri, si qui haec forte tractant, species appellant, non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si Latine quidem dici possit, specierum et speciebus dicere, et saepe his casibus utendum est: at formarum et formis velim.* Inveniuntur tamen vetustissimi secundum analogiam hoc usi casu. Cato Censorius in oratione, quam scripsit, uti praeda in publicum referatur: *Miror audere atque religionem non tenere, statuas deorum, exempla earum facierum, signa domi pro supellectile statuere.*

---

§. 95. *Pluralis vero nominativus.* Ita Cod. Vulgo, *nominativus pluralis* rel. Post *has* delevi *res*. Post *genitivus* expunxi *pluralis* et ad *rum* e Codd. adjeci *syllaba*. *Defecit* e Cod. Luth. epposui pro *defici*. *Cicero in Topicis.* Cap. 7. *In divisione formarum.* Haec est lectio MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwice. 1. 2. Dresd. Vulgo, *in divisione vero sunt formae.* Lanestius omisit *vero. ne si.* Plures MSS. *nisi. Sic etiam* Vulgo, *sic et.* Post *dativi* e MSSis meis addidi *et ablativi.* Pro *ejusdem* Codicum auctoritate posui *ejus*.

Dativus quoque et ablativus plurales ab ablativo fiunt singulari, adjecta bus, ab hac re, die, his et ab his rebus, diebus. Sicut autem genitivi, sic etiam dativi et ablativi plurales in aliis nominibus ejus declinationis deficiunt apud plerosque.

LIBER OCTAVVS.

Verbum est pars orationis cum temporibus et modis sine casu, agendi vel patiendi significativum. Hac enim definitione omnia tam finita quam infinita verba comprehenduntur. Neutra enim, quae dicuntur absoluta, et deponentia omnimodo naturaliter vel in actu sunt vel in passione. Verbum autem quamvis a verberatu aeris dicatur, quod commune accidens est omnibus partibus orationis, tamen praecipue in hac dictione quasi proprium ejus accipitur, qua frequentius utimur in omni oratione. Licet tamen pro omnibus dictionibus dicere verba, frequentique usu hoc approbatur. Necnon etiam nomina, sed raro, ut Virgilius in II. Aeneidos: *Foliisque notas et nomina mandat.* Terentius in Adelphis: *Verbum de verbo expressum extulit.* Idem in Andria: *Bona verba quaeso.* Verbo accidunt octo, significatio sive genus, tempus, modus, species, figura, conjugatio, et persona cum numero, quando affectus animi definit. Sciendum autem, quaedam verba inveniri defectiva quorundam supradictorum accidentium, et hoc vel naturae necessitate fieri, vel fortunae casu. Ergo naturae necessitas bipartita est; in significationem et in commoditatem, id est in consonantiam elementorum. Sunt enim quaedam nec solum in verbis, sed etiam in aliis partibus orationis, quae si-

Lib. VIII. § 1. Ante *Neutra* omisi *et* secundum Cod. Frl. 1. Mox pro *dicatur* Dresd. *dicitur*. Recte habet subjunctivus. *Virgilius in III. Aen.* vs. 444. Pro *notas* MS. Dresd. *carecteres*. *Terentius in Adelphis.* Prol. 11. *Idem in Andria.* Act. I. Sc. 2. vs. 13.

gnificationis causa dici non debent: ut si velimus masculinum dicere ab eo quod est nupta, nuptus; vel a puerpera, puerperus; oppugnat ipsa rerum natura propter significationem, quae solis accidit foemininis, nisi figura vel auctoritas intercedat. Figura, ut si dicam, bonus animus uxoris mihi nuptus est, pro bonum animum habens uxor mihi nupta est. Auctoritas, ut Plautus in Casina: *Libet Charinum quid agat scire novum nuptum,* pro maritum. Nec non in pronominibus, quae sunt tertiae personae, primitivis, si velimus vocativum proferre casum, qui non potest nisi secundae accidere personae, haec eadem naturalis necessitas vetat. Praeterea sui sibi se a se, nominativum hoc pronomen habere non potest. Ideo quia quoties hoc pronomen ponitur, ostendit tertiam personam, vel ipsam et agere simul, et pati a se, ut, poenitet illum sui, invidet sibi, accusat se, vel et ipsam agere et aliam extrinsecus in eam, ut, rogat ut sui causa facias, petit ut sibi concedas, precatur ut se custodias. Quod cum fit, id est quando eadem persona et agit et patitur, vel a se vel ab alia, non indiget nominativo casu, sed eo, cui solet adjungi verbum, quod actum significat, id est genitivo vel dativo vel accusativo vel ablativo, quos habet hoc pronomen. Ipsum enim verbum agentis personae nominativum in se habet. Si enim dicam, rogat te, ut ad se venias, sine dubio intelligis in eo, quod dixi, rogat, simul et ille, qui est nominativus. Haec eadem ratio naturalis, et in interrogativis, et in infinitivis nominibus, quae tertiae sine dubio sunt personae, et maxime solent jungi personae absenti, vel quasi absenti, ut quis, qua-

---

§. 2. *Plautus in Casina.* Act. V. Sc. 1. vs. 6. *Libet Charinum quid.* Haec fere est lectio Codd. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. nisi quod pro *Charinum* exhibent nonnulli *etiam num*, quod ex nomine isto ortum puto. Cf. infra notam ad §. 12. At MSS. Zwicc. 1. 2. Erl. 2. Dresd. ita: *libet etiam charinum quid.* Vulgo, *libet etiamnum quid.* Neminem fore puto, qui me, quod *Charinum* pro *Chalinum* scripserim, reprehendat. In talibus enim Codices vel vitiosa praecipientes sequi debui. Edd. Ven. *Libet etiam quid agat scire carinum nuptum novum.*

§. 3. *Nec non.* Delevi post haec *etiam.* Inserui *et* post *vel* ante *ipsam;* item ante *agit.* Delevi *tantum* post *eo* Codicum jussu.

lis, quantus, et similibus vocativum esse prohibet, quia vocativus ad aliquam finitam fit et praesentem personam, ad quam oratio dirigitur, id est ad secundam. Incommoditate vero vel inconsonantia, quam 4
Graeci ἀσυμφωνίαν vocant, deficiunt quaedam, ut si velimus ab eo, quod est cursor et risor, foemininum dicere, secundum analogiam mutatione or in rix absonum fit et incongruum naturae literarum. Unde Cicero volens ab eo, quod est expulsor, proferre foemininum, mutavit s in t, et expultrix dixit Tusculanarum V. *O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum.* In eodem: *Regiae virgines, ut tonstriculae, tondebant barbam et capillum patris.* Ab eo quod est tonsor tonstrix fecit foemininum, addita t, et ex eo diminutivum tonstricula, quomodo a nutrix nutricula, et ea per naturam. Per fortunam quoque duobus modis prohibemur quaedam proferre, vel quod inusitata sunt, vel quod inconcinna et turpia, vel aspera prolatu videntur esse. Inusitata sunt, quibus non inveniuntur usi auctores, quamvis proportione potestatem faciente dicendi, ut faux, prex, chaus, ditio. Positivum faris debet esse for, passivum do debet esse dor. Ea enim quamvis ratione regulae bene dicantur, tamen quia in usu auctorum non inveniuntur, recusamus dicere. In- 5
concinna vero vel turpia vel aspera prolatu videntur esse, metuturus, vel metuiturus, nutritrix: quod quamvis secundum analogiam debuisset dici (in or enim terminantia masculina, quae ex verbis nascuntur, mutant or in rix, et faciunt foeminina, ut doctor doctrix, victor victrix. Cum igitur masculinum sit nutritor, ex eo

---

§. 4. *foemininum dicere.* Hanc lectionem recepi e MSS. Zwicc. 2. Lips. 2. pro vulgato *foeminina facere.* *Tusculanarum V.* Cap. 2. *In eodem.* Cap. 20. Pro *capillum* unus meorum Codd *capillos.*

chaus, ditio. Libri vulgati *caus*, quod falsum esse, me non monente, intelligitur. Expulissem ergo hanc vocem, praesertim cum a Codd. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Luth. absit, nisi MS. Lips. 2. *chaus* obtulisset, quod quum commodum sit, in oculos incurrit. Hunc Codicem et Edd. Ven. in eo quoque secutus sum, quod post *ditio* expuli *for, dor*, quae ab aliena manu hoc quidem loco intrusa esse videntur, cum in proxime sequentibus diligenter explicentur.

secundum analogiam nascebatur nutritrix:) euphoniae tamen causa concisio facta est mediae syllabae, sicut bobus pro bovibus. Necnon etiam in contextu diversarum dictionum hoc solet fieri, ut, cum nobis turpe est, itaque nobiscum praeposterum profertur. Unus ergo ex his plerumque quatuor modis invenitur, qui facit tam verba quam alias partes orationis esse defectivas. Differentiae quoque causa multa solent vel taceri, vel contra regulam proferri, ut fas genitivum non habet. Nam sive fatis, vel faris, vel fassis dicamus, aliud potest significare. Conjunx conjungis secundum analogiam debuit proferri, sed ne verbum putetur, absque n profertur conjugis. Similiter accentus, pone, ergo, differentiae causa in fine ponitur. Venus Veneris, cum omnia in us correpta propria secundae sint, solum tertiae invenitur, ne, si Veni dicamus, verbum esse puteta tur. Far farris solum in r desinens geminavit r, ne, si faris dicamus, aliud monstret. Similiter repugnantibus regulis, solent quaedam taceri, ut τοῦ ador genitivus in usu frequenti non invenitur, quia duae contrariae pugnant in eo regulae. Cum enim sit neutrum, debet penultima o genitivi corripi, ut aequor aequoris, marmor marmoris; sed cum habeat verbum adoro pe-

---

§. 5. *praeposterum profertur.* Vulgo, *praepostere profertur*, quod Codices praestantissimi omnes damnant.

sive fatis, vel faris, vel fassis. Vulgo, *sive — sive — sive.* Equidem Codd. Zwicc. 1. Lips. 2. in his secutus sum. Pro *faris* nonnulli *fasis*, et pro *fassis* plures *farsis*. Post *ne verbum putetur* eliminavi Codicum meorum jussu *conjungo conjungis*. Item mox post *secundae sint* ejeci *declinationis*.

§. 6. *debet produci.* Post haec in libris vulgatis legitur, *ador, adoris.* Absunt haec ab Codicibus meis plerisque. *In ui faciant.* Vulgo, *faciunt.* Post *dativus* expunxi, quod libri editi addunt, *manus esse*, Codices secutus Zwicc. 1. Luth. Pro *putetur* Edd. Ven. et MS. Dresd. *putaretur.* Pro *huic aspiretur* MSS. Zwicc. 1. Erl. 2. *hic.* Edd. Ven. *hinc.*

Putaremur. Vulgo *putaretur.* Ego secutus sum MSS. Luth. Erl. 1. eo fidentius, cum caeteri *putaremus* exhibeant. *vel univocis* omittit MS. Lips. 2. Pro *soleat fieri* Zwicc. 2. Lips. 2. *soleat proferri.*

quae in quibus. Vulgo, *quae in quibusque.* Falsam hanc esse lectionem patet. Melius duo meorum MSS. *quae in quibusve.* Lips. 1. *in quibuscunque.* Equidem secutus sum auctoritatem MS. Erl. 1. Edd. Ven. Pro *deficiant* scripsi secundum MSS. Lips. 2. Zwicc. 1. Edd. Ven. *deficiunt. Occurrent.*

nultimam producens, debet produci. Unde et derivativum ejus adorea o producit, cum marmorea, aequorea, o corripiant. Ergo repugnantibus regulis, mansit ador in frequenti usu indeclinabile. In verbis quoque cum omnia in neo desinentia secundae conjugationis in ui faciant praeteritum perfectum, ut teneo tenui, moneo monui, differentiae causa maneo mansi facit, ne manui dativus putetur, et neo nevi, ne, si nui diceremus, a nno esse videatur. Audeo ausus sum, quia hausi ab haurio fit, quamvis huic aspiretur. Fac, dic, duc, fer, magis placuit per apocopam proferri, differentiae causa, ne, si face, dice, duce, fere, diceremus, aliud significare putaremur. Quamvis hoc non in omnibus consimilibus vel univocis soleat fieri. Singula igitur accidentia verbis disserentes, quae in quibus deficiunt, prout animo occurrent, ostendemus.

Significatio vel genus, quod Graeci διάθεσιν vo- II
cant, verbi in actu est proprie, ut dictum est, vel in 7
passione, et omnia verba perfectam habentia declinationem et aequalem vel in o desinunt, vel in or. Et in o quidem terminantia duas species habent, activam et neutralem. Et activa quidem semper actum significat, et facit ex se passivam absque duobus verbis, metuo

---

Vulgo, *occurret*. Nec non ferri potest. MSS. Zwicc. 1. Dresd. *occurrant*, melius sane nec tamen satis commode. Recepi igitur lectionem unice veram, quam MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. tuentur. Edd. Ven. *prout animo occurrerit*, quam lectionem unus meorum Codd. exhibet.

§. 2. *quod Graeci διάθεσιν vocant.* Plerique Codices, in his Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. Dresd. omittunt vocem Graecam, eaque loco Latinam *affectum* exhibent. Nulla vero ratione fieri potuit, ut auctor hoc quidem loco vocem Latinam poneret, sed *affectum* ex interpretatione glossatoris ortum esse, nunc quoque nonnulli Codices docent. Nam in MS. Erl. 2. super voce διάθεσις scriptum legitur *i. affectū*. Ridiculus inde natus est error in MS. Lips. 2. qui in textu αφηγητον et nota interlineari *i. affectum* refert. In vulgatis etiam libris διάθεσιν legitur. Equidem exhibuissem Codicis lectionem, διάθεσις, nominativum, nisi in Graecis Libris vel maxime peccantes deprehenderentur. Caeterum notandum est, Ed. Ven. 1. graecae voci spatium vacuum reliquisse, alteram vero vulgatam lectionem διάθεσιν tuori. Lips. 1. *affecton.*

vel in o desinunt. MS. Luth. *definiunt.*

Et activa quidem. Vulgo additur *species.* Cogitatione quidem

metuor et timeo timeor. Haec enim contrariis vocibus videntur habere significationes: quamvis etiam ad sensus pertinentia verba, si quis altius consideret, in activis vocibus passionem, et in passivis actionem fieri inveniet, ut audio te, video te, tango te. Ostendo enim, pati me aliquid in ipso actu. Cum enim dico, audio te, ostendo, quod vocis tuae actum patiuntur aures meae. Et e contrario, audior a te, dico, quod vox mea agit aliquid in aures tuas. Sed tamen, quia nobis agentibus, id est, sentientibus et aliquid facientibus, et oculi vident et aures audiunt, et tactus corpori evenit, non irrationabiliter activorum et vocem et constructionem habuerunt. Neutra vero appellaverunt, quae in o desinentia sicut activa non faciunt ex se passiva, quamvis habent varias significationes, de quibus
8 post docebimus. In or vero terminantia tres species habent: passivam, quae ex activis nascitur, et semper passionem significat, exceptis supradictis; communem, quae una terminatione tam actionem quam passionem significat; deponentem, quae cum similem habeat communibus positionem in or desinendi, tamen deponens vocatum, quasi simplex et absoluta, quae per se ponitur, vel quae deponit alteram significationem, et unam per se tenet, quomodo positivus gradus dicitur, qui absolutus per se ponitur non egens alterius conjunctione. Haec quoque tamen species, id est deponens, quomodo naturalis diversas habet significationes, de quibus
9 latius in sequentibus tractabimus. Activa igitur et pas-

---

haec est addenda vox, non autem scribenda, cum ex antecedentibus suppleri facile possit, et a pluribus Codicibus absit. Hinc natus est error in uno alterove Codice, quod exempli gratia in MS. Lips. 1. mox *significant* et *faciunt* legitur. Deinde *passivam* e Codd. Lips. 2. Erl. 2. Dresd. Erl. 1. Zwicc. 1. 2. scripsi pro vulgato *passivum*.

quamvis etiam ad sensus pertinentia. Pro *etiam* vulgo legitur *et*. Illam lectionem hausi e MSS. Dresd. Luth. Erl. 2. Lips. 1. 2. Post *sensus* addunt MSS. Lips. 2. Erl. 2. *corporis*. Hic tamen lineola subducta spuriam esse vocem declarat. *consideret* Erl. 1. *considerat*. *in passivis* plurimi Codices omittunt *in*. *Inveniet*. Vulgo, *inveniat*. Ita et plerique Codd. Futurum exhibet Zwicc. 1. et haec lectio concinnior et usui Prisc. convenientior mihi esse visa est. Mox *pati me aliquid* secundum Codices scripsi pro *aliquid me pati*.

quod vox mea agit. Pro *quod* plures meorum Codd. *cum*. *De quibus post docebimus.* MS. Lips. 2. *paulo* addit.

siva et communia certam et praefinitam habent significationem: neutra vero et deponentia variam. Haec autem verba proprie activa vel recta vocantur, quae in o desinentia, et assumpta r facientia ex se passiva, confestim cum dicuntur, possunt transire in quem fit actus, et conjunguntur vel genitivo vel dativo vel accusativo casui, ut abstineo irarum. Horatius Carminum lib. III. *Mox ubi lusit satis, abstineto, dixit, irarum*. Impero tibi, maledico tibi, invideo tibi, oro te, amo te, accuso te. Haec enim faciunt ex se passiva, quae ablativo casui cum praepositione ab vel a solent jungi, ut abstineor a te, imperor a te, maledicor a te, invideor a te, oror a te, amor a te, accusor a te. Possunt tamen passiva dativo etiam adjungi, ut servor tibi. Et est quaerendum, cur activa ablativo per se non adjunguntur: et puto, quod ille casus propriius est passivorum. Ideo autem dixi per se, quia cum alio casu sociata adjunguntur, ut video solem oculis, prohibeo filium turpitudine. Accusativo quoque inveniuntur passiva conjungi, sed figurate, ut abscinditur manum, frangitur pedem, sanatur oculum, rumpitur aurem. Virgilius in V. Aeneidos: *Intentaque brachia remis intenti expectant signum*. Idem in III. Georgicon: *Pascuntur vero silvas et summa Lycaei*. Quae vero in o desinentia nihil ex his, quae propria esse activorum docuimus, habent, neutra proprie vocantur vel absoluta, ut est vivo, ditesco, ferveo, sedeo. Haec enim non egent supradictis casibus ad complendam sententiam, unde juste

---

§. 9. *Horatius Carm. Lib. III.* 27. vs. 69. Huic quoque loco Putschius cum caeteris falsum praefixit numerum *IV*. Edd. Ven. *in primo*. Pessime et in. tis manuscriptis libris legitur in Edd. Bas. Colon. *irarum dixit*. Emendaverat jam Putschius. Nos Codd. Lich. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. secuti sumus. Ed. Ven. *abstineo irarum*, omisso *dixit*. Lips. 1. etiam *abstineo*. Pro *ubi* Ed. Ven. 2. *tibi*.

ut abscinditur manum. Vulgo *abscinditur*. Receptam lectionem praestant MSS. Zwicc. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. *laeditur*. Virg. *in V. Aen.* vs. 136. Post hunc Virgilii locum in libris vulgatis alter deprehenditur allegatus, secundi scilicet libri: *miseros morsu depascitur artus*, qui, cum a MSS. Luth. Heidelb. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. silentio transmissus sit, a me etiam jure, puto, omissus est. *Idem in III. Georg.* 314. *vero* ab uno meorum Codd. abest.

passivis quoque carent. Inveniuntur etiam quaedam verba, quae quamvis activam habeant significationem, passivam tamen non habent, quia nec in homines eorum actus transit, nec semper egent supradictis casibus necessario, ut prandeo, coeno, curro, ambulo. Eorum enim prolatione transgressionem fieri non est necesse ad aliquod rationale animal, quae est sola causa, ob quam nascuntur verba passiva in prima et secunda persona. Hae enim de se et ad se loquuntur, quod est suum animantium, quibus natura sermonem dedit. In tertia vero persona saepe passivum solet inveniri etiam ex hujuscemodi verbis, sed ad muta et carentia anima pertinens. Dicimus enim conditur olus, aratur terra, inseritur arbor, curritur spatium. Unde Terentius in Adelphis: *Decurso iam spatio.* Bibitur vinum. Juvenalis in IIII. *Sed nulla aconita bibuntur fictilibus.* Potatur flumen. Idem in eodem: *Epotaque flumina Medo prandente.* Mendicatur panis. Idem in eodem: *Et mendicatus victa Carthagine panis*, cum eorum primas personas natura prohibeat proprie dicere. Quis enim dicit aror, inseror, curror, nisi poetica conformatio, id est προσωποποιΐα inducatur. Ergo proprie illa possunt habere primam et secundam passivorum personam, in quibus etiam fateri possunt eaedem personae quod in se fit, ut est, amo te, consequitur ut ille ad quem dixi confitendo id quod a me audivit dicat, amor a te.

III Latius igitur tractemus de iis, quae videntur contra vo-
11 cis formam significare, quod non solum in verbis, sed

---

§. 10. *Inveniuntur etiam.* Inserunt libri vulgati *tamen*, quod a plerisque Codd. abest. *Ad aliquod rationale animal.* Nonnulli Codices vulgatam *rationabile* tuentur. Receptam lectionem exhibent MSS. Zwicc. 2. Lips. 2. Erl. 2. quos secutus sum. Lips. 1. syllabam *bi* notis suppositis distinxit.

Hae enim de se et ad se. Vulgo *vel ad se.* Ego secutus sum MSS. Zwicc. 2. Dresd. Luth. Lips. 1. 2.

Terentius in Adelphis. Act. V. Sc. 4. vs. 6. coll. Cic. Sen. Cap. 23. §. 83. *Juvenalis in IV.* Sat. X, 25. *Idem in eodem.* Sat. X. vs. 177. *Idem in eodem.* vs. 277.

§. 11. *Latius igitur tractemus de iis.* Vulgo, *his. Ut Athenae.* Interponunt libri editi, pluresque scriptorum, *si dicamus.* Omisi Codd. auctoritate.

Populus, plebs. Vulgo, *plebs, populus, concio.* Posteriorem vocem ignorant MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2.

etiam in aliis partibus orationis iuvenitur, ut Athenae, Thebae, voce pluralia sunt, significatione singularia; et contra, populus, plebs, voce singularia sunt, significatione pluralia; vel Philotium, Sophronium, Glycerium, Dorcium, voce neutra, significatione foeminina. Multa quoque alia hujuscemodi inveniuntur. In verbis etiam sunt quaedam voce activa, quae ex se passiva non faciunt, quae generali nomine neutralia vocantur, quamvis diversas habent significationes. Quaedam enim ex his vim activam habent, ut facio te, calefacio te; quamvis facitur quoque a facio pro fit protulerunt auctores, ut Varro in Cynico: *Si mehercule purgant, et deorum cura non satisfacitur reipub.* Titinnius in quinto: *Consilium bonum gratia parvifaciatur.* Facessitur quoque Cicero pro Cluentio: *Sed hoc polliceor omnibus, sicui forte hac lege negotium facessitur.* Bene 12
igitur in plerisque compositis activum est, perficio et perficior, conficio et conficior, afficio et afficior, efficio et efficior. Sic pene omnia, quae cum praepositionibus componuntur. Nam calefacio, tepefacio, et similia, calefio et tepefio loco passivorum habent. Fitur etiam pro fit dicebant. M. Cato Censorius in Q. Thermum: *Postquam diutius fitur.* Idem de L. Veturio: *Graeco ritu fiebantur Saturnalia.* Similiter activam significationem habent, officio tibi, noceo tibi. Quaedam vero ex his neutralibus passivam, ut vapulo a te, fio a te, exulo a te, veneo a te, nubo tibi, quamvis antiquissimi etiam activa significatione nubo te dice-

---

Dresd. Vulgatam tuentur Edd. Ven. Post *singularia* e duobus Codd. addidi *sunt*. Pro *Philotium* plures Codd. et Edd Ven. *Philortium*. *Voce neutra*. Haec est lectio MSS. Luth. Dresd. Erl. 2. Zwicc. Vulgo, *neutralia*. Receptam lectionem confirmant auctoritate sua Edd. Ven. *ut facio te*. Ita posui MSS. Lips. 2. Erl. 2. auctoritate pro *ut est facio te*.

Varro in Cynico. Pro *purgant* MS. Dresd. *pugnant*. MS. Erl. 2. *Sine Hercule pugnant*. Pro *deorum cura* MS. Lips. 2. *decorum curant*. Post *Titinnius* omittunt Edd. Ven. *in quinto*. *Cicero pro Cluentio*. Cap. 57.

§. 12. *confacio et confacior*, *affacio et affacior*. Adjeci e MSS. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Edd. Colon. Ven. *affacio et affacior*, quod a Putschiana absunt. *Fitur etiam pro fit dicebant*. Addit MS. Lips. 3. *antiqui*. Mox pro *ex eisdem neutralibus* secundum MSS. reposui *ex his*.

bant. Unde Plautus in Casina: *Libet Charinum quid agat scire novum nuptum.* Quaedam vero neutra, id est, quae nec nos in alium extrinsecus, nec alium in nos aliquid agere significant, ut est, spiro, vivo, ambulo, pergo, quae non egent aliqua conjunctione casus, cum absolutam et plenam per se prolata sententiam monstrent, quae et proprie neutra vocantur, sicut supra
13 dictum est. Sunt alia in hac forma, id est in verbis, quae in o desinentia non faciunt ex se passiva, quae quamvis activam habent significationem, tamen vel ad muta animalia, vel ad carentia anima conjunguntur, sicut supra dictum est, ut est percurro forum, prandeo piscem, coeno ovum. Quae est quando inveniuntur tertiam passivorum habentia personam, nec irrationabiliter, ut ante ostendimus. Curritur enim spatium bene dicitur. Unde Terentius in Adelphis *Decurso iam spatio* dixit. Sunt ex eadem forma quaedam, quae passivam videntur habere significationem, sed quae non extrinsecus fit, quam Graeci *ἰδιοπάθειαν* vocant, id est quae ex se in se ipsa fit intrinsecus passio, ut rubeo, ferveo, caleo, tepeo, marceo, aegroto, titubo, vacillo. Itaque hujuscemodi verba non egent casu, quamvis haec quoque auctores inveniantur more activo vel passivo diversis casibus adjungentes, sed figurate. Virgilius
14 in Bucolicis: *Ardebat Alexin,* pro amabat. Sunt autem alia verba, quae quamvis non ab activis proficiscentia,

---

Unde Plaut. in Casina. Hic locus Plautinus supra §. 2. tractatus est. Hoc etiam loco magna in Codd. deprehenditur lectionis varietas. Ac primum quidem pro vulgato *Chalinum* exhibent *Charinum.* MS. Lips. 1. *Libet scire carinum quid agat novum nuptum.* MS. Erl. 2. *charinum libet quid agat nuptum novum.* Super *nuptum* scriptum legitur *scire.* MS. Lips. 1. et 3. *Libet Charinum quid agat scire novum nuptum.* Erl. 1. *Charinum libet scire quid agat novum nuptum.* Vulgo *Chalinum* legitur. At vero cum Codices mei omnes hoc nomen per *r* scriptum efferant, discedere ab iis non debui. Edd. Ven. *Libet etiam quod agat scire Carinum novum nuptum.*

Quaedam vero neutra, id est. Vulgo, *Quaedam neutra sunt.* E MS. Dresd. addidi *vero.* Pro *sunt* Codices mei omnes *id est* scribi jusserunt. Mox pro *nec egent* eorundem Codd. auctoritate reposui *non egent.* Deinde post *monstrent* e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. inserui *quae.*

§. 13. *bene dicitur.* Ita MSS. pro *dicimus.* Mox *sunt ex eadem forma* Codicum meorum jussu scribendum fuit pro *sunt in*

tamen passivam semper habent formam, et ex his quaedam eadem voce utrumque significant, id est, actionem et passionem, ut osculor te, et osculor a te, criminor te, et criminor a te. Haec communia nominamus. Alia vero, quae similiter eandem terminationem habentia, nec ab activis nata, unam duntaxat habent significationem, sed non omnia eandem: haec deponentia vocamus, cum quaedam activam vim possident, ut conspicor te, sequor te, praestolor te et tibi. Terentius in Ennucho: *Quem praestolare, Parmeno?* Cicero in primo Invectivarum: *Qui tibi ad forum Aurelium praestolarentur.* Insidior tibi. Ex his multa antiqui IV
tam activa quam passiva significatione protulisse inve- 15
niuntur, et maxime ea, quae apud Graecos activam habent et passivam, ut auxilior te et a te. Similiter adminiculor, adulor, auguror, adhortor, apiscor, abominor, consequor, amplector, adorior, abutor, miror, antestor, execror, machinor, pollicor, consector, contestor, dignor, detestor, aggredior, aspernor, architector, assector, argumentor, reor, vereor, solor, arbitror, blandior, consolor, conspicor, comminiscor, complector, calumnior, carnificor, despicor, demolior, dominor, depeculor, dilargior, ementior, exordior, experior, frustror, hortor, for faris fatur, meditor, obliviscor, metor, morigeror, assequor, queror. Haec plerique deponentia esse con-

---

hac forma. Edd. Ven. *Sunt quaedam in o desinentia ex eadem forma.*

quam Graeci ἰδιοπάθειαν vocant. Putschius cum caeteris: *quam Graeci αὐτοπάθειαν vel ἰδιοπάθειαν vocant.* At vero Codices mei omnes praeter Lips. 1. et Lutherium *αὐτοπάθειαν* omittunt; is vero *ἰδιοπάθειαν* praetermisit. Cum igitur quae voces non essent ponendae, frequentiam Codicum secutus *ἰδιοπάθειαν* reliqui.

Virg. in Buc. Ecl. II, 1.

§ 14. *Sunt autem alia.* Addidi e Cod. Lips. 3. *autem.*

eandem terminationem. Libri vulgati: *eandem in or.* Additamento isto liberavi textum Codicum jussu. Mox *vocamus* posui pro *nominamus.* *Terentius in Eunucho.* Act. V. Sc. 6. vs. 5. *Cic. in I. Invect.* Cap. 9.

§ 15. *apiscor.* Vulgo *adipiscor.* Receptam lectionem tuentur MSS. Luth. Lips. 2. Lips. 1. 5 Dresd. Erl. 1. *aspicor.* Erl. 2. omisit et ab alia manu scriptum in margine vulgatum refert. Edd. Ven. *auspicor.*

firmant, ideo quia frequens usus eorum significationis est activae. Communia vero esse defendit tum natura ipsius sensus, tum veterum non improbanda auctoritas: a qua quae potuimus a diversis colligere libris exempla proferamus. Lucilius: *A me auxiliatus est,* passive, *βοηθηθείς.* Cassius similiter: *Adulatique erant ab amicis et adhortati.* Adulati, *κολακευθέντες,* adhortati, *προτραπέντες.* Varro: *Tribunitio auxilio amminiculati, βοηθηθέντες.* Lucius Caesar: *Certaeque res augurantur, οἰωνοσκοποῦνται.* Cujus activum Virgilius in VII. *Si quid veri mens augurat, opto.* Cicero tamen Verrinarum III. *Ex nomine istius, quid iste in provincia facturus esset, perridicule homines augurabantur.* C. Fannius: *Haec*
16 *apiscuntur, ἐπιτυγχάνονται.* Fabius Maximus: *Amitti quam apisci,* passive omnia sunt prolata. Verrius: *Saevitiaque eorum abominaretur ab hominibus,* passive dixit. Orbilius: *Quae vix ab hominibus consequi possunt, ἀνύεσθαι.* Petronius: *Animam nostro amplexam in pectore, περιπλεχθεῖσαν.* Lucilius: *Quin amplexetur qui velit, ego non si-*

Lucilius. Erl. 1. *G. Lucilius. A me auxiliatus est.* Vulgo post *auxiliatus* ponitur *si.* Omittunt plerique Codd. et Edd. Ven. *Adulatique erant ab amicis.* In Edd. Ald. Ven. Bas. Colon. legitur *inimicis.* Nos MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Putschium secuti *amicis* edidimus. Quod sequitur *adhortati, προτραπέντες,* abest a pluribus Codd.

amminiculati. Ita potiores Codd. omnes pro vulg. *adminiculati. Lucius Caesar: Certaeque res.* Ita et Putschius, qui discessit ab Edd. Bas. Colon. Ald. quae ita legunt: *certe quae res.* Edd. Ven. *quae certe res.* Equidem expressi lectionem MS. Erl. 1. quam et MSS. Lips. 2. Luth. Lips. 1. Erl. 2. confirmant.

Virg. in VII. vs. 273. *Cicer. in Verinar. III.* Vulgo, *IV.* Est Or. II. Cap. 6. MS. Erl. 1. *arbitrabantur. C. Fannius: Apiscuntur.* Vulgo, *adipiscuntur.* Receptam lectionem praestant MSS. Dresd. Luth. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2.

Fabius Maximus. MS. Lips. 2. *fauius.* Edd. Ven. *Faunius.* Post haec addit MS. Dresd. *omnia.* Pro *amitti* MS. Lips. 2. *admitti.* Post *amitti* libri vulgati referunt *magis,* quod Codices mei omnes ignorant. Pro *apisci* libri editi *adipisci;* equidem Codicum consensum sequi debui.

§. 16. *Saevitiaque eorum.* MS. Lips. 3. *Sententiaque eorum.* Pro *abominaretur* MSS. *abhominaretur.* Mox *ab hominibus* jussu Codd. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. posui pro *ab omnibus.*

Amplexam in pectore. MS. Dresd. *complexam.* Post Lucilii locum sequitur in MS. Lips. 2. Hortensii locus.

Cic. pro Roscio Amerino. Cap. 13. In Hortensii loco ponit Ger.

nam me amplectier, amplexetur περιπλεκέσθω. Cicero pro Roscio: *Quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur.* Aurelius: *Ab his Gallos adortos, ex insidiis plurimos necatos*, adortos ἐφοδευθέντας. Q. Hortensius: *Abusis iam omnibus locis*, abusis καταχρησθέντων. Varro: *Utile utamur potius quam ab rege abutamur.* Canutius: *Turpe est propter venustatem vestimentorum admirari, ut propter turpissime vitam actam non contempnere*, admirari θαυμάζεσθαι. Cicero pro Muraena: *Publicis literis testata sunt omnia*, testata passive μαρτυρηθέντα. Laelius: *Impubes libripens esse non potest, neque antestari*, προδιαμαρτυρηθῆναι. Cato in quarto Originum: *Duo exules lege publica execrati*, passive, καταρασθέντες. Sa- 17
lustius in secundo Historiarum: *At Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat*, machinata passive dixit. Metellus Numidicus in oratione, qua apud populum C. Manilio tribuno plebis respondit: *Nam ut aliis plerumque obvenienti magistratu ob metum statuae polliceantur*, passive, ἐπαγγέλλωνται. Reor quoque et que-

---

Io. Vossius de Anal. Lib. III. C. 6. p. 281. ante *omnibus*, nescio qua auctoritate, *ab. Canutius.* MSS. Lips. 1. Erl. 1. Dresd. Erl. 2. *Cannutius.* Post *admirari* ponit MS. Erl. 1. *homines.* Pro *ut* ponitur vulgo *et.* At mei Codices omnes exhibent *ut*, nisi quod unus alterve e correctione luculenta *et* refert., *non contempnere.* Particula *non* desideratur in libris editis. Equidem in textum intuli e MSS. Lips. 1. 2. Pro *contempnere* legitur in Edd. Bas. Colon. Putsch. *contemni.* Codices mei omnes et Edd. Ven. activum tuentur. Male fortasse Priscianus hoc loco *admirari* passive accepit.

Laelius. Vulgo, *Livius.* Laelii nomen exhibent MSS. Lips. 1. 2. MS. Luth. *Celius.* Erl. 2. *Milius.* Lips. 5. *Melius.* Dresd. *M. Lainus.* Erl. 1. *M. Livius.*

Cato in IV. Orig. MS. Lips. 2. *in VII. Duo exules.* Vulgo, *exules duo.* MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. ut nos edidimus. MS. Erl. 2. *consules.* Pro *execrati* in omnibus fere Codicibus legitur *execrari* infinitivum verbum, nec tamen Cod. Lips. 2. cum caeteris, qui Graeca exhibent, ea re impeditur, quo minus καραθέντες adponat. Reliqui ergo lectionem vulgatam. *C. Manilio.* Vulgo, *Manlio.* Mei quidem Codices omnes *Manilio* referunt. Non igitur potui, quin ita ederem, non ignorans, *Manilio* nomen fuisse tribuno isti plebis. Cf. Cortium ad Sal. Jug. XL, 1. Pro *aliis* unus meorum Codd. *alius.*

§. 17. *Reor quoque et queror.* Adjeci e MSS. *et.* Post *solor* leguntur in Edd. Ald. Bas. Colon. et Putsch. *in significatione passiva inveniuntur*, quae non solum abesse possunt, sed ve-

ror et solor. Cicero ad Nepotem: *Hoc restiterat etiam, ut a te fictis aggrederer donis*, aggrederer passive dixit, *ἐνεδρευθῶ*. In eodem: *Qui habet ultro appetitur, qui est pauper aspernatur*, passive *ἐξουθενεῖται*. C. Nepos: *Aedis Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio*, architectata passive posuit, *ἀρχιτεκτονευθεῖσα*. Ennius: *Assectari se omnes cupiunt*, assectari passive, *ἀκολουθεῖσθαι*. Alpheus Philologus: *Themistocles, cum a formoso assectaretur*, passive *ἠκολουθεῖτο*. Aufustius: *Omnia argumentata nomina*, argumentata passive, *πι-*
18 *στωθέντα*. Coelius: *Ex scriptis eorum, qui veri arbitrantur*, passive *ὑπολαμβάνονται*. Verrius: *Blanditusque labor molli curabitur arte*, blanditus *κολακευθείς*, passivam habet significationem. Asinius Pollio: *Sed cum ob ea quae speraveram dolebam, consolabar ob ea quae timui*, consolabar passive protulit. Varro: *Paupertas enim haec, tamen non ita nutricata, ut nunc conspicatur, θεωρεῖται* passive dixit. Appius Caecus: *Amicum cum vides, obliviscere miserias, inimicus si es commentus caeco.* Varro: *Vestales incesti compertas ansa petuntur incognita, consecuta negliguntur*, consecuta pro impe-

---

re etiam absunt ab omnibus meis Codd. *Cic. ad Nepotem.* Vulgo scribitur *ad nepotem* litera initiali minuscula, quod falsum esse patet. Pro *restiterat* duo meorum Codicum *restaret.* Pro *fictis* MS. Erl. 1. *factis.*

In eodem. MS. Erl. 1. *Idem.* Codex idem, *qui est aspera spernatur.* Nomini *Nepos* praefigit Codex Erl. 2. praenomen *Gajus.* Mox MS. Zwicc. 1. *architecta* pro *architectata.*

Alpheus Philologus. Ita nos cum Putschio. Edd. Ald. Bas. Colon. *Alpheus Physiologus.* Scripti etiam libri discrepant. Zwicc. 1. 2. Luth. *Philologus.* MSS. Lips. 1. 3. Erl. 1. *Philogus.* Dresd. *physilogus.* Erl. 2. *grajus alpheus philosogus.* Idem Codex pro *Themistocles* exhibet *temodistes.* Pro vulg. *ἀκολουθοῖτο* MSS. Lips. 1. Erl. 1. *ἠκολουθεῖτο*, quod recepi. MS. Lips. 2. totum hunc locum et Erl. 2. Graecam vocem omisit.

argumentata passive. Vulgo, *passivum argumentata.* Nos Codices secuti sumus.

§. 18. *Coelius.* Vulgo, *Caecilius.* Equidem plurimorum Codicum lectionem *celius*, vel *caelius*, exhibentium in textum recepi.

passivam habet significationem. Haec ego e MSS. Zwicc. Dresd. Erl. 1. Lips. 3. addidi et ante *κολακευθείς* delevi vocem *passive.* In Varronis loco pro vulgato *tum* scripsi secundum MSS. Lips. 2. 3. *tamen.* Erl. 1. Lips. 1. *tum.* Dresd. *cum.* Erl. 2. *tunc.* Appii Caeci locum secundum Codices meos

trata passive ait. Laverius: *Uxorem tuam et meam noverca a populo lapidibus consectari video*, consectari passive posuit διώκεσθαι. P. Aufidius: *Si quis alio vocitatur nomine, tum cum illis contestatur atque olim vocitabatur*, contestatur passive posuit συμμαρτυρεῖται. Cicero: *Capio eum tam invidiosa fortuna complecti*, passive. Staverius de proportione: *Non esse positiones regulae, a quibus interdum analogia calumniatur*, συκοφαντεῖται. Sisenna: *Vitam cum dolore et insigni cruciatu carnificatus amisit*, carnificatus βασανισθείς. Cicero in Oeconomico: *Homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur*, passive, ἀξιοῦνται. Horatius in primo Carminum: *Bellaque matribus detestata.* Q Pompejus: *Me miserum, quem illae foeminae despicari ausae sunt*, despicor commune accipiebat. Curio pater: *Nusquam demolitur, nusquam exoneratur pecunia*, demolitur passive dixit. Terentius in Phormione: *Meditata sunt mihi omnia mea incommoda*, μεμελετημένα meditata passive dixit. Nigidius: *Omne pecus indomitum habet quiddam in se ferum, sed tamen ea natura est, ut et curari et dominari possit*, δεσπόζεσθαι dominari passive. 19

---

edidi, integrum relinquens arbitrium, qui male sanum judicet. Post *commentus* in libris editis haec leguntur: *nec libens atque commentus.* Quae, cum in nullo meorum Codicum reperiantur, e textu ejicienda mihi fuerunt. Ad vocem *commentus* MS. Lips. 3. addit *factus falsus* ex interpretatione. Pro *caeco* MS. Lips. 2. *caecus.* Graecum πεπλασμένος, quod voci *caeco* subjiciunt editiones, Codices mei ignorant.

Aufidius. Pro *vocitatur* MS. Erl. 2. *vocitetur.* Pro *tum* non nulli *tunc.* Pro *vocitabatur* unus *vocitabantur*; alter *concitabatur.* Mox pro *Cicero* Lips. 1. 2. et Edd. Ven. *Curio.*

Staverius de proportione. Omnes fere Codices *portione.* Lips. 1. *portatione.* Lips. 2. praestat vulgatam. Duo meorum Codd. *positionis* pro *positiones.*

§. 19. *Horatius in I. Carm.* Od. 1. vs. 24. 25.

Q. Pompejus — quem illae. Putschius cum caeteris editoribus *quem mille.* Non sollicitassem hanc lectionem, bonam sane, nisi Codicum consensu parendum fuisset.

Curio pater. In plerisque Codd. *pater* trahitur ad verba Curionis. MSS. Lips. 1. 2. *paternus quam* pro *pater nusquam.* Equidem cum Putschio retinui vulgatam. Ita et Edd. Ven. *Terentius in Phorm.* Act. II. Sc. 1. vs. 18. Pro vulg. *mihi sunt* equidem propter Codicum meorum consensum scribere debui *sunt mihi.*

ut et curari. E MS. Erl. 2. ante *curari* inserui *et.*

Lucius Coelius: *Ubi senatus intellexit populum depeculari, ἀποσυλοῦσθαι.* C. Gracchus: *Aerarium dilargitur Romano populo*, dilargitur passive protulit. C. Memmius: *Quam stulte conficta, quam aperte sunt ementita, ἐψευσμένα.* Cicero in M. Antonium lib. II. *Quem ipse ementitis auspiciis vitiosum fecerat,* ementitis *ψευσθείσιν.* Visellius: *Bonae res per illos a raro initio exorsae, in te ad summum pervenerunt,* exorsae, id est initae. P. Nigidius: *Experienda ratio.* Asinius: *Cujus experta virtus bello Germaniae traducta ad custodiam Illyrici est,* experta passive. Attius: *Multa inventa expertaque ex hoc sunt bona.* Fenestella: *Frustratus igitur a spe, devictus in castra se recepit,* frustratus *ματαιωθείς.* Laberius: *Frustramur, irridemur.* Varro: *Ab amicis hortaretur.* Suetonius in VII. Praetorum: *Fasti dies sunt, quibus jus fatur, id est dicitur, ut nefasti, quibus non dicitur.* Virgilius in Bucol. *Nunc oblita mihi tot carmina, vox quoque Moerim jam fugit ipsa,* oblita passive. Horatius in II.

Lucius Coelius. MSS. Dresd. Erl. 2. Luth. Zwicc. 1. *Lucilius*, iidemque *Caecilius.* MS. Lips. 2. *Lucius Caecilius*, ut et Edd. Ven. Lips. 1. *Lucilius Codius.* Lips. 3. *Lucilius Cellius.* Equidem retinui vulgatam, nisi quod *ae* pro *oe* scripsi. Nam facile explicari potest, unde ortus sit error in MSS. Lucius Coelius scilicet facili errore in *Lucilius* simulque *Coelius* propter terminationem praenominis in *Caecilius* mutari poterat.

C. Gracchus. Pro C. plerique Codd. G. Hoc quoque loco nonnulli *Gratus* vel *Grathus. Romano populo.* Vulgo, *populo Romano.* Nos Codices secuti verba struximus. *dilargitur.* Vulgo, *delargitur*, quam lectionem nonnullorum Codicum auctoritate commendari, negari non potest. Praetuli tamen Cod. Lips. 2. lectionem, *di* pro *de* scribentis, quam scripturam in antecedentibus etiam reliqui Codices praestant.

Cicero in M. Antonium libro II. MS. Erl. 1. *G. cycero in V. antonium libro II. M.* adjeci e MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. Erl. 2. Lips. 1. v. Ind. *Visellius.* Post *exorsae* legitur in libris editis *in te.* Hanc vocem referunt etiam MSS. Lips. 2. Erl. 2. Alii aut omittunt, aut *initae* exhibent. Vereor, ne ex glossemate *initae* orta sit lectio *in te.* Reliqui tamen, ne auctoritati MSS. Lips. 2. Erl. 2. detrahere viderer. Pro *experienda ratio* MS. Erl. 2. *experiendi ratio.*

§. 20. *in castra se recepit.* MS. Lips. 2. *recipit.* Idem Codex in sequentibus *hortetur* pro *hortaretur.* MS. Dresd. *hortaremur. Suetonius in VII. Praet.* Vulgo, *in VIII.* Equidem numerum, quem MSS. Erl. 2. Lips. 2. praestant, expressi. Erl. 1. *VIII.* Edd. Ven. *VI.* In sequenti Suetonii loco

Carminum: *Nulla decempedis metata privatis opacam porticus excipiebat Arcton.* Similiter protulerunt tam in activa quam in passiva significatione, tutor, vador, venor, velificor. Unde Juvenalis in IIII. *Velificatus Athos.* Vociferor, veneror. Virgilius in III. Aeneidos: *Cursusque dabit venerata sacerdos.* Confiteor, tueor, aggre- 21
dior, stipulor. In quo illud quoque observandum, quod activa significatione quomodo passiva ablativo conjunguntur, stipulor a te, pro interrogo te, et interrogor a te. Quomodo dicimus quaero a te, pro interrogo te, quamvis sit activum. Juvenalis in IIII. *Quantum vis stipulare et protinus accipe quod do, ut totiens illum pater audiat.* Subauditur a me stipulare. Ecce hic active, Suetonius autem passive protulit in IIII. Praetorum: *Lactoria, quae vetat minorem annis XXV stipulari.* Livius in XXXIX. ab urbe condita: *Nec alieni momentis animi circumagi stipularique irato consuli tribunum plebei.* Plautus in Cistellaria: *Me respondere*

---

optime, puto, Codices mei de Prisciano meriti sunt, cum vitium grammaticum, quo venerabilis grammaticae pater et auctor foedatus adhuc fuit, tollerent. In vulgatis enim libris omnibus ita legitur: *dies sunt in quibus* et mox *nefasti in quibus.* Praepositio *in* contra Grammaticae regulas Suetonio obtrusa est; Codices mei ad unum omnes tolli importunam particulam jubent.

Virg. in Buc. Ecl. IX. vs. 53. Post *passive* legitur vulgo, *possunt.* Codices ignorant.

Horatius in II. Carm. Od. 15. vs. 14 — 16. *Unde Juvenalis.* Apposui e MSS. *unde. in IV.* Est Sat. X. vs. 174. *Virgilius in III. Aen.* vs. 460.

§. 21. *Juvenalis in III.* Vulgo, *IV.* MS. Lips. 2. *III*, quem secutus sum. Sat. VII. vs. 165. *Ecce hic active.* Perperam vulgo post *his* ponitur *est*, quod Codicum jussu delevi.

Lactoria vetat. Plures Codd. *lectoria.* Post *stipulari* in libris impressis legitur vox Graeca ἐπερωτᾶσθαι, quae cum a Codicibus meis abesset, recipienda non erat. *Liv. in XXXIX. ab urbe condita.* Vulgo, *XXXIII.* Emendavi numerum. I. 2. Cap. 5. *Tribunum plebei.* Vulgo, *tribuno inde plebei.* In libris manu scriptis, verbi causa MSS. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1., post *tribuno* reperitur *m.* Quo commotus sum, ut *tribunum* scriberem. Librarii illud *m* perperam interpretati *marco* inde effinxerunt. Sic MS. Lips. 2.

Plautus in Cistell. Pro *eum quaestum* MSS. Erl. 1. Lips. 5. *conquestum.* Edd. Ven. *cum quaestum.* Pro *jures* unus meorum *juris.* MS. Lips. 2. *promitte.* Edd. Ven. *permitte. Idem in Pseud.* Act. IV. Sc. 6. vs. 14. *et sanas* pro *ac sanas* scribi

postulas injurium est, stipulari semper me ultro oportet, a viris eum quaestum facio, nihil jures, promittere, active dixit. Idem in Pseudolo: *Minae viginti salvae et sanae sunt tibi hodie, quas a te est instipulatus Pseudolus.* Idem in Rudente passive dixit: *Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiam dum siem quinque et viginti an-*
22 *nos natus.* Sunt vero alia ex supradicta forma, id est deponentium, quae passivam solam habent significationem, nascor a te, orior a te, patior a te, mereor a te. Idque ostendit conjunctio casuum. Nam quae vim activam habent, genitivum vel dativum, pleraque accusativum casum assumunt, ut misereor tui, medeor et medicor tibi. Dicitur tamen et medico et medicor et medeor te. Virgilius in I. Georgicon: *Semina vidi equidem multos medicare serentes.* Idem in II. Georgicon: *Et senibus medicantur anhelis,* dativo casui adjunxit. Idem in VII. *Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum evaluit.* Terentius in Phormione: *Quas cum res adversae sint minus mederi possis.* Loquor verbum, precor deum. Quae vero passivam, ablativum cum a vel ab praepositionibus vel dativum, ut nascor a te et tibi. Sunt etiam ex his quaedam, quae absolute dicta non egent supradictis casibus, ut est labor, morior, laetor, glorior, tumultuor, vagor, vaticinor. Alia vero, quae cum videantur activam habere constructionem, id est σύνταξιν, (nam genitivo vel dativo vel accusativo casui junguntur) tamen passivam vim intrinsecus, id est non alio agente, videntur habere, ut obliviscor tui
23 et te, et misereor tui et te. Sunt alia, quae si ablativo jungantur, passiva sunt vel communia: sin per se pro-

---

jusserunt Codices mei et Edd. Ven. Mox *a te* ponendum fuit pro *abs te.* Quod sequitur *est* omittunt nonnulli Codices. Pro *instipulatus* MS. Lips. 2. *instipulatur.* Huic voci subnectit Erl. 2. *est.* Plures Codices et Edd. Ven. *Pseudulus. Idem in Rudente.* Act. V. Sc. 3. vs. 25. Pro *nive* plerique Codices *sive.* Erl. 2. omittit *sis* et pro *siem* ponit *sim.* Idem omittit *et* post *quinque.*

§. 22. *passivam solam.* Vulgo, *solum.* Foemininum vel potius adjectivum pro adverbio exprimi MSS. jusserunt. Mox eadem ratione scripsi *pleraque* pro vulgato *plerunque.*

Virgilius in I. Georg. vs. 193. *Idem in II. Georg.* vs. 135. *Idem in VII.* Vulgo, *VIII.* Est vs. 756. *Terentius in Phormione.* Act. V. Sc. 3. vs. 3. Pro *minus* libri Terentii editi *paulo.*

ferantur, absoluta, ut si dicam, videor a te, passivum est: sin videor esse bonus, ut significet τὸ δοκῶ, est absolutum. Similiter moror commune est, et absolutum. Modo enim activam, modo passivam habet significationem, modo absolutam. Activam, quando accusativo jungitur, ut moror te. Juvenalis in IIII. *Morantur pauci ridiculum et fugientem ex urbe pudorem.* Terentius in Andria: *Ne quod vestrum remorer commodum.* Passivam vero, quando ablativo, ut moror a te. Absolutam, quando per se profertur, ut Virgilius in IIII. Aeneidos: *Quid moror? An mea Pygmalion dum moenia frater destruat?* Et sciendum, quod in activis etiam et passivis verbis multa absolute sine conjunctione casus alicujus solent proferri, ut si dicam, deo volente sanus sum et animo et corpore. Nam et sapio bene, et video et audio acute. Quamvis enim nullum casum his adjunxi, plenam tamen sententiam demonstravi. Hoc etiam est in passivis: ut si dicam perturbor, et angor, et fundor, et rumpor, et non addam a quo. Sunt quaedam in o terminantia, quae cum sint activa, pro passivis quoque solent poni, ut lavo, tondeo, duro, calceo, pro lavor et tondeor et duror et calceor. Sed haec magis per eclipsim consuetudo proferri tradidit, quod poetae quoque solent facere, ut Virgilius in III. Georgicon: *Incanaque menta Cinyphei tondent hirci,* pro tondentur. Idem in II. Aeneidos: *Accingunt omnes operi pedibusque rotarum,* pro accinguntur vel accingunt se. Idem in eodem: *Et jam nox humida coelo praecipitat,* pro praecipitatur vel praecipitat se.

Sunt quaedam, quae cum sint passiva, sine dubio 24

---

misereor tui et misereor te. Vulgo, *misereor tui et tibi.* In voce *tibi* error latet apertus. Equidem correxi e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. Erl. 1. 2. alibique, et adjeci Codicum jussu *misereor.* Verbum *misereri* non construi cum dativo docuit Ger. Io. Voss. de A. Gr. C. 39. p. 217. b.

§. 23. *Juvenalis in IV.* Sat. XI. vs. 58. *Terentius in Andr.* Act. IV. Sc. 3. vs. 24.

Virg. in IV. vs. 326. Post *calceo* addunt tres Codd. *candeo*, et deinde post *calceor* passivum *candeor.* Mox *proferri tradidit* edidi secundum MSS. Zwicc. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. pro vulg. *proferre.*

ut Virg. in III. Georg. vs. 311. *ut* addidi e MSS. *Idem in II. Aen.* vs. 235. *Idem in eodem.* vs. 9.

tamen inveniuntur ab auctoribus pro activis prolata, ut Virgilius in XI. *Pictis bellantur Amazones armis*, pro bellant. Idem in II. Georgicon: *Hoc pinguem et placitam paci nutritor olivam*, pro nutrito. Vetustissimi tamen multa sic protulerunt confusa terminatione, teste Capro: adjutor pro adjuto, anclor pro anclo, despoliantur pro despoliant, deproperantur pro deproperant, dispensor pro dispenso, delapidor pro delapido. Sunt quaedam activa voce, passivam significationem habentia, et e contrario passiva voce, activam, sicut supra diximus: timeo te et timeor a te, metuo te et metuor a te. Lucanus in V. *Dum metuar semper, terraque expecter ab omni.* Idem in IIII. *Sed regna timentur ob ferrum.* Cicero in IIII. Tusculanarum: *Venientia metuuntur.* Nec mirum hoc inveniri apud nos in his verbis, cum apud Graecos quoque tam activum quam passivum ejus significationis verbum accusativo casui jungitur contra consuetudinem aliorum. Dicunt enim φοβῶ σὲ καὶ φοβοῦμαι σέ. Sunt tamen haec eadem verba absoluta, cum non junguntur casui accusativo, sed dativo, ut Terentius in Andria: *Ejus vitae timeo.* Idem in eadem: *Ei metui a Chryside.* Inveniuntur etiam quaedam passiva, ut supra dictum est, quae figurate accusativo conjunguntur, cum videantur agere ipsi, ad quos passivum refertur verbum, ut Virgilius in II. Aeneidos: *Implicat et miseros morsu depascitur artus*, (hic enim dracones agunt in filios Laocoontis,) et doceor rhetoricam, instituor grammaticam, moneor justitiam. Idem in VIII. *Consurgit senior, tunicaque in-*

---

§. 24. *Virg. in XI.* vs. 660. Vulgo *XII. Idem in II. Georg.* vs. 425. Codices aliquot *placidam.* Mox post *multa* e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. addidi *sic.* Pro *tamen* non unus Codex cum Edd. Ven. *autem.*

anclor pro anclo. Addunt his libri vulgati *perficior pro perficio.* Ignorant hoc παράδειγμα MSS. Luth. Zwicc. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Edd. Ven. *Deproperantur pro deproperant.* Haec e MSS. Luth. Dresd. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. adjeci. Quod in Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. sequitur *desperantur pro desperant*, eorundem Codicum jussu delendum fuit. *delapidor pro delapido.* Ita Codicum auctoritate praestantissimorum scripsi pro vulg. *dilapidor pro dilapido. Sunt quaedam.* Omisi Codicum suasu *etiam*, quod libri impressi post *sunt* addunt.

Lucanus in V. vs. 671. *Idem in IV.* 577. *Cic. in IV. Tusc.* v.

ducitur artus. Vel cum totum pro parte pati significatur, ut absciditur caput, truncatur nares, caecatur oculos, intenditur brachia. Virgilius in undecimo: *Indutus terga leonis.* Idem in XII. *Formam adsimulata Camertae.* Praeterea plurima inveniuntur apud ve- V
tustissimos, quae contra consuetudinem vel activam 25
pro passiva, vel passivam pro activa habent terminationem, ut testo pro testor, opino pro opinor, cuncto pro cunctor, convivo pro convivor, contemplo pro contemplor, consolo pro consolor, commoro pro commoror, auxilio pro auxilior, auguro pro auguror, auspicio pro auspicor, commento pro commentor, crimino pro criminor, molio pro molior, digno pro dignor, execro pro execror, epulo pro epulor, ejulo pro ejulor, luctu pro luctor, luctito pro luctitor, luxurio pro luxurior, lacto pro lactor, ludifico pro ludificor, et miserco pro misercor, unde miseret et miseretur impersonalia. Cicero pro Ligario: *Cave te fratrum pro fratris salute precantium misereatur.* Unde Terentius in Heautontimorumeno: *Misertum est.* Horto quoque pro hortor, et largio pro largior dicebant, quae sunt communia. Unde Salustius in I. Historiarum: *Igitur venditis proscriptorum bonis, aut dilargitis.* Similiter proferebant aucupo pro aucupor, altercо pro altercor, unde Terentius in Andria: *Scio, cum patre altercasti dudum.* Medico quoque, ut supra dictum est, pro medicor. Virgilius in I. Georgicon: *Semina vidi equidem multos medicare serentes.* Amplexo pro amplexor. Q. Claudius in II. Annalium: 26
Comprehensare suos quisque, sevire, amplexare. Cicero

Ind. *Terentius in Andria.* I, 3, 5. *Idem in eadem.* Act. I. Sc. 1. vs. 79. *Virg. in II. Aen.* vs. 215. *Idem in VIII.* vs. 457. *Virg. in XI.* Respicit, puto, Lib. VII, 666. *Idem in XII.* vs. 224. Pro *Camertae* MS. Lips. 2. *Camillae.*

§. 25. *Cic. pro Ligario.* Cap. 5. *Terentius in Heautontimor.* Act. III. Sc. 1. vs. 54. *Terentius in Andria.* Act. IV. Sc. 1. vs. 29. *Virgilius in I. Georg.* vs. 193.

§. 26. *Q. Claudius in II. Hist. sevire.* Vulgo ineptissime *servare.* Codices nostri ad unum omnes *sevire*, quod Cod. Heidelb. inter lineas illustrat: *ob impatientium nimii amoris.* Scribendum ergo esset *saevire*, quod mihi minus commodum videtur. Equidem *sevire* pro *savire*, quod apud Nonium legitur, positum puto. Edd. Ven. *servire.*

Cic. pro Cluentio. Cap. 44. Zwicc. 2. *amplexando.*

pro Cluentio: *Auctoritatem censorum amplexato.* Amplecto quoque pro amplector, et complecto pro complector, sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam apud Plinium et Probum invenies. Passivas quoque pro activis vel neutralibus vocibus ex contrario iidem antiquissimi proferebant, careor pro careo dicentes, et obsonor pro obsono, et copulor pro copulo, caleor pro caleo, quorum auctores apud Caprum legant, qui eos scire desiderant. Similiter comperior pro comperio. Salustius in Jugurtino: *Sed ego comperior Bocchum magis Punica fide.* Nutrior quoque pro nutrio, et bellor pro bello proferebant, ut dictum est, unde Virgilius in II. Georgicon: *Hoc pinguem et placitam paci nutritor olivam,* nutritor dixit pro nutrito. Idem in XI. *Pictis bellantur Amazones armis,* bellantur pro bellant. Sunt alia, quae cum sint activa, in passiva quoque et absoluta significatione inveniuntur, ut ruo. Virgilius in primo Aeneidos: *Totumque a sedibus imis una Eurusque Notusque ruunt.* Idem ejus compositum passivum in XI. dixit: *Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum Pergama.* Terentius in Eunucho: *Proruunt se.* Tamen absolute quoque prolata reciprocam passionem, id est ἰδιοπάθειαν, significant, cum ipsam personam non extrinsecus, sed per se pati demonstrant, ut ruo pro cado. Virgilius in II. Aeneidos: *Urbs antiqua ruit multos dominata per annos,* ruit posuit pro cadit. Similiter inundo modo absolutam, modo activam habere significationem invenitur, ut Virgilius in XI. *Dum detinet hostes agger murorum, nec inundant sanguine fossas.* Invenitur tamen in quibusdam codicibus, *dum detinet hostes agger murorum, nec inundant sanguine*
27 *fossae.* Similiter vergo absolutum et activum. Absolutum Virgilius in duodecimo: *Quem damnet labor, aut*

Salustius in Jugurtino. Cap. 45, 1. *Virg. in I.* vs. 84. 85. *Idem in XI.* vs. 279. *Terentius in Eunucho.* Act. III. Sc. 5. vs. 51. *Virg. in II. Aen.* vs. 363. *Virg. in XI.* vs. 382. Pro vulgato *distinet* Codicum jussu scripsi *detinet.* Miror, Heynium quoque admisisse, quod aperte falsum est. *murorum.* Putschius cum Bas. et Ald. *moerorum.* Perperam sic scribi, clamant Codices, clamant Editiones Venetae, clamat, quod plurimum valet, indoles orationis Virgilianae. Tamen hoc etiam praetulit Heynius. *Hostes* scripsi eorundem Codd. auctori-

quo vergat pondere letum. Activum in sexto: *Frontique invergit vina sacerdos.* Ejus passivum Lucanus in primo: *Nec polus aversi calidus qua vergitur Austri.* Assuesco absolutum est, invenitur tamen pro assuefacio, Lucanus in V. *Adde quod assuescis fatis*, pro assuefacis. Coeo quamvis magis neutrum esse videatur quam activum, (pro convenio enim accipitur, ut Virgilius in XI. *Coeant in foedera dextrae, qua datur,*) Cicero tamen activo est usus in II. Philippicarum: *Utinam, Cnaee Pompei, cum C. Caesare societatem aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses.* Passivo ejus usus est Lucanus in II. *Multumque coitur humani generis, majori in proelia damno.* Sed sciendum, quod et coitur pro colligitur, et 28
convenitur pro exigitur passivam vocem assumentia accipiuntur. Propinquo praeterea tam pro activo, quam pro absoluto invenitur. Virgilius in X. *Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques augurium*, active posuit. Idem in II. absolute: *Fuge, nate, propinquant.* Idem in V. *Jamque propinquabant scopulo, metamque tenebant.* Similiter simulo absolutum et activum, et ab eo composita. Absolutum Virgilius in quarto Aeneidos: *Nam quid dissimulo aut quae me ad majora reservo?* Idem in X. active: *Jubasque divini assimulat capitis.* Idem in XI. *Formam adsimulata Camertae.* Sunt alia, quae tam activa quam passiva voce unum atque idem significant, ut mereo et mereor. Lucanus in VI. *Scaeva viro nomen, castrorum in plebe merebat.* Virgilius in V. Aeneidos: *Merui quoque saepe furores compressi.* Idem in IIII. *Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam dulce meum.* Lucanus in IX. *Saevas meritum Phycunta rapinas.* Mul- VI
ta similiter ancipiti terminatione in una eademque si- 29
gnificatione protulerunt antiqui, ut partio et partior, munero et muneror, mino et minor, minito et mini-

---

tate pro *hostem.* Pro *fossas* plurimi *fossae.* Nihil tamen mutandum.

§. 27. *Virgilius in XII.* vs. 727. *In sexto.* vs. 244. *Lucanus in primo.* vs. 54. *Lucanus in V.* 776.

Post *coeo* Codices mei *quoque* delere me jusserunt. *Virg. in XI.* vs. 202. *Cicero in II. Philippicarum.* Cap. 10.

§. 28. *Virgilius in X.* vs. 255. *Idem in II.* vs. 735. *Idem in V.* vs. 159. *Virgilius in IV. Aeneid.* vs. 368. *Idem in X.* vs. 639. *Lucanus in VI.* vs. 144. *Virg. in V.* vs. 802. *Idem in IV.* vs. 317.

tor, meridio et meridior, modulo et modulor, meto et metor, modero et moderor, mutuo et mutuor, mentio et mentior, obverso et obversor, praeverto et praevertor, pignero et pigneror, pacifico et pacificor, scruto et scrutor, progredio et progredior, perconto et percontor, praelio et praelior, jurgo et jurgor, potio et potior, praedo et praedor, praevarico et praevaricor, preco et precor, quaerito et quaeritor, quadruplo et quaduplor, quieto et quietor, nequit et nequitur, rimo et rimor, recordo et recordor, reminisco et reminiscor, revereo et revereor, stabulo et stabulor, secto et sector, sequo et sequor, sortio et sortior, scisco et sciscor, tuto et tutor, tumultuo et tumultuor, villico et villicor, velito et velitor, vago et vagor, vocifero et vociferor, ulcisco et ulciscor, uto et utor, murmuro et murmuror, manduco et manducor, mando et mandor, oscito et oscitor, palpo et palpor, protesto et protestor, rumino et ruminor, tolero et toleror, solero et soleror, praesagio et praesagior, opino et opinor. Sunt alia, quae, cum sint activa primae conjugationis, transeunt in neutra absoluta sive reciproca, id est ἰδιοπαθῆ, secundae conjugationis, ut sordido sordidas activum, (facit enim sordidor, ex quo sordidatus,) hinc nascitur sordeo. Similiter albo et albor et albeo. Virgilius in XII. *Campique ingentes ossibus albent.* Dicitur tamen etiam albico pro albesco. Horatius in primo Carminum: *Nec prata canis albicant pruinis.* Duro quoque et duror et dureo, et ejus inchoativum duresco. Unde Lucanus in IIII. *Totosque induruit artus.*

---

§. 29. *nequit et nequitur.* Hanc lectionem e MSS. Lips. 1. 2. 3. Luth. haustam haud invitus in textum recepi; longe enim praestare mihi videtur vulgatae: *nequito et nequitor.* MS. etiam Erl. 2. ante correctionem hanc exprimebat; recentiori enim atramento addita est ad *nequit* vocalis *o* et scripturae compendium syllabae *ur* (˜) in *or* mutatum est. Edd. Ven. vulgatam retinent. Pro *perconto et percontor* plerique Codd., si recte enotavi, praeter Erl. 1. Lips. 1. *percuncto et percunctor*, quae scriptio quoniam mihi falsissima esse videtur, recipere eam nolui. Secutus ergo sum Erl. 1. et Lips. 1.

§. 30. *sordido sordidas activum.* Addunt libri impressi: *primae conjugationis.* Ignorant plerique MSS. additamentum, quo facile careas. *Virgilius in XII.* vs. 36. *Horatius in I. Carm.* IV. *Lucanus in IV.* vs. 631.

Virg. in III. Georg. vs. 257. *Idem in I. Aen.* vs. 207.

Idem in V. *Nam caetera damna durata jam mente malis firmaque tulerunt.* Virgilius in III. Georgicon: *Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durat.* Idem in I. Aeneidos: *Durate et vosmet rebus servate secundis.* Lento et lentor et lenteo. Virgilius in secundo Georgicon: *Ad digitos lentescit habendo.* Nam a lenteo lentesco derivatur, quomodo a dureo duresco et a vireo viresco. Lucilius tamen in VIII. *Lentet opus* protulit. Humecto quoque et humector et humeo, unde humesco. Noto quoque et notor et noteo, unde notesco. Lucanus in quinto: *Notescent litora clari nominis exilio.* Liquo liquas, unde eliquo eliquas. Persius: *Phyllidas, Hypsipylas vatum et plorabile siquid eliquat, ac tenero supplantat verba paluto.* Lucanus in septimo: *Ereptaque tela liquavit.* Ex eo liqueo et liquesco. Virgilius in Bucolicis: *Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit.* Dicitur tamen et liquor liqueris, prima syllaba producta, quae in superioribus corripitur. Idem in I. Georgicon: *Vere novo gelidus canis cum montibus humor liquitur.* A nigro quoque et nigror, et nigreo et 31
nigresco, a lacto et lactor lacteo et lactesco. Inveniuntur tamen ex aliarum quoque conjugationum verbis quaedam similes derivationes, sed in paucis, ut pendo pendis, pendor penderis, et pendeo pendes, jacio jacis, et jacior jaceris, et jaceo jaces, acuo acuis, acuor et aceo, ex quo acesco. Sunt alia, quae in compositione mutant significationem, ut eo neutrum. Similiter facio, quamvis vetustissimi etiam passive hoc protulisse inveniantur. Titinnius in quinto: *Bonum gratia parvi ut*

Virg. in II. Georg. vs. 250. *Lucanus in V.* vs. 784.
Persius. Sat. I. vs. 34. 35. *Luc. in VII.* 159. *Virg. in Buc.* Ecl. VIII. vs. 80. *Idem in I. Georg.* vs. 44. Post hunc locum legitur in libris vulgatis ad explicandam vocem *liquitur, pedetentim dissolvitur.* Haec glossatori deberi persuasum habeo. Absunt a MS. Erl. 2. et Edd. Ven. In MSS. Lips. 1. Erl. 1. Lips. 2. legitur: *pro pedetentim dissolvitur.* Lips. 3. *prope*, reliquis omissis. Equidem Codicis auctoritate Erl. 2. et Edd. Ven. exulare jussi.

§. 31. Post *lacto* Codd. jussu delevi *quoque* et post *lactor* conj. *et.* Mox ad *pendor* et *pendeo* e MSS. adjeci *pendes* et *penderis*, et ad *jacior* e MS. Lips. 2. addidi *jaceris*, et mox *jaces*. *Titinnius in V. Bonum*, vulgo *bona.* Videtur autem *bonum* ad consilium pertinere. Cf supra §. 11. *Bonum* scribi jubent MSS. Lips. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1 aliique. Edd. Ven. retinent

faciatur. Item venio, sedeo, faciunt activa in compositione, adeo et adeor, subeo et subeor, ineo et ineor. Ovidius in quarto Fastorum: *Sol aditus, quam quaeris, ait, ne vana labores, nupta Jovis fratri tertia regna tenet.* Juvenalis in quinto: *Quod si subeuntur prospera castra.* Virgilius in decimo: *Morte obita qualis fama est volitare figuras.* Facio vero, quando cum praepositionibus componitur, activum fit plerumque, ut efficio et efficior, afficio et afficior, reficio et reficior. Deficio, quando pro relinquo accipitur, habet passivum, quando vero pro defetiscor, neutrum est. Juvenalis in
32 tertio: *Sic Matho deficit.* A venio vero convenio et convenior, invenio et invenior in passivam transeunt significationem. A sedeo quoque obsideo et obsideor. Sentio neutrum, ex eo assentio et assentior, et dissentio et dissentior in una eademque inveniuntur significatione. Cicero de republica: *In quibus assentior sollicitam et periculosam justitiam non esse sapientis.* Lu-

---

vulgatam. *Ut*, quod supra Codices ignorabant, hoc quidem loco unanimi fere consensu exhibent. Admittere ergo et ego debui. Lips. 1. *fatiantur.*

Ovid. in IV. Fast. 583. 84. Nonnulli Codd. pro *quam* exhibent *quem*. *Juvenalis in V.* Sat. XVI. vs. 2. *subeuntur*. Vulgo *subeantur*. Equidem indicativum recepi e MSS. Lips. 1. 2. Luth. Edd. Ven. *Virg. in X.* vs. 641. Pro *obita* MS. Lips. 2. *obitas.*

derelinquo. MSS. Lips. 2. Erl. 2. *derelinquo* ponunt pro *relinquo. defetiscor.* Ita cum Putschio meos Codices secutus scripsi pro *deficiscor.* MS. Lips. 1. addit *et fatigo. Juvenalis in tertio.* Sat. VII. vs. 129. *deficit.* Sic Edd. Bas. Colon. Putsch. At vero Codd. Erl. 1. Luth. Lips. 1. *defecit.*

§. 32. Post *sedeo quoque* omisi *et. Cic. de rep.* Lips. 1. *sollicitam.* ... ...

Coelius in I. Vulgo, *Caecilius.* MS. Erl. 2. *Celius. intelligunt.* Lips. *intelliguntur.* Deinde scripsi *quid faciant.* Vulgo, *qui* ...

faciunt. MS. Lips. 2. *qui fiant.* MSS. Erl. 2. Dresd. Luth. Erl. 1. Lips. 1. *quid.* MSS. Lips. 1. Erl. 1. *faciant.* MS. Erl. 2. *faciunt.* Zwicc. 2. *fiant.* Edd. Ven. *qui fiant.*

Terentius. in Phorm. Act. I. Sc. 4. vs. 43. Post *inveniuntur* omisi, quae in vulgatis libris reperis: *complector et amplector.* Absunt enim haec a MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Dresd.

Orior deponens. Addit MS. Erl. 1. *est.* Erl. 2. *et.* Mox ante *composita* pro *ex eis* scripsi *ex his.*

Naevius in Hectore proficiscente. Vulgo, *Naevius in III. Hectore proficiscente*, ita ut hae duae voces ad orationem con-

cilius in XII. *Assensus sum homini.* Caecilius in primo: *Qui intelligunt quid faciant, dissentiuntur.* Ex aliis quo- VII
que significationibus plurima simplicia in alias, cum componuntur, transire invenies, ut plecto activum. Unde Terentius: *Ego plectar pendens.* Sed ab eo composita tam deponentia quam communia inveniuntur. Orior deponens, similiter partior, sed ex eis composita tam deponentia quam neutra reperiuntur, adorior et adorio, impertior et impertio. Naevius in Hectore proficiscente: *Tunc ipsos adoriant, ne quis hinc Spartam referat nuntium.* Virgilius in I. Aeneidos: *Hinc portum petit et socios partitur in omnes.* Terentius in Eunucho: *Plurima salute Parmenonem summum suum impertit Gnato.* Spicio, a quo aspicio activum, et ex eo conspi- 33
cor conspicaris deponens, in quo etiam conjugatio mutata est. Terentius in Heautontimorumeno: *Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi, quin conspicer te fodere aut arare.* A perio quoque activo videtur quibus-

---

textam trahantur. Numerus III. confirmatur quidem Codd. Lips. 1. 2. Erl. 2. auctoritate. At vero cum absit a MSS, Erl. 1. Zwicc. 1. Luth. Lips. 5. Edd. Ven., non dubitavi eum expungere et verba ita struere, ut *Hectore proficiscente* titulus fabulae esse demonstretur. Cf. Godofr. Hermanni Elem. doctr. metr. p. 635. et Petri Avellani, Icti, libellum: Restituti aliquot loci bonorum authorum vel aliter quam vulgo fere intelligantur explicati (Ev. Otto Thes. juris Rom. Tom. I. p. 461.) Cap. II. *Naevius in Hectore proficiscente.* Cf. Cic. Epp. ad Fam. V, 12. *Hector Naevianus* et XV, 6. ab in. MS. Lips. 1. *aectore. proficissente.* Pro *adoriant* unus *adoriatur.*

Virg. in I. Aen. v. Ind. *Terentius in Eun.* Act. II. Sc. 2. vs. 40. *Parmenonem summum.* Putschii negligentia omisit cum Ed. Bas. *summum*, quam voces Codices mei omnes et Edd. Ven. Colon. expresserunt. Omitti igitur nullo modo debebat.

§. 33. *Spicio.* Ita Codd. Luth. (hic e corr. *specio*) Lips. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. Vulgo, *aspecio.* Post *activum* delevi *et.* Post *mutata est* expunxi *conspicor conspicaris* auctoritate MSS. Lips. 2. Erl. 2.

Terentius in Heautont. Act. I. Sc. 1. vs. 15. 16. Facile praevideo, in gravissimas me venturum esse reprehensiones, qui haec versuum monstra ediderim. At vero Codices mei ita edere me coëgerunt. Primum enim *revertor* post *vesperi* ad unum omnes omittunt. Dresd. supplet *egredior.* Lips. 1. in margine *revertor.* Erl. 2. ponit prius *egredior*, post *vesperi.* Deinde ante *conspicer* omittunt *te* et pro *aut* ponunt alii *et.* Alii hanc quoque conjunctionem omittunt. Equidem omisi *revertor*, retinui autem *te* et *aut.*

dam esse experior commune, et opperior deponens. Virgilius in XI. *Experto credite, quantus in clipeum adsurgat.* Quamquam simplex ejus peritus sit, cujus verbum in usu non est, quod debuit secundum analogiam perior esse. Terentius in supradicta fabula: *Hic ego interea virum opperibor.* Nam reperio, comperio, coopetio, sicut aperio, activa sunt; faciunt enim ex se passiva. Et possunt magis a pario videri composita, quod apud vetustissimos quartae conjugationis declinationem habebat. Ennius: *Ova parire solet genus pennis condecoratum.* Facio cum sit neutrum, ut supra diximus, si
34 cum praepositione componatur, plerumque transit in activum, ut conficio conficior, perficio perficior, afficio afficior, reficio reficior, officio officior. Juvenalis in I. *Et quotiens te, Roma, tuo refici properantem reddet Aquino.* Lucretius in II. *Quapropter simul inter se retrahuntur et extra, officiuntur, uti cogantur tardius ire.* A proficio Statius impersonale protulit in III. *Proficitur bello.* Deficio autem loco passivi defio facit. Terentius in Eunucho: *Nihil cum est, nihil defit.* Cum passivam vim habet, defio facit. Sunt tamen alia ex eo ipso et ex aliis composita, quae non solum significationem, sed etiam conjugationem, ut dictum est, permu-

---

Virgilius in XI. vs. 284. *adsurgat* scripsi secundum Codices nonnullos pro *assurgat*. Erl. 2. *surgat*. Deinde edidi *clipeum* pro *clypeum*. Lips. 2. *clippeum*.

Terentius in supra dicta fabula. Heautont. Act. IV. Sc. 1. vs. 6. Pro *ego* MSS. Luth. Lips. 2. *ergo*. Ed. Ven. 1. *Hic ego jam*.

a pario esse. Adjeci ego e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. aliisque *esse*. MS. Luth. ante correctionem *perio* exhibebat pro *pario*.

pennis condecoratum. Duo Codd. *pinnis*.

§. 34. Post *conficio* delevi cum MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. *et*.

Juvenalis in I. Sat. III. vs. 319. *Lucretius in II.* vss. 154. 55. *Statius in III.* vs. penultimo. *Terentius in Eunucho.* Act. II. Sc. 2. vs. 12. Pro vulgato *cum est* propter Codicum meorum consensum non potui, quin *inest* scriberem. MSS. Dresd. Erl. 1. *interest*. Edd. Ven. vulgatam tuentur. In MS. Zwicc. 1. *cum* supra scriptum est. Post *defit* Codicum meorum jussu omisi *tamen*, quod et Edd. Ven. ignorant.

cum passivam vim habet, deficio facit. Ita fidenter unius Codicis auctoritate Zwicc. 1. scripsi. Vulgo enim pro *deficio* legitur *defio*, quod quomodo defendi possit, equidem non intelligo. Edoceri cupiam. Mihi quidem totius loci sensus videtur hic esse. Distinguit Priscianus inter formam et vim

tant, ut facio facis, gratificor gratificaris. Terentius in Heautontimorumeno: *Cui ego gratificor, ipsa re experibere.* Similiter ludificor. Idem in Eunucho: *Quin insuper scelus, postquam ludificatus est virginem.* Excarnifico vero activum est, et amplifico et velifico. Terentius in Heautontimorumeno: *Ubi me excarnifices.* Juvenalis in quarto: *Velificatus Athos, et quicquid Graecia mendax audet in historia,* passive protulit. Sciendum tamen, quod et facio et facior, ut ostendimus, vetustissimi proferebant. Si vero facio vel fio integris manentibus, aliud verbum infinitum ante ea componatur, non solum significationes et conjugationes integras eis servamus, sed etiam accentus, ut calefacio calefacis calefacit, tepefacio tepefacis tepefacit. In secunda enim et tertia persona penultimas acuimus, quamvis sunt breves. Similiter calefio calefis calefit, tepefio tepefis tepefit, finales servant accentus in secunda et tertia persona, quos habent in simplicibus. A verto quoque activo, reverto et revertor, praeverto et praevertor, in una eademque ponuntur significatione. Virgilius in primo Aeneidos: *Harpalice volucremque fuga praevertitur Hebrum.* Idem in VII. *Cursuque pedum praevertere ventos.* Verso similiter activum, ex quo contro-

---

passivam verbi *deficio.* Formam quidem passivi habet nullam nisi *defio.* Haec vero forma passivi vim non habet, sed neutri. Vim enim passivam sola habet forma activa *defacio.* Fateor, illud *facit* perquam incommodum mihi videri. Fievi igitur potest, ut haec e glossemate orta sint. Mecum Ioannes etiam de Aingre in expositione Prisciani sentire videtur, dicens: *Deficio autem passivum non habet, sed loco passivi habet defacio et ita defacio non est activum.* Quae tamen sequuntur, non bene his respondent. Suspicor igitur, typothetae vitio hunc Aingrii locum in Ed. Ven. esse corruptum.

Terentius in Heautont. Act. IV. Sc. 6. vs. 20. Hoc etiam loco dissentit Prisc. a textu scriptoris allegati vulgato. Adi sis Interpretes Terentii ad h. l.

Idem in Eunucho Act. IV. Sc. 5. vs. 3. *Terentius in Heaut.* Act. IV. Sc. 6. vs. 9. MS. Lips. *excarnificas. Juvenalis in IV.* Sat. X vs. 174. 75.

§. 35. Post *facio* plerique Codd. addunt *verbo.* Idem ponit MS. Erl. 2. ante *facio.* Lud. Ven. repetunt et post *fio.* Igitur e glossemate ortum esse videtur.

integras eis servamus. Vulgo, *in eis.* Omisi *in* auctoritate MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. Erl. 1. MS. Lips. 2. omittit *in eis.* Erl. 2. et Edd. Ven. ponunt *in eis* ante *integras.* Post

versor deponens. Cicero in Protagora: *Nunc a vobis, o Protagora et Socrate, postulo, ut de isto concedatis alter alteri, et inter vos de hujuscemodi rebus controversemini,*
36 *non concertetis.* Sunt alia, quae et conjugationem mutant cum genere in eadem manentia significatione, ut labo labas neutrum, ὀλισθαίνω, ὀλισθαίνεις, et labor laberis deponens. Virgilius in II. Aeneidos: *Labat ariete crebro janua.* Idem in IIII. *Labitur infelix Dido.* Similiter lavo lavas, et lavo lavis, sed lavis magis pro humectas dicitur. Virgilius in X. *Visceribus super incumbens lavit improba taeter ora cruor.* Sunt tamen alia, quae cum conjugatione mutant significationem, ut mando, ἐντέλλομαι, mandas; mando, μασσάομαι, mandis; fundo, θεμελιόω, fundas; fundo, ἐγχέω, fundis; obsero, περιβάλλω τὸν μοχλόν, obseras; obsero, περισπείρω, obseris; appello, προσαγορεύω, appellas; appello, προσάγω, appellis; volo, πέτομαι, volas; volo, βούλομαι, vis; consternor, καταπλήττομαι, consternaris; consternor, καταστρώννυμαι, consterneris. Nam lego legas et lego legis, dico dicas et dico dicis, etiam in prima persona habent differentias temporum; nam lego legas et dico dicis producunt penultimas, lego legis et dico dicas cor-
37 ripiunt. Sunt alia, quae una voce et una conjugatione diversas tamen habent significationes, ut torreo tam uro quam verto vel volvo significat. Virgilius in IIII. Georgicon: *Jam rapidus torrens sitientis Syrius Indos.* Lucanus in VII. *Ingentes fato torrente ruinas.* Colo quo-

---

tepefit legitur in MS. Lips. 2. *G*, quod signum graecae vocis in caeteris libris esse solet.

Virg. in I. Aeneidos. vs. 317. *Idem in VII.* vs. 807.

ex quo controversor. Vulgo, *conversor.* Miror, Putschium quoque hanc recepisse lectionem. Primum sequens locus, e Ciceronis Protagora allegatus, deinde vero etiam Codices Erl. 1. Lips. 2. Erl. 2. Luth. Lips. 1. luculentissime docent, *controversor* a Prisciano scriptum esse. Lectio varians orta est e male intellecto scripturae compendio. Sic enim Erl. 2. *o*

ctversor. Cicero in Protagora. Unus et alter meorum Codicum *pitagora.*

§. 36. *Virg. in II. Aeneidos.* vs. 492. *Idem in IV.* Reperire hunc locum non potui. Mox omittit MS. Lips. 2. *sed lavis. Virg. in X.* vs. 727.

§. 37. *Virg. in IV. Georg.* vs. 425. *Luc. in VII.* vs. 505. Pro *fato* plures meorum Codd. *facto.*

que pro diligo et habito et aro accipitur. Committo etiam pro credo et pecco. Nec non admitto pro assumo et pecco. Juvenalis in sexto: *Jam fas est, admitte viros, dormitat adulter: illa jubet sumpto juvenem properare cucullo.* Idem in eodem: *Quid Psecas admisit? quaenam est hic culpa puellae?* Sapio pro prudentia et sapore. Idem in IIII. *Qui meminit, calidae sapiat quid vulva popinae.* Deficio, desisto et vincor. Salustius in Jugurtino: *Ab rege defecerant*, id est destiterant. Juvenalis in IIII. *Et fragor aurem percutit, eventum viridis quo colligo panni. Nam si deficeret*, id est, si vinceretur. Condo, aedifico et celo. Gratulor, gaudeo pariter cum alio et gratias ago. Afranius in Cinerario: *Sexte frater mi salve, cum salvus venis, meliusque est, gratulor diis*, id est gratias ago. Multa praeterea similiter tam in verbis quam in aliis partibus orationis duplices habentia significationes invenies.

VIII 38 Quoniam, quae occurrerunt memoriae de varia verborum significatione, tractata sunt, nunc de tempore dicamus. Tempus accidit verbo ad diversi actus significationem accommodatum, quod plerumque ostenditur vel in principalibus vel in penultimis declinationis literis, ex qua etiam personae et numeri dignoscuntur, sed personae quidem et numeri in finalibus literis: tempora vero, ut dictum est, in principalibus vel in penultimis. Itaque cum nominis declinatio in fine solo moveatur, verbi et in fine, et in medio, et in principio

---

Juven. in III. Sat. VI. 329. 30. *Idem in eodem.* VI, 494. Pro *h* *r*

Psecas Zwicc. 1. *specas.* Erl. 2. *fecas.* Lips. 1. *fecas.* Lips. 2. *chelas.* Erl. 1. *fecas.* Lips. 3. *pheas.* Edd. Ven. *phecas.* Eaedem cum MSS. Dresd. Erl. 2. *haec* pro *hic.* *Idem in IV.* Sat. XI. vs. 81.

Juven. in IV. Sat. XI. vs. 196. *quo colligo.* Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. *qua.* Ita et MSS Erl. 1. 2. Lips. 1. e corr. antea *quia* cum MS. Lips. 3. Equidem secutus sum MS. Lips. 2. et Edd. Ven. Mox post *condo* Codicum jussu delevi *pro*, et *celo* scripsi pro *caelo.*

Afranius in Cinerario. MS. Lips. 2. omittit *in Cinerario. meliusque est.* Vulgo, *meliusque tibi est.* At vero MSS. Luth. Zwicc. 1. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Edd. Ven. omittunt *tibi.*

§. 38. *occurrerunt.* Ita Codd. Vulgo, *occurrere.* Edd. Ven. *occurrerent.*

in penultimis. Inserui e MSS. *in.* Ante *praeteritum plusquam-*

plerumque invenitur moveri. In nomine enim casuum differentia et numeri, hic vero et temporis et personarum ex declinatione ostenditur differentia, et numeri. Sunt igitur tempora tria, praesens, praeteritum, et futurum. Sed praeteritum rursus dividitur in tria, in praeteritum imperfectum, praeteritum perfectum, praeteritum plus quam perfectum. Nec mirum tam late patere praeteritum tempus, cum in notitiam nostram nihil sic naturaliter a longo seculorum spatio potest venire, quomodo actus praeteriti temporis. In praesenti enim et futuro pleraque incerta nobis sunt, angustissimaque est eorum cognitio nobis, et dubia plerumque. Itaque singulis vocibus per haec duo tempora jure sumus contenti. Quamvis Graeci futurum quoque diviserunt in quibusdam verbis, in futurum infinitum, ut τύψομαι, et paulo post futurum, quod et Atticum dicunt, τετύψομαι. Melius tamen Romani considerata futuri ratione, quae omnino incerta est, simplici in eo voce utuntur, nec finiunt spatium futuri. Est autem supradictorum temporum quaedam cognatio inter se: sed antequam dicamus de ea latius, supradicta repetamus. Tempus accidit verbo, praesens, praeteritum et futurum. Quamvis enim naturaliter instabili volvitur motu, et pars ejus jam praeteriit, pars sequitur, tamen ad ordinationem nostrorum diversa gestorum tempora quoque dividimus. Unde jure praeteritum in tres differentias partimur. Nihil enim certius, ut di-

---

perfectum delevi *et* Codd. jubentibus. Mox auctoritate Codicum meorum omnium *potest venire* scripsi pro *possit venire*.

futuri ratione. Ita e MSS. Lips. 2. et Edd. Ven. edidi pro *natura*.

§. 39. *pars sequitur.* Expunxi post *pars*, quod libri vulgati addunt, *ejus.* Abest enim hoc a Codicibus meis.

coeperint — sint. Codicum meorum plerique indicativum ponunt. Edd. Ven. etiam *sunt* habent, tuentur tamen *coeperint.*

individuum est, quod. Inserunt libri vulgati post *est* pronomen demonstrativum *eo.* Ignorant Codices mei et Edd. Ven. Post *a quibusdam* legitur in libris impressis *instans.* Suppleri hoc ex antecedentibus facile potest. Secutus ergo sum auctoritatem Codicis Lips. 2. omittentis.

§. 40. *quae statim in praesenti volumus fieri sine aliqua dila-*

ctum est, ad notitiam nostram potest venire, quam gesta per diversum temporis spatium praeteriti. Facile enim dignoscitur, utrum multo ante, an nuper sint facta, an coeperint quidem, necdum tamen sint perfecta. Itaque quod accidit ipsis rebus, quas agimus, nomen tempori ipsi imponimus, praeteritum imperfectus tempus nominantes, in quo res aliqua coepit geri, necdum tamen est perfecta. Praeteritum vero perfectum, in quo res perfecta monstratur. Praeteritum plus quam perfectum, in quo jampridem res perfecta ostenditur. Instans autem individuum est, quod vix stare potest. Unde merito a quibusdam imperfectum nominatur. Nisi enim sit imperfectum, in eo adhuc esse actus intelligi non potest. Futurum quoque cum incertum sit, ut 40
ostendimus, et infinitum, utrum paulo post an multo erit, non potuit discretis quibusdam finibus declinationis uti. Itaque una voce contentum fuit. Et indicativus quidem modus omnia habet tempora. Quippe eo modo omnia, quae egimus, vel agimus, vel acturi sumus, absque ullo impedimento indicamus. Imperativus vero praesens et futurum naturali quadam necessitate videtur posse accipere. Ea etenim imperamus, quae statim in praesenti volumus fieri, sine aliqua dilatione. Nec solum enim illi, qui nondum coepit, imperantes utimur praesenti tempore, sed etiam illi, qui coepit et in ipso actu est, ut permaneat in eodem, ut, si quis ei, qui coepit versum legere, dicat,

---

tione. Haec in Edd. ita leguntur: *quae vel statim — dilatione, vel in futuro —.* Codices variant. Plures *vel* ante *statim* omittunt, ut Zwicc. 1. Lips. 1. MS. Zwicc. 2. ponit ante *statim*, Erl. 2. post *statim.* Sub fine posita, *vel in futuro.* MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 3. vel plane omittunt. vel in margine notata exhibent. In MS. Lips. 2. qui vulgatam tuetur, super *statim* a glossatore positum est: *i proximo futuro.* Codex Lutherius in margine haec refert: *vel quae quandoque in futuro.* Quae lectionis diversitates mihi argumento sunt, glossatori, nescio cui, haec omnia deberi, qui Priscianum, cum is non satis diligenter sententiam in proxime antecedentibus propositam demonstrasse nec nisi ad praesens tempus imperativum retulisse igiturque parum sibi constitisse videretur, corrigendum esse censeret. Fortasse etiam *statim* vel *in praesenti* ab eodem additum est. Plerique Codices ita: *statim in praesenti*, editi libri *in praesenti statim.* Secutus sum libros manu scriptos.

41 lege usque ad finem. Apud Graecos etiam praeteriti temporis sunt imperativa: quamvis ipsa quoque ad futuri temporis sensum pertineant ut, ἀνεῳχθήτω πύλη, aperta sit porta, videtur enim imperare, ut in futuro tempore sit praeteritum: ut si dicam, aperi nunc portam, ut crastino sit aperta. Ergo nos quoque possumus in passivis vel in aliis passivam declinationem habentibus uti praeterito tempore imperativi, conjungentes participium praeteriti cum verbo imperativo praesentis, vel futuri temporis, ut amatus sit vel esto, πεφιλήσθω; doctus sit vel esto, δεδιδάχθω; clausus sit vel esto, κεκλείσθω. Quod autem vim praeteriti habeat hujuscemodi constructio, ostendunt subjunctiva praeteriti perfecti, quae similiter proferuntur in passiva declinatione, ut amatus sim sis sit. Ergo si amatus sit in subjunctivo praeteriti est temporis, bene etiam in imperativo praeteriti temporis potest accipi. Quippe cum etiam in praesenti tempore imperativi tertia persona similis est in omni conjugatione tertiae personae praesentis subjunctivi, ut amet, doceat, legat, ametur, doceatur, legatur. Et in passivis quidem et in similibus hoc possumus dicere. In activis vero vel neutris nullo modo, nisi participia praeteriti habeant.

42 Optativus autem quamvis ipse quoque videatur ad futurum pertinere, (ea enim optamus, quae volumus nobis vel in praesens, vel in futurum dari) tamen habet etiam praeteritum tempus, quia evenit saepe de absentibus et ignotis rebus precari, ut facta ante nobis pos-

---

lege usque ad finem. Zwicc. 2. *in finem.* Ante ἀνεῳχθήτω inserui e MSS. meis *ut.*

§. 41. κεκλείσθω. Ita cum Putschio secundum Codices edidi pro vulg. κεκλήσθω. *Subjunctiva.* Ita Codd. mei. Damnant quod Bas. habet: *subjuncta.*

§. 42. *de* ante *ignotis* omisi auctoritate MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd.

ut facta ante nobis possint in notitiam venire. Variant Codd. et Edd. Pro *facta* MS. Lips. 2. et Edd. Ven. *factae.* Post *facta* alii Codd. *essent,* alii *esse* ponunt. Pro *possint* exhibent plerique *potuerint,* unus *poterint.* Edd. Ven. *possent.* Unus meorum Codd. subjungit etiam *et.* MS. Erl. 1. ita: *in nostram notitiam.* Equidem nihil mutandum esse censeo.

in praesenti degente. Vulgo, *in praesenti tempore degenti.* At vero *filio* non est dativus, sed ablativus, et *tempore* ab interpolatore additum est. Receptam lectionem praestant MSS. Lips. 1. 2. 3. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Heidelb.

sint in notitiam venire: ut, si filio meo Romae in praesenti degente, optans dicam: utinam Romae filius meus legisset auctores, propter quos nunc ibi moratur. Utinam profectus esset Romam ante XXX dies. Possumus tamen hoc uti modo etiam ostendentes, quae optamus non evenisse. Ut Virgilius in I. Aeneid. *Atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem adforet Aeneas.* Et: *Utinam, Cnaee Pompei, cum Cajo Caesare societatem aut nunquam conjunxisses, aut nunquam diremisses.* In hoc autem modo duntaxat et infinito tempora conjuncta habent Latini, praesens cum praeterito imperfecto, et praeteritum perfectum cum plusquamperfecto ad imitationem Graecorum, quamvis haec quoque conati sunt quidam disiungere. Sed melius est esse conjuncta. Nam praeteritum imperfectum rationabiliter idem est etiam praesens. Dico enim utinam legerem nunc, et utinam legerem heri. Nimia est enim cognatio eorum temporum, et maxime in hoc modo. Quippe cum utrumque imperfectum intelligitur. Potest autem iste optativus et incoeptus et non incoeptus ante intelligi. Nam si dicam utinam legerem heri quoque, quomodo nudiustertius, ostendo coepisse quidem, non finisse tamen. Sin autem dicam, utinam legerem heri saltem, ostendo nec coepisse. Similiter si dicam, utinam adhuc legerem, ostendo coepisse quidem in praeterito, in praesenti autem cessare. Sin autem dicam, utinam legerem vel nunc, ostendo nec coepisse adhuc. Sic et per caetera tempora ejusdem modi. Praeteritum quoque perfectum et plus quam 43

---

ante XXX dies. Vulgo, *ante XX.* Numerum triginta exhibent Codices mei omnes.

Virg. in I. Aen. 576. *adforet* e Cod. Lips. 1. scripsi. Proxime sequens locus est quidem Ciceronis, (cf. supra §. 27.) sed Priscianus utitur his verbis tanquam suis. Noli igitur mirari, *conjunxisses* scriptum hoc loco esse pro *coisses*. MS. Erl. 2. *junxisses*. Pro *diremisses* alii *divisisses*, alii *discevisses*, alii *discussisses*. Lips. 1. in margine habet *diremisses*. Mihi quidem lectio recepta minime sollicitanda esse videtur.

et infinito scripsi pro *infinitivo*. Illud Codices mei ad unum omnes praestant.

idem est etiam praesens. MS. Lips. 2. omittit *idem*. Pro vulgato *et* Codices mei omnes praeter Erl. 2. scribi jubent *etiam*.

vel nunc e MSS. Lips. 2. Luth. Erl. 1. 2. aliisque reposui pro *saltem nunc*.

perfectum optativi conjuncta sunt: licet enim vel multo ante vel paulo esse perfecta haec eadem intelligere nos optare, ut, si dicam, utinam legissem ante quinquaginta annos, et utinam legissem ante horam. Nec mirum sic infinite in hoc modo intelligi praeteritum, quod quantum ad veram intellectionem nullum certum nec incoeptum nec finem habuit. Subjunctivus, cum apud Graecos conjuncta habet tempora, apud nos divisa habet omnia, quomodo indicativus. De cujus contextu, cum de constructione orationis tractabimus, latius disseremus. Infinitus modus quoque conjuncta habet tempora, quomodo optativus, praesens et praeteritum imperfectum, praeteritum perfectum et plus quam perfectum, quomodo apud Graecos. Cum dicimus enim legere, imperfectam rem significamus, quae vel ad praesens, vel ad praeteritum imperfectum attinet. Cum vero legisse, perfectam, quae sua est tam praeteriti perfecti quam plus quam perfecti. Nota autem, quod vim nominis rei ipsius habet verbum infinitum. Unde quidam nomen verbi hoc esse dicebant. Dico enim bonum est legere, ut si dicam bona est lectio. Itaque omnis modus finitus potest per hunc interpretari, ut si dicam lego, quid indicavi? legere me. Lege, quid imperavi? legere te. Utinam legerem, quid optavi? legere me. Cum legam, venio, quid junxi? prius legere post venire.

IX 44 Gerundia quoque vel participialia, cum participiorum vel nominum videantur habere casus obliquos, nec tempora significent, quod alienum est a verbo, legendi, legendo, legendum, lectum, lectu, infiniti vice tamen funguntur, quod solet apud Graecos articulis conjungi. Itaque pro infinito, qui conjungitur genitivo casui ar-

---

§. 43. *conjuncta habet.* Vulgo *habeat.* Illud Codices. Pro *tractabimus* Codd. *tractaverimus.*

Infinitus modus. Vulgo, *Infinitivus modus.* Nos Codices nostros secuti sumus.

§. 44. *Juvenalis in I.* Vulgo, *II.* MSS. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. recte consentiunt in numero *primo.* Sat. III. vs. 233

Alphius Avitus. Edd. Ald. Bas. Colon. *Alpheus.* Putschius temere *Alphaeus.* Nos MSS. Zwicc. 2. Dresd. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Edd. Ven. secuti scripsimus *Alphius.*

§. 45. *Cicero pro Milone.* Cap. 29. Hic locus negligenter a Prisciano allegatus est.

ἀντὶ τοῦ, τοῦ ἀναγνῶναι. Ita edidi e MS. Erl. 1. prae-

ticuli apud Graecos, nos utimur in di terminatione, quae similis est genitivo nominis, legendi, τοῦ ἀναγνωστέου, καὶ τοῦ ἀναγινώσκειν, καὶ τοῦ ἀναγινώσκεσθαι. Pro eo autem, qui dativo articuli adjungitur infinito apud Graecos, antecedente ἐν praepositione, nos in do utimur terminatione, quae similis est dativo vel ablativo nominis: nisi quod verbum hoc existimantes quidam etiam corripiunt o finalem ejus. Juvenalis in I. *Plurimus hic aeger moritur vigilando, sed illum languorem peperit cibus imperfectus.* Alphius Avitus in secundo Excellentium: *Spatiando paulatim trahit.* Est enim dimetrum iambicum. Ut legendo τῷ ἀναγνωστέῳ, καὶ ἐν τῷ ἀναγινώσκειν, καὶ ἐν τῷ ἀναγινώσκεσθαι. Pro eo quoque, qui 45
accusativo adjungitur, in dum terminatione utimur, quae similis est accusativo nominis, ut legendum, ἀναγνωστέον. Huic tamen frequentius solet etiam praeponi praepositio ad, ut ad legendum. Ex quo ostenditur, magis nomen esse quam verbum. Verbo enim separata praepositio per appositionem praeponi non potest. In do quoque terminantia inveniuntur ante se habentia separatam praepositionem. Cicero pro Milone: *Hujus ergo interfector, si esset in confitendo.* Quomodo ergo frequentissime in dus desinentia nomina verbalia et eorum obliquos casus proferre solent Romani pro infinitis in Graeca elocutione prolatis, ut legendi Virgilii causa vigilo, τοῦ ἀναγνωστέου Βεργιλίου χάριν ἀγρυπνῶ, ἀντὶ τοῦ, τοῦ ἀναγνῶναι Βεργιλίου χάριν ἀγρυπνῶ. Cicero in primo Invectivarum: *Nihil hic munitissimus habendi senatus locus*, τῆς ἐκτέας συγκλήτου, ἀντὶ τοῦ, τοῦ ἔχειν τὴν σύγκλητον. sic etiam gerundia vel supina proferuntur. Hoc tamen videtur inter gerundia supradicta et nomina,

---

eunte Putschio. Vulgo legitur, τοῦ ἀναγινώσκεσθαι, omissis etiam ἀντὶ τοῦ. Formam ἀναγνῶναι Lipsiensium Codicum primus etiam confirmare videtur, hoc exhibens: ἀναγίναι. Ex eodem Cod. et Erl. 1. restitui accusativum Βεργίλιον pro genitivo Οὐιργιλίου, uti perperam in libris vulgatis legitur. Scripsi eorundem Codicum auctoritate Virgilii nomen Βεργίλιος pro vulgato Οὐιργίλιος.

Cic. in I. Invect. ab initio. *hic* abest a Cod. Zwice. 1.

τῆς ἐκτέας συγκλήτου. Ita Codd. Luth. Lips. 1. Erl. 1. Mox Ald. σύνκλητον. Bas. Colon. συνκλιτον.

quorum etiam nominativus. Delevi Codd. jussu *et* post *quorum* et reposui *etiam.*

quorum etiam nominativus in dus profertur, interesse, quod, quando sunt absque dubitatione nomina, simili casui adjunguntur et discernunt genera, ut intelligendi Homeri gratia, et amandae virtutis causa, et emendi
46 mancipii studio veni. Quando vero gerundia sunt, id est loco infiniti cum articulo juncti apud Graecos accipiuntur, nec genera discernunt nec numeros, quod suum est infinitorum verborum, et illum sequuntur casum, quem et verba, ex quibus nascuntur, ut si dicam, intelligendi Homerum causa venio, et amandi virtutem causa laboro, et emendi mancipium causa venio, quamvis rarus sit hujuscemodi constructionis usus. Similiter dicimus intelligendo Homerum profeci, amando virtutem legi, et invidendum nobis non est, et minime nocendum virtuti, quia superiorum accusativo, inferiorum vero verba dativo adjunguntur. Praeterea gerundia tam ab activis quam a communibus nascentia tam activam quam passivam habent significationem; nomina vero mobilia supradictae formae, id est in dus et da et dum desinentia, unam et magis passivam. Solemus enim per verbum passivum ea interpretari. Quid est enim amanda virtus? Digna, quae ametur. et munitissimus habendi senatus locus? In quo habeatur senatus. Unde raro inveniuntur a neutris absolutam significationem habentibus, ut sto, sedeo, surgo. Nemo enim dicit standus, sedendus, surgendus: quorum
47 supina significationem sui servant verbi simplicem. A caeteris vero neutris et a deponentibus gerundia quidem eandem significationem habent, quam et verba, ut fa-

---

§. 46. *et da et dum.* Expunxi bis *in.*

virtus? Digna, quae ametur. et munitissimus — In quo habeatur senatus. Post *virtus* ponunt libri impressi *nisi*, idem post *locus*. Codices mei omnes hoc ignorant. In MS. Erl. 1. ab eadem manu, quae notas interlineares et marginales huic libello adspersit, super scriptum est. Ergo non erat recipiendum. Alii meorum Codd. ponunt pro *nisi*, *id est*, alii hoc posteriore tantum loco post *locus*. Edd. Ven. prius tuentur *nisi*, in altero ponunt *nisi id est*. Equidem secutus sum auctoritatem MS. Lips. 2. qui utrobique *id est* ignorat.

§. 47. *altera in u finitur.* Addunt Edd. Ven. Ald. Bas. Colon. Putsch. *ut venatum venatu*, quod Codices ignorant.

quid est enim venatum. Vulgo, *quid enim est venatum aliud.* Equidem secutus sum MS. Zwicc. 2. et Edd. Ven. omitten-

ciendi, τοῦ ποιεῖν, sequendi, τοῦ ἀκολουθεῖν, loquendi, τοῦ λαλεῖν. Nomina vero supradictae formae similiter, quomodo supra diximus, magis passivam. Faciendus, ποιητέος, id est, quod debet fieri, sequendus, ἀκολουθητέος, id est, quem debent sequi, loquendus, λαλητέος, id est, quem debemus loqui. Praeterea ex forma participiorum praeteriti temporis duae terminationes inveniuntur, quarum prior in um, altera in u finitur. Et in um quidem eandem significationem fere habet, quam in dum desinens cum praepositione ad. Quid est enim venatum, nisi ad venandum, quaesitum, nisi ad quaerendum? Virgilius in IIII. Aeneidos: *Venatum Aeneas unaque miserrima Dido in nemus ire parant*, id est, ad venandum. Idem in nono: *Si fortuna permittitis uti, quaesitum Aenean et moenia Pallantea*, id est, ad quaerendum. Videtur tamen hoc quoque quasi ipsius rei esse accusativus, et sine praepositione proferri. Quod quasi ad locum habet significationem, quemadmodum propria nomina civitatum: quae cum ad locum significant, carent praepositione. Sequens vero forma, quae 48
in u terminat, ablativus mihi videtur ipsius nominis, quo ipsa res significatur, carens similiter praepositione. Quid enim est mirabile visu, nisi visione? Visio enim tam ex actione quam ex passione potest fieri. Diximus autem et superius, quod infinitorum vis in nomen rei resolvitur. Quomodo autem participia praeteriti temporis, et nomina rerum in us correptam desinentia solent ante u vel s vel t vel x habere, sic et ista habent, ut lacsum lacsu, morsum morsu, amatum amatu, do-

---

tes *aliud* et *enim* post *est* exhibentes, quod alii etiam Codices praestant.

Virg. in IV. Aen. vs. 117. *Idem in nono.* vs. 240. Vulgo legitur *ad moenia*. Equidem auctoritate MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3 Erl. 2. Dresd. Edd. Ven. edidi *et*, quod, cum omnibus fere Codicibus exhibeatur, ab Heynio recipi debebat.

§. 48. *Sequens vero forma.* Pro *quoque* edidi secundum MS. Erl. 2. *vero*. Mox *mirabile visu* reposui pro *miserabile*. Nullo enim modo debui resistere auctoritati MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1 2. 3. Ut paulo ante, hic etiam *quid est enim* secundum Lips. 1. 2. 3. aliosque edidi pro, *quid enim est*.

ex passione potest fieri. Quod vulgati libri exhibent *fieri*, id mihi minus commodum videtur, quam *proferri*, quod MSS.

ctum doctu, captum captu, fluxum fluxu, flexum flexu. Sicut autem supra docuimus, communem habent significationem ab activis vel communibus nata, ut oratum, *πρὸς τὸ παρακαλεῖν, καὶ πρὸς τὸ παρακαλεῖσθαι,* oratu, *ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖν, καὶ ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖσθαι.* Idem enim
49 significamus. Supina vero nominantur, quia a passivis participiis, quae quidam supina nominaverunt, nascuntur. Pro omni autem tempore infiniti verbi solent accipi. Dicimus enim legendi causa in honore fui, et sum, et ero, *ἀντὶ τοῦ, τοῦ ἀνεγνωκέναι, καὶ τοῦ ἀναγινώσκειν χάριν, καὶ τοῦ ἀναγνῶναι, ὁμοίως δὲ καὶ τοῦ ἀνεγνῶσθαι, καὶ τοῦ ἀναγινώσκεσθαι, καὶ τοῦ ἀναγνωσθήσεσθαι.* Quod autem ab activis et communibus venientia communem habent significationem, usus quoque probat. Virgilius in Bucolicis: *Cantando tu illum? haud unquam tibi fistula cera junctafuit,* active protulit. Idem in eodem: *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis,* passive. Idem in secundo Aeneidos: *Quis talia fando Myrmidonum,* active dixit. Idem in eodem passive: *Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures.* Solebant enim antiqui fatur communiter proferre. Idem in III. Georgicon: *Uritque videndo foemina, nec nemorum patitur meminisse nec herbae,* passive protulit. Et videndo perit, active, id est, dum videt. Quod autem haec nomina sunt, ostendit praepositio, quae frequenter invenitur, ut supra diximus, tam ante accusativum, quam ablativum eorum casum,
50 ut ad venandum et in venando. In neutris vero et in deponentibus, quomodo supra dictum est, simplices habent significationes. Impersonale autem hanc habet differentiam ad infinitum, quod infinitus altero verbo finito omnimodo eget, impersonale vero actum quidem perfectum significat per omnes modos, persona vero sola deficit: quae si addatur, perfecti vice fungitur verbi per omnes, quomodo diximus, modos. Per in-

---

Zwicc. 1. Dresd. Nolui tamen recipere, cum optimi Codices vulgatam tueantur.

§. 49. *usus quoque probat.* Vulgo *approbat.* Secutus sum Codices meos.

Virg. in Bucolicis. Ecl. III. vs. 25. *haud unquam* secundum MSS. Lips. 2. Zwicc. 2. Luth. Erl. 1. 2. edidi pro *aut unquam.* MS. Lips. 1. *aut nunquam.* Edd. Ven. vulgatam tuentur.

dicativum, ut curritur a me, pro curro. Imperativum, curratur a te, pro curre. Optativum, utinam curreretur a te, pro utinam curreres. Subjunctivum, cum curratur a te, pro cum curras. Infinitum, curri a te oportet, pro currere te oportet. Hoc autem interest inter infinitum passivum, et infinitum qui fit ab impersonalibus, quae nascuntur a verbis activis, quod infinitus passivus verbo eget solo ad perfectam significationem, ut amari volo, φιλεισθαι βούλομαι. Infinitus vero impersonalis non solum verbo, sed etiam ablativo casu per se indiget absque accusativo, ut amari volo a me, pro amare volo. Ideo autem addidimus absque accusativo, quod, si ad eum reddatur accusativus, necesse est eum passivum intelligi, ut amari a me volo filium. Saepe vero etiam non positus subauditur accusativus, ut si dicam, doceri a te volo, et subaudiam me.

Quoniam igitur de singulorum tempore modorum, quae memoriae occurrerunt, disseruimus, de cognatione temporum deinde tractemus. Est quaedam cognatio praesentis quidem temporis cum praeterito imperfecto et futuro, praeteriti vero perfecti cum plusquamperfecto. Praesens tempus propriè dicitur, cujus pars praeteriit, pars futura est. Cum enim tempus fluvii more instabili volvatur, cursu, vix punctum habere potest in praesenti, hoc est instanti. Maxima igitur pars ejus, sicut dictum est, vel praeteriit, vel futura est, excepto sum verbo, quod ὑπαρκτικὸν Graeci vocant, quod nos possumus substantivum nominare: id enim omnium semper est perfectissimum, cui nihil deest. Itaque praeteriti quoque perfecti vim habet, quod ostenditur, quando participiis praeteriti junctum officio fungitur praeteriti perfecti, per passivorum declinationem, vel similium passivis. Similem huic vim habent etiam vocativa, ut Priscianne vocor, nominor, dicor, ap- X 51

Idem in eodem. Ecl. VIII. vs. 71. *Idem in II. Aen.* vs. 6. *Idem in eodem.* vs. 81. *Idem in III. Georg.* vs. 215.

§. 50. *necesse est eum passivum.* Delevi post *eum*, *infinitum*, quod abest a Codd. *Saepe vero etiam.* Addidi e MSS. *vero.*

§. 51. *Est quaedam cognatio.* Expunxi *enim* post *est* Codicum jussu.

cujus pars praeteriit. Omisi Codicum suasu *jam*, quod ante *praeteriit* legitur. Item *in* inter *hoc est* et *instanti.*

52 pellor. Alia autem verba praesentis, sicut diximus, inter praeteritum et futurum sunt, exempli causa, si incipiam versum aliquem scribere, et dicam, scribo versum, dum adhuc ad finem ejus non pervenerim, et cum pars ejus jam sit scripta, pars autem scribenda. Ergo praesens tempus hoc solemus dicere, quod contineat et conjungat quasi puncto aliquo juncturam praeteriti temporis et futuri, nulla intercisione interveniente: unde Stoici jure hoc tempus praesens imperfectum vocabant, ut dictum est, ideo quod prior ejus pars, quae praeteriit, transacta est, deest autem sequens, id est futura. Ut, si in medio versu dicam, scribo versum, priore ejus parte scripta, cum adhuc deest extrema pars, praesenti utor verbo, dicendo, scribo versum: sed imperfectum est, quod deest adhuc versui,
53 quod scribatur. Ex hoc igitur, id est praesenti, nascitur praeteritum imperfectum, cum non ad finem perferimus in praesenti id quod coepimus. Ut in eodem exemplo maneamus, si incipiam in praesenti versum scribere, et imperfectum relinquam, tunc utor praeterito imperfecto dicens, scribebam versum. Ex eodem, id est praesenti, nascitur etiam perfectum. Si enim ad finem perveniat praesens incoeptum, statim utimur praeterito perfecto: continuo enim scripto ad finem versu, dico scripsi versum. Et sciendum, quod plerumque vel literas quasdam, vel syllabarum tempora praesentis, mutat praeteritum perfectum et vel pares habet cum eo vel minores vel ampliores syllabas, ut lego legi, doceo docui, fecio feci, sedeo sedi, do dedi, domo domui. Ex eo iterum, id est praeterito perfecto, nascitur praeteritum plusquamperfectum, si inveteraverit res a nobis perfecta. Mox enim, scripto versu, recenti adhuc perfectione, dico, scripsi, propria significatione: sin dudum sit perfectum, incipit transire in plusquamperfectum. Itaque scripseram de hoc proprie

---

§. 52. Pro *intercisione* MS. Lips. 1. *interpositione.* Mox inter *praesens* et *imperfectum* Codicum jussu omisi *etiam.* *ideo quod prior.* Vulgo *eo quod.* Illud tuentur MSS. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Zwicc. 1. 2. *cum adhuc deest.* Ita MS. Lips. 2. Vulgo, *cui. Perferimus.* MSS. Dresd. Erl. 1. Lips. 3. *proferimus.*

§. 53. *si, incipiam in praesenti.* Sic MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Vulgo, *tempore praeterito.* Edd. Ven.

dicimus. Sciendum tamen, quod Romani praeterito 54
perfecto non solum in re modo completa utuntur, in quo vim habet ejus, qui apud Graecos παρακείμενος vocatur, quem Stoici τέλειον ἐνεστῶτα nominaverunt, sed etiam pro ἀορίστου accipitur, quod tempus apud Graecos tam modo perfectam rem quam multo ante, significare potest. Sed sicut apud illos infinitum tempus adjectione τοῦ ἄρτι adverbii τὸν παρακείμενον, id est adiacens tempus, et adjectione τοῦ πάλαι τὸν ὑπερσυντέλικον, id est plusquamperfectum significat, sic apud nos hoc, id est praeteritum perfectum potest et modo, et multo ante intelligi perfectum, et apud auctores hoc exemplis comprobatur. Evander enim apud Virgilium in octavo de matre sua dicit: *Cecinit quae prima futuros Aeneadas magnos et nobile Pallanteum.* Cecinit dixit pro cecinerat. Multo enim ante illam cecinisse intelligit. Et ipse poeta ex sua persona: *Trojae qui primus ab oris Italiam fato profugus Lavinaque venit litora*, venit posuit pro venerat. Hic enim quoque multo ante intelligit venisse Aenean ad Italiam. Ergo proprie si quis con- 55
templetur vim praeteriti perfecti, non aliam vim judicet hoc habere, quam apud Graecos illud, quod ἀόριστον vocant. Hoc autem differt a plusquamperfecto, quod illud per se prolatum non eget adverbio pridem, quod habet hoc in se naturaliter, nisi si velimus explanandae quantitatis causa temporis addere, ante quot dies vel annos. Nec licet illi modo vel nuper adverbia adjungere. Praeteritum vero perfectum ad manifestandam significationem eget vel modo, vel pridem adverbiis. Futurum ex praesenti nascitur, quippe cum praesens medium sit praeteriti imperfecti et futuri. Itaque consonantes praesentis servat tam praeteritum imperfectum quam futurum, ut dico dicebam dicam. Praeteriti vero perfecti consonantes servat plusquamperfectum, ut dixi dixeram. Sed tamen in subjunctivo modo futu-

---

utrumque omiserunt. Post *imperfectum* auctoritate MS. Lips. 2. expunxi *eum*.

nascitur praeteritum plusquamperfectum. Addidi e MS. Lips. 2. *praeteritum*.

§. 54. *Virgilius in VIII.* vs. 340. Sequens locus notissimus est.

§. 55. *nisi si velimus.* *Si* adjeci e MSS. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth.

rum quoque praeteriti perfecti servat consonantes, ut dixi dixero. Quod non sine ratione evenire videtur. Nam futuro quoque tempori cognatio est cum praeterito perfecto, quantum ad infinitatem temporis, hoc est ἀόριστον. Sicut enim praeteritum perfectum vel modo vel multo ante possumus intelligere, sic etiam futurum vel mox, vel multo post intelligere possumus futurum, ut, si dicam scribam vel scripsero, incertum
56 temporis futuri spatium monstro. Nec mirum, cum in nominibus quoque comparativis si dicam fortior, incertum est, utrum multo an parvo superet illum, ad quem comparatur. Habet igitur affinitatem, sicut ostendimus, cum praesenti futurum, quod praesens medium est inter praeteritum imperfectum et futurum; cum praeterito vero perfecto plusquamperfectum, quia incertum significat temporis spatium. Cum igitur in aliis modis praesentis, sicut dictum est, consonantes servat futurum, in subjunctivo praeteriti perfecti regulam sequitur, ostendens, cum eo quoque se habere jura affinitatis. Idque
57 ex participiis maxime est conjicere, quae in praeterito tempore non finiunt spatium temporis praeteriti, breve sit an longum. Si enim dicam amatus vel locutus, incertum est, utrum modo an multo ante; similiter in futuro amaturus, locuturus, mox an multo post, incertum est. Ideoque in plerisque verbis ex praeterito fit futurum, amatus amaturus, habitus habiturus, locutus locuturus, auditus auditurus. Diximus autem in plerisque, quia neutra praeteriti temporis pleraque carent participio. Sed quia ad praesens ei quoque est cognatio, fit etiam a praesenti futurum, ut amans amandus, docens docendus, loquens loquendus, audiens audiendus. Sed tamen sciendum, quod omnia hujuscemodi formae participia, id est, in dus terminantia, etiam nomina esse possunt. Confirmat autem supra dictam rationem cognationis temporum etiam anomalorum, id est inaequalium, declinatio, in qua ex praesenti fit praeteritum imperfectum et futurum in omni modo, absque sub-

---

hoc est ἀόριστον. Expunxi ante vocem Graecam *ad* et post *pertinet.* Illud auctoritate MS. Lips. 2. hoc MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. jussu.

§. 56. *breve sit an longum.* Omisi *utrum.* Mox ante *multo* pro *vel* scripsi *an* Codicum meorum auctoritate.

junctivo, ut fero ferebam feram ferrem, ex praeterito vero perfecto plusquamperfectum, tuli tuleram tulerim tulissem, et futurum subjunctivi tulero. In participiis quoque ex praeterito passivi nascitur futurum activi, ut latus laturus, ex praesenti activo futurum passivi, ut ferens ferendus. Sed quamvis penitus mutent in quibusdam anomalis verbis supradicta tempora omnes syllabas, significatio tamen integra manet eorum et cognatio temporum, ut sum eram ero. Nec mirum, cum 58
in aliis quoque partibus orationis hoc inveniatur, ut cognata significatio in diversis inveniatur vocibus, ut puta in nominibus, pater masculinum est, ejus femininum mater. Similiter frater soror, patruus amita, avunculus matertera, bonus, ejus comparativus melior, superlativus optimus. Jupiter, ejus genitivus Jovis, quantum ad usum juniorum. Ego, ejus genitivus mei. Et ex contrario saepe diversa significatio in similibus invenitur vocibus, ut liber libra, fiber fibra, Helenus Helena, Tullius Tullia. Propria enim nomina non sunt naturaliter mobilia, sed ex se nascuntur, sicut etiam supradicta appellativorum foeminina non sunt a masculinis nata, sed a se orta, quamvis similem mobilibus habeant formam. Illud quoque comprobat cognationem temporum, quod infinita verba a praeterito tempore habent etiam futuri rationem, dixisse, dictum ire, laesisse, laesum ire, mersisse, mersum ire, fluxisse, fluxum ire. Sicut enim participia praeteriti temporis rationem regulae sumunt a verbo praeteriti perfecti, sic eorum formam sequitur infinitum futuri. Infinita autem nominata sunt, ut dictum est, ab eo, quod carent significatione definita tam personarum quam numerorum, sicut neutra quoque nomina appellamus ab eo, quod carent utroque genere. Defectiva temporis prae- XI
teriti perfecti et plusquamperfecti, necnon etiam futuri 59
subjunctivi, quia ex supradictis nascitur temporibus, sunt in eo desinentia inchoativa. Nec meditativorum tamen supradicta tempora memini me invenisse, ut fer-

---

§. 57. Post *ferebam* e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Edd. Ven. addidi *feram*.

§. 58. *naturaliter mobilia*. Delevi post *naturaliter* glossema luculentum *per se*. Nec tamen meo id judicio, sed auctoritate MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Edd. Ven.

vesco, calesco, horresco, tepesco, esurio, lecturio, micturio, parturio. Sunt alia verba, quibus desunt diversa tempora, usu deficiente, non ratione significationis. Et quibusdam deest praeteritum perfectum, et omnia, quae ex eo nascuntur, ut ferio, sisto, tollo, fero, ajo, furo, quod Varro posuit. Ergo aliorum verborum praeteritis perfectis, quae videntur eandem significationem habere, pro his utimur, in quibus invenimus, ut percutio percussi, ferio percussi, statuo statui, sisto statui, vel, ut quidam, steti, quod est a sto. Sed Juvenalis in III. *Gaudentes foedo peregrina ad pulpita cantu prostitui*, pro prosisti. Sustulo antiqui sustuli, tollo sustuli, suffero sustuli; tulo antiqui tuli, fero tuli; insanio insanivi, furo insanivi. Meto etiam quidam messivi, quidam messem feci, sed usus vetustissimorum messui comprobat, quod, cum de praeterito tractabimus, ostendetur. Cerno crevi, et cresco
60 crevi, apud vetustissimos invenitur. A moereo, unde moeror, moerui debet facere, sed in usu non est moerui; mando mandis, ejus praeteritum perfectum quidam mandi, alii mandui, alii mandidi esse voluerunt. Livius in Odissia: *Cum socios nostros mandisset impius Ciclops.* A strido quoque alii stridui, alii stridi protulerunt. Ennius in XI. Annalium: *Missaque per pectus dum transit, striderat hasta.* In passivis et communibus et deponentibus, id est in omnibus verbis in or desinentibus desunt tempora praeterita perfecta, et omnia quae ex his nascuntur. Participia tamen conjuncta verbo substantivo, id est sum, et omni ejus tempori, eorum

---

feci. Mox *definita* scripsi pro *diffinita* secundum MS. Zwicc. 1. aliosque.

§. 59. *Varro posuit.* Vulgo, *ponit.* *Juvenalis in III.* Sat. VIII. vs. 221. Mox bis posui *antiqui* pro vulgato *antique*, auctoritate MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2.

furo insanivi. Vulgo *furio*, quod non solum Codices mei fere omnes, sed Editiones etiam Venetae damnant.

§. 60. *moerui debet facere.* *Debet* pro *debuit* MSS. mei. Mox pro *mandisset* MSS. Lips. 2. 3. *mandidisset.* Lips. 2. addit etiam post *Livius, tamen.*

strideret. Duo Codd. *strideret;* unus *strideat.*

Post τετυμμένοι ἦσαν legitur in Edd. vulgatis ὁριστικὰ εὐκτικά. Haec frustra quaesivi in MSS. Item ὑποτακτικὰ post εἶησαν. Ἐὰν autem, quod apud Putschium et in Edd. Bas. Colon.

vice funguntur. Quod Graeci quoque solent facere in multis verbis temporis praeteriti perfecti et plusquamperfecti, et maxime in modo optativo et subjunctivo, uti τετυμμένοι εἰσὶ, τετυμμένοι ἦσαν; τετυμμένοι εἴην εἴης εἴη, τετυμμένοι εἴητον εἰήτην, τετυμμένοι εἴημεν εἴητε εἴησαν; ἐὰν τετυμμένος ὦ ἧς ᾖ, ἐὰν τετυμμένω ἦτον ἦτον, ἐὰν τετυμμένοι ὦμεν ἦτε ὦσι. Sed cum apud Graecos paene 61
innumerabilia sunt verba, quae vel literarum inconsonantia vel regularum quibusdam rationibus impediantur vel usu, ut habeant declinationem plenam per omnia tempora, apud nos pauca hoc patiuntur. Inveniuntur tamen etiam pauca in o desinentia, in quibus praeteritum perfectum per participium solet demonstrari, quae neutropassiva artium scriptores nominant. Sunt autem haec sola: gaudeo gavisus sum, audeo ausus sum, soleo solitus sum, fido fisus sum, fio factus sum, quorum tamen antiquissimi solebant etiam praeteritum perfectum proferre hoc modo, gaudeo gavisi, audeo ausi, soleo solui, fido fisi, fio fui, sed nunc his non utimur. Sunt verba, quibus desunt et tempora et personae, ut forem fores foret forent fore, cedo, infit, cujus Varro in mensuralibus primam ponit personam, infio. Ajo quoque praeterito perfecto deficit. Inquio 62
etiam verbum in multis deficit. Item impersonalia verba, quae ex se nascuntur, deficiunt per tempus futurum in modo infinito, ut poenitere poenituisse, pudere puduisse. Quamvis antiqui puditum ire dicebant, et puditus participium, ut Plautus in Bacchidibus: *Neque mei neque te tui intus puditum est factis, quae facis.*

Ald. post participium verbi positum est, auctoritate MS. Lips. 1. ante hoc posui.

§. 61. *innumerabilia sunt.* Vulgo *sint.* Conjunctivum hoc loco nec usus Prisciani nec Codices probant.

ut forem fores. Ad eci e MSS. nonnullis et Edd. Ven. *forem.*

Varro in mensuralibus. Secutus sum lectionem, quam MS. Lips. 2. exhibebat. Reliqui variant. MSS. Dresd. Zwicc. *mensuris.* Idem Luth. correctus. Erfurtenses *mensuribus.* Idem Lips. 1. MS. Lips. 3. omisit. Edd. Ven. *mensurabilibus.*

§. 62. *inquio.* Duo meorum Codd. *inquo.* Mox Zwicc. 2. omittit *verba.* Idem deinde *a* pro *ex.* Post *puduisse* addit MS. Dresd. *pigere piguisse.*

Plautus in Bacchidibus. Act. III. Sc. 1. vs. 12. Pro *tui* plures Codd. inter quos Lips. 2. Zwicc. 1. *tu.* Lips. 3. omittit. *mei* post *me*, quod libri Plautini habent, nullus, si recte enotavi,

Necnon metuere metuisse deficit futuro, et timere timuisse, latere latuisse, apparere apparuisse, obedire obedisse. Et pleraque neutra secundae conjugationis, horrere horruisse, tepere tepuisse, rubere rubuisse, pavere pavisse. Inchoativorum quoque et mediativorum in infinitis non solum praeteritum, sed etiam futurum deficit tempus, horrescere, tepescere, fervescere, parturire, esurire, lecturire. Necnon perfecta, si sint ejusdem formae inchoativorum, plerumque deficiunt futuro, ut discere didicisse, poscere poposcisse, compescere compescuisse. Quoniam de deficientibus per tempora sufficienter dictum, nunc de modis tractemus.

XII. 63 Modi sunt diversae inclinationes animi, varios ejus affectus demonstrantes. Sunt autem quinque: Indicativus sive definitivus, imperativus, optativus, subjunctivus, infinitivus. Indicativus, quo indicamus vel definimus, quid agitur a nobis, vel ab aliis, qui ideo primus ponitur, quia perfectus est in omnibus tam personis quam temporibus, et quia ex ipso omnes modi accipiunt regulam, et derivativa nomina sive verba et participia ex hoc nascuntur, ut duco ducens duxi ductus dux, rego regens rexi rectus rex, ferveo fervens fervesco fervor, horreo horrens horresco horror, intelligo intelligens intellexi intellectus, laedo laedens laesi laesus laesio; et quia ipsa prima positio verbi, quae videtur ab ipsa natura esse prolata, in hoc est modo, quemadmodum in nominibus est casus nominativus; et quia substantiam sive essentiam rei significat, quod in aliis modis non est. Neque enim qui imperat, neque qui optat, neque qui dubitat, in subjunctivo substantiam actus vel passionis significat, sed tantummo-

---

meorum Codicum. Caeterum notandum est, Codices meos *bachides* per unam *c* scribere, et in Lips. 1. alteram *c* puncto notatam esse, ejusdem, ut videtur, qui Codicem descripsit, manu. Post *pleraque* haec addit Dresd. Cod. *ut deficiunt in infinito futuro et in duobus novissimis gerundiis.* Eadem fere et Lips. 3.

§. 63. *optativus, subjunctivus.* Libri vulgati: *optativus, conjunctivus sive subjunctivus.* Omittunt *conjunctivus* MSS. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Zwicc. MS. Lips. 1. ab alia manu supra scriptum refert. Iidemque Codd. *et* ante *subjunctivus* ignorant. Zwicc. 2. et Edd. Ven. *vel* exhibent.

do varias animi voluntates de re carente substantia. Deinde hunc primum auctoritas doctissimorum tradidit modum in declinatione verborum. Sciendum tamen, 64
quod quidam ausi sunt infinita ponere prima, sed male; non enim oportet statim a re imperfecta aut dubia incipere. Quidam enim dubitaverunt, an verba sint haec, et inter adverbia magis ponenda censuerunt, quod nec numeros, nec personas, nec affectus animi certos habent, et egent semper aliis verbis, sicut adverbia. Dicimus enim legere studeo studes studet, sicut dicimus bene studeo studes studet. Sed haec postea refutentur, nunc hoc sufficiat ostendisse, non bene ab infinitis quosdam coepisse. Sed neque ab imperativis neque ab optativis erat incipiendum, cum hoc imperamus, illo optamus, ut sit indicativus, qui nisi prius sit notus, non possumus scire, quid imperemus vel quid optemus. Subjunctivus vero, quem quidam dubitativum appellaverunt, manifestam habet indicativi cognitionem. Ipsa enim dubitatio ante se esse indicativum confitetur: nam si tollas dubitationem, non opus est subjunctivo in re certa, sed indicativo. Ergo non alius modus jure praeponitur omnibus, quam indicativus. Sicut enim in nomine, si quis proferat ge- 65
nitivum vel alium post hunc casum, multo ante nominativum cognovit, ex quo nascuntur obliqui, sic, qui aliquem modum proferat, scit primum indicativum, qui est paene verbi rectus, sicut et praesens tempus ideo aliis praeponitur temporibus, et primum obtinet locum, quod in ipso sumus, dum loquimur de praeterito et futuro: et quia ad praesens praeterita et futura intelliguntur, quod si non sit, alia intelligi minime possunt: et quia positio indicativi verbi ab ipso incipit,

---

verba et participia. Vulgo *vel.* Illud Codices praestant.

§. 64. *nunc hoc sufficiat ostendisse.* *Hoc* pro *haec* recepi e MSS. Lips. 2. Erl. 1. 2. *ostendisse* e Zwicc. 2. Lips. 1. Edd. Ven. Vulgo, *ostendere.*

imperamus optamus. Indicativum exhibent MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Edd. Ven. Subjunctivum tuentur libri vulgati.

non alius modus jure praeponitur. Adjeci e MSS. *modus*, et pro *praeponetur* restitui *praeponitur.*

§. 65. *qui aliquem modum proferat.* Vulgo *profert.* Subjunctivum praestant MSS. optimi.

et quod ex ipso caetera tempora trahunt regulas: et quod praeteritum non potest esse, nisi quod prius fuerit praesens. Futuri autem vox sine significatione esset, nisi cogitantibus nobis, et notionem sumentibus ex praesenti vel ex praeterito. De futuro quoque sumimus notionem, vel ex his quae nobis in ore veniunt, vel ex ipsa natura rerum, vel ex cogitatione. In ore quidem, ut, si videam scribentem in praesenti, ex hoc concipio et futuri temporis scripturam. Natura, ut, cum videam solem occidentem in praesenti, possum scire naturali motu reversurum, quod est futuri. Cogitatione vero, ut, si cogitem diluvium quale sit in
66 praesenti, ex hoc notionem concipio futuri. Similiter prima persona praeponitur aliis, quia ipsa loquitur et per eam ostenditur secunda, ad quam loquitur, et tertia, de qua loquitur. Nisi enim sit prima, quae proferat sermonem, aliae esse non possunt: et quod ista sine illis potest inveniri, cum secum aliquis loquitur, illae autem sine ista non inveniuntur: et quod causa naturaliter ante causativam, quam *αἰτίαν* Graeci vocant, esse solet. Causa autem fit secundae et tertiae personae prima persona: jure igitur illis praeponitur, quae sunt causativae. A singulari quoque numero incipimus, quod hic naturaliter primus est numerorum, qui duplicatus vel multiplicatus facit numerum pluralem. Et activa ideo prima proferuntur, quod naturaliter praecedit actus ante passionem, quae esse non potest, nisi sit actus, et quod qui agit incipit, sequitur autem qui patitur, et quod verbum activum additione eget literae
67 vel literarum, ut faciat passivum ex se. Breviter igitur de omnibus modis repetamus. Modi sunt, ut praedictum est, diversae inclinationes animi, quas varia consequitur declinatio verbi. Indicativus primus ponitur

---

nisi quod prius fuerit. Adjeci *quod* e MSS. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Erl. 1. 2. Luth.

notionem sumentibus. Alii meorum Codd. *notitiam*, alii *notionem*, alii *notitionem*. Retinui vulgatam, quam et Edd. Ven. tuentur.

ut cum videam. Unus meorum Zwicc. 1. *video.*

§. 66. Ante *secunda ad quam* Codicum auctoritate delevi *et.*

§. 67. *indicamus, quid agitur.* Duo meorum Codd. *quod.* Edd. Ven. *quid agatur.* Usui Prisciani mihi recepta lectio non repugnare videtur.

propter quas enumeravimus causas. Indicativus autem dicitur, quod per eum indicamus, quid agitur. Imperativus est, quo imperamus aliis, ut faciant aliquid vel patiantur. Qui ideo secundum tenuit locum, quod per se absolutus, quemadmodum indicativus, non indiget auxilio alterius partis ad plenam significationem, licet per tempora et personas deficiat naturaliter. Solemus tamen non solum imperantes, sed etiam orantes saepissime eo uti, ut Virgilius in primo Aeneidos: *Musa, mihi causas memora, quo numine laeso.* Idem in nono: *Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti.* Tertius est optativus, qui quamvis et temporibus et personis perfectior esse videatur imperativo, tamen eget adverbio optandi, ut plenum significet sensum: et quod, qui optat, inferior videtur esse imperante. Itaque jure post imperativum ponitur. Quartus subjunctivus, quippe jure, qui eget non modo adverbio vel conjunctione, verum etiam altero verbo, ut perfectum significet sensum, ut Virgilius in Bucolicis: *Cum faciam vitulam pro frugibus, ipse venito.* Et sciendum, quod omnibus modis aliis sociari potest subjunctivus, qui cum diversas habeat significationes, non ab una earum, sed a constructione nomen accepit: veluti denominativa, quae diversas habentia significationes generale tamen nomen multarum specierum sibi defendunt. Est enim quando dubitationem significat, ut, si videam, intelligo. Est quando confirmationem. Virgilius in primo Aeneidos: *Certe hinc Romanos olim volentibus annis; hinc fore ductores revocato a sanguine Teucri, qui mare, qui terras omni ditione tenerent, pollicitus.* *Tenerent* enim confirmative dixit. Est quando suadentes hoc utimur: ut si dicam, prodest ut legas. Est quando imperantes, ut, ne dicas, ne facias, in quo nec eget alio verbo. Est XIII 68

Virg. in I. Aen. vs. 8. *Idem in IX.* 525.

§. 68. *inferior videtur esse.* Vulgo *videatur.* Ego Codices meos sequi debui. *non modo.* Vulgo *non solum.* Illud Codices.

Virg. in Buc. Ecl. III. vs. 77. *vitulam* scribendum mihi fuit propter Codd. consensum Luth. Zwicc. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Edd. Ven.

Virg. in I. Aen. vs. 234 — 36. *revocato sanguine.* Omisi praepositionem unius MS. Zwicc. 2. auctoritate. Mihi quidem ne ferenda quidem videtur esse praepositio, exstinguitque poeticam sermonis indolem.

quando ostendentes potuisse fieri, nisi quid impedimento fuisset, ut, facerem, si placuisset, dicerem, si licuisset. Possunt fortassis praeter eas, perspicaciter inquirentibus, et aliae praedicti modi significationes
69 inveniri. Infinitivus est, qui et personis et numeris deficit, unde et nomen accepit infiniti, quod nec personas nec numeros definit, et eget uno ex quatuor supradictis modis, ut significet aliquid perfectum, ut, legere propero, legere propera, utinam legere properarem, cum legere properem. Impersonale autem verbum suae cujusdam est significationis: et solet vel a neutris, activam vel absolutam vim habentibus, non tamen passivam, plerumque nasci, ut statur, curritur, vivitur, ambulatur, vel ab activis, ut amatur, legitur. A passivis vero vel communibus vel deponentibus nunquam, nisi ab uno misereor miseret: sed magis id quoque a misereo est. Vetustissimi enim pro misereor misereo
70 dicebant, sicut diversis supra ostendimus usibus. Supina vel participialia cum nec personas discernant, et temporibus careant, sine quibus verbum esse non potest, et casus assumant, et praepositionibus separatis adjungantur, sine dubio mihi nomina esse videntur, quae tamen loco infinitorum ponuntur, tam activorum quam passivorum. Nec per se ea solum posita pro infinitis accipiuntur, sed etiam ejusdem formae indubita-

---

perspicaciter. Ita MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Vulgo *perspicacius*, quae lectio prorsus damnanda est.

§. 69. *utinam legere properarem.* MS. Luth. *properem.* Post *impersonale* addidi e MSS. *autem.*

miseret. Additur vulgo *et miseretur.* Perperam. Primo obtutu hoc intelligis, et Codices unanimi consensu docent.

§. 70. *Cic. in I. Invectiv.* Cap. 1. Hic locus supra jam tractatus est. Hoc quidem loco plerique Codd. omittunt *hic.* Equidem salvis regulis critices omitti a me quoque hoc pronomen posse putaverim, cum nemo facile negaturus sit, fieri potuisse, ut Priscianus ipse parum sibi constaret. Malui tamen retinere, cum a MS. Lips. 1., veterrimo illo Codice, exhibeatur. Mox pro *nascantur* plures Codices dant *nascuntur.*

ἢ φιλητέα, addunt libri impressi, *quae debet amari;* item post φιλητέον, *quod debet amari.* Utrumque ignorant MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Zwicc. 1. 2. Nonnulli, ut Zwicc. 2. Lips. 1., in fine addunt *i. e. qui vel quae vel quod debet amari.* At vero cum reliqui cum his non consentiant, et Lips. 1. ab alia manu haec superscripta exhi-

bilia nomina aliis adjuncta nominibus secundum eundem casum, ut Cicero in primo Invectivarum: *Nihil enim hic munitissimus habendi senatus locus*, id est tutus habere senatum, ἀσφαλὴς ἔχειν τὴν σύγκλητον. Inter mobilia tamen nomina ejusdem formae, et haec, id est supina, hoc interest, quod haec, sive ab activis, sive a communibus nascantur, communem habent significationem, ut amandi, τοῦ φιλητέου, id est τοῦ φιλεῖν καὶ τοῦ φιλεῖσθαι. Illa vero passivam solam, ut amandus, ὁ φιλητέος, id est qui debet amari, amanda, ἡ φιλητέα, amandum, τὸ φιλητέον. Et quod supina, cum sint generis neutri, et semper singularia, conjunguntur diversis generibus et numeris, ut amando virum, et amando mulierem, et amando pueros. Et quod illis casibus adjunguntur, quibus et verbum, sicut supra quoque docuimus, ut noceo tibi, nocendi causa tibi, nocendo tibi, nocendum tibi. Quod autem praepositionibus separatis con- 71
junguntur, quod verbi non est, ostendit usus. Cicero pro Milone: *Hujus ergo interfector si esset in confitendo.* Idem in IIII. Verrinarum: *A quo pecuniam ob absolvendum acceperas.* Virgilius in Bucolicis: *Et potum pastas age, Tityre, et inter agendum occursare capro, cornu ferit ille, caveto.* Idem in III. Georgicon: *Namque ante domandum ingentes tollent animos.* Et ostendunt ipsae praepositiones sive adverbia praepositiva, in o quidem termina-

---

heat, equidem non debui hanc lectionem recipere. Edd. Ven. ita: *amandus amanda amandum*; tum sequitur vacuum Graecis relictum spatium; tum addunt: *id est qui vel quae vel quod debet amari.* Commodissima quidem haec est lectio; at invitis Codicibus nolui eam admittere.

quibus et verbum. Addit MS. Zwicc. 1. *ejusdem rei.*

§. 71. *separatis conjunguntur.* Haec est lectio MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Edd. Ven. Vulgo, *conjungantur.*

Cic. pro Milone. Cap. 29. Unus meorum: *hujus ergo si interfector.*

Idem in IV. Verrinar. Lib. II. 32. Scripsi *acceperas* pro *acceperis*, non solum quod Codd. hanc lectionem tantum non omnes exhibent, sed etiam quod non prorsus mihi esse videtur damnanda. Edd. Ven. *ob absolvendum hoc acceperas.* Putschius etiam ita edidit.

Virg. in Buc. Ecl. IX. vs. 24. Pro *et* unus Cod. *ad.* Zwicc. 2. *petit* pro *ferit.* *Idem in III. Georg.* vs. 207. Unus meorum Codd. *tollunt.*

tionem ablativi esse. In um vero accusativi, quibus et adjunguntur. In i vero genitivi, cui nunquam praeponuntur separatae. Illud tamen est sciendum, quod in o supina tam corripiunt quam producunt auctores more verborum vel adverbiorum in o terminantium. Alphius Avitus in II. Excellentium: *Tum literator creditus, ludo Faliscum liberos, causatus in campi patens, extraque muri ducere, spatiando paulatim trahit hostilis ad valli latus.* Sunt enim dimetri iambici. Juvenalis in primo: *Plurimus hic aeger moritur vigilando, sed illum languorem peperit cibus imperfectus.*

XIV 7[2] Species sunt verborum duae, primitiva et derivativa, quae fere in omnibus inveniuntur partibus orationis. Est igitur primitiva, quae primam positionem ab ipsa natura accepit, ut lego, ferveo, domo, facio, garrio, albo. Derivativa, quae a positivis derivantur, ut lecturio, fervesco, domito, facesso, garrulo, albico. Sunt ergo derivativorum diversae species, ut inchoativa, quae initium actus vel passionis significat, ut caleo calesco, horreo horresco, tabeo tabesco: quae plerumque a neutris absolutam vel intrinsecus natam

---

ablativi esse. Quod libri impressi omnes et scripti aliquot addunt *casus*, omisi auctoritate Cod. Luth. Mox post *praeponuntur* Codicum meorum auctoritate delevi *praepositiones.*

sive adverbiorum. Pro *sive* MS. Zwicc. 2. exhibet *vel.* Usus tamen Prisciani admittit hoc loco *sive* et Codices reliqui tuentur.

Alphius Avitus. Vulgo *Alpheus.* Ita et Putschius. Supra quidem hic scripserat *Alphaeus;* sed, ut sibi constet, id non laboravit. Nos Codicum nostrorum auctoritati parendum esse censuimus. Ita et Edd. Ven. Caeteram inter viros doctos dudum convenit, scribendum sic esse hoc nomen. MS. Lips. 1. *hauitus.*

Pro *Faliscum* MS. Zwicc. 2. *facilis cum.* MS. Erl. 2. *causatos. in campi.* MSS. Erl. 1. Dresd. *in campis.*

Pro *extraque* plurimi, praestantissimi quoque, *ex utraque.* MSS. Erl. 1. Luth. Zwicc. 1. retinent recte vulgatam. *extra* enim h. l. est accusativus et pro *extera* positum. Zwicc. 2. *ex utraque parte.* Edd. Ven. vulgatam tuentur in omnibus lectionem. *Juven. in I.* vide Ind.

§. 72. *Sunt ergo.* Vulgo *igitur.* Mox *significat* restitui pro eo, quod perperam a Putschio quoque editum est, *significant.*

ἰδιοπάθειαν dicunt, derivantur. Pro vulgato *ἀντιπάθειαν* secundum MSS. Lips. 1. 2. Luth. Zwicc. Erl. 1. 2. restitui *ἰδιοπάθειαν.* Sequentibus addunt libri typis exscri-

significantibus passionem, quam Graeci ἰδιοπάθειαν dicunt, derivantur, ut rubeo rubesco, ardeo ardesco, palleo pallesco, marceo marcesco, areo aresco, tepeo tepesco, luceo lucesco, pateo patesco. Ideo autem diximus plerumque, quia inveniuntur etiam ex aliis verbis, sed raro, ut cupio cupisco. Cicero in Oratore: *Divino aliquo animi motu majora concupiscat.* Virgilius in IIII. Georgicon: *Animosaque regum corda licet longe praesciscere.* Dormio dormisco, sentio sentisco. Terentius in Adelphis: *Hoc vulli edormiscam.* Idem in Heautontimorumeno: *Nec tu id praesentisceres.* Labo labasco. Idem in Eunucho: *Labascit victus uno verbo.* Integro integrasco. Idem in Andria: *Vah perii, hoc malum integrascit.* Et notandum, quod in passiva significatione positum est inchoativum, cum primitivum ejus activum sit. Similiter hio hisco, amo amasco, misereor misericesco. Sed magis a misereo est, quo vetustissimi sunt usi, ut supradictum est. Ennius in V. Annalium: *Cogebant hostis lacrimantes, ut misererent.* Ex quo impersonale est miseret et miseretur. L. Crassus in legis Serviliae suasione: *Neque me minus vestri quam* 73

---

pti *quorum pleraque secundae sunt conjugationis.* Haec absunt a melioris notae Codicibus. In uno alterove in margine notata reperies.

ardeo ardesco. Adjeci e MS. Zwicc. 2. Ex eodem mox *tepeo tepesco. Cicero in Oratore.* Cap. 13. §. 41. Erl. 2. *concupisco.* Nonnulli *concupiscam.*

Virgilius in IV. Georgicon. vs. 70. Hoc quoque loco memoriâ lapsus esse videtur Priscianus. *Terentius in Adelphis.* Act. V. Sc. 2. vs. 11. *Idem in Heautontimorumeno.* Act. IV. Sc. 5. vs. 21. *persentiscere* pro *praesentiscere* dedi auctoritate MSS. I. ps. 1. Erl. 1. 2. Luth. Zwicc. Edd. Ven. Nam Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. *praesentiscere* exhibent.

Idem in Eunucho. Act. I. Sc. 2. vs. 98. MSS. Luth. Lips. 1. ponunt *victus* post *uno verbo. Idem in Andria.* Act. IV. Sc. 2. vs. 5.

§. 73. Pro *hostis* in loco Enniano aliquot meorum Codicum ponunt *hostes*; tuentur tamen vulgatam optimi. Lips. 1. *misereat* pro *misereret.*

Pro *miseretur* MS. Zwicc. 1. *miserebitur.*

Lucius Crassus. MSS. Lips. 2. Erl. 2. *Lucilius.* Tuentur vulgatam MSS. Lips. 1. Erl. 1. Luth. aliique. Mox Edd. Ven. *In lege servili et suasione.* Non potui quin reciperem lectionem Codicis Erl. 1. *me*, quod plerique Codices et libri impressi omnes ante *minus* ponunt, τὸ *vestri* sequi jubentis,

mei miserebitur. Nam a misereor, quod est deponens, nec inchoativum in o desinens, nec impersonale posset nasci. Vivo vivisco, unde revivisco. Terentius in Hecyra: *Ille reviviscet nunquam.* Vesperasco quoque videtur quasi a vespero vesperas verbo derivari. Omnia tamen ea, id est inchoativa, secundae personae primitivi addita co fiunt, ut labas labasco, ferves fervesco, cupis cupisco, scis scisco. Excipitur hio hias, quod hisco, non hiasco, facit, ex quo Virgilius compositum protulit in I. Aeneidos: *Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt.* Idem in eodem: *Hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens.* Vetustissimi tamen fatiscor et fessus dicebant, ex quo defetiscor defessus, quod quidam
74 a fateor esse derivatum volunt. Est altera species derivativorum in urio desinens, quae a participio praeteriti temporis solet fieri, sive a supino in u terminante, assumptione rio, ut lectus participium, lectu supinum, ex his lecturio, esus esu esurio, mictu micturio, partu parturio, amatu amaturio, nuptu nupturio, dictatu dictaturio. Meditationem tamen significat haec forma, unde et meditativa nominatur, et est quartae conjugationis, quomodo et inchoativa tertiae. Sciendum tamen, quod inveniuntur quaedam positiva inchoativorum formam habentia, non tamen etiam meditativorum, ut quiesco, pasco, compesco, posco, disco. Est altera species derivativorum in to vel so vel xo desinens, quae frequentiam actus significat, facitque plerumque ex se

---

MS. Zwicc. 1. et Edd. Ven. omittunt. Hae etiam pro *miserebitur* exhibent *miseretur*, cui lectioni Codices non favent.

nec impersonale posset. Ita Codices Zwicc. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Vulgo, *potest. Terentius in Hecyra.* Act. III. Sc. 5. vs. 15.

Excipitur hio hias. Quod in libris vulgatis deest *hio*, adjeci equidem e MSS. Luth. Zwicc. 2. Dresd. Erl. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1.

Virg. in I. Aen. vs. 123. Pro *fathisco* scripsi *fatisco* auctoritate Codicum.

defessus omittit MS. Zwicc. 2. Idem mox pro *sive* exhibet *vel* et omittit deinde *in.*

§. 74. *Est altera species derivativorum in to vel so vel xo.* Pro vulgato *alia* e MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Erl. 1. 2. recepi *altera*, et ante *so* et *xo* omisi eorundem Codicum jussu *in.*

actus significat, facitque. Vulgo *significant faciuntque*, ita ut hae voces pertineant ad *derivativorum.* Nos MSS. Zwicc. 1.

passiva. Nam inchoativa et meditativa magis neutra sunt. Ea quoque, id est frequentativa, plerumque a supinis derivantur mutatione extremae u in o, ut scriptu scripto, dictu dicto, cursu curso, domitu domito, nexu nexo, flexu flexo. Sin autem sint primae conjugationis, et habeant penultimam a, mutant eam quoque in i correptam, ut imperatu imperito, rogatu rogito, volatu volito. Ideo autem diximus, plerumque a supinis ea derivari, quia in gi terminantia praeteritum, a praesentis secunda persona abjecta s et addita to faciunt frequentativum, ut lego legi legis legito, fugio fugi fugis fugito, ago egi agis agito, cogo coegi cogis cogito. Unde mergo, quia mersi facit, superiorum servat regulam, id est a supino facit frequentativum, mersu merso mersas. Quaero quaerito differentiae causa facit, quia a quaeso quaesito sit. Scitor scitaris notandum, quomodo 75
et sciscitor sciscitaris, quod a primitivo activo deponentia sunt nata. Virgilius in II. Aeneidos: *Tum vero ardemus scitari et quaerere causas.* Terentius in Eunucho: *Nisi quicquid est procul hinc, libet sciscitari.* Nosco quoque noscito facit. Livius in tertio ab urbe condita: *Circumspectare omnibus fori partibus senatorem, raroque usquam noscitare.* Dicitur tamen etiam noto notas: in quo similiter notandum, quod, cum a noto sit derivatum, corripuit tamen penultimam. Nec mirum, cum composita a notus est quando mutant o in i correptam, ut agnitus, cognitus, cum ignotus servavit

---

Erl. 1. 2. secuti singularem edidimus, ut *species* sit subjectum.

primae conjugationis. Addit MS. Dresd. *sint illa primitiva*, omisso priore *sunt*. MS. Lips. 2. *primitiva*. Puto, e glossemate haec addita esse.

quia mersi facit. Adjiciunt MSS. Erl. 1. Zwicc. 2. *praeteritum.*

§. 75. *Virg. in II. Aen.* vs. 105. *Terentius in Eunucho.* Act. III. Sc. 4. vs. 10. In hoc versu *prius quid sit* omisi. Nam Codices mei, si recte notavi, omnes haec ignorant. Item Edd. Ven. Verendum igitur est, ne caeteri Editores, qui ea inseruerunt, suo in hac re arbitrio indulserint.

Livius in III. ab urbe condita. 58. MS. Luth. *circumspectari.* MS. Zwicc. 2. *quoque* post *senatorem* inserit. MS. Erl. 2. *umquam* pro *usquam.*

cum ignotus servavit o. Vulgo, *cum — servaverit o productam.* Equidem recepi lectionem, quam MSS. Luth. Lips. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. praestant.

o. Juvenalis in II. *Nota mathematicis genesis tua.* Virgilius in Bucolicis: *Namque notavi ipse locum, aeriae quo congessere palumbes.* Sunt tamen quaedam deficientia in supinis, quae raro faciunt frequentativa, ut aegreo aegresco et aegroto. Virgilius in XII. *Aegrescitque medendo.* Et sunt omnia frequentativa primae conjugationis et servant significationem primitivorum: quamvis videantur quaedam ex his in alium sensum transire, ut traho tracto, cogo cogito, dico dicto. Sed si quis attentius inspiciat, non penitus absistunt neque haec a
76 primitivorum significatione. Notandum tamen etiam sector sectaris, quod differentiae causa puto per syncopam u penultimae prolatum, ne nomen putetur, si secutor diceremus, cum supinum primitivi ejus secutum est. Raro tamen derivationes hujuscemodi specierum fiunt a verbis in or desinentibus. Sunt praeterea aliae species derivativorum variae tam terminationis quam significationis, ut a video viso visis, id est cupio videre. Virgilius in VIII. *Nam memini Hesionae visentem regna sororis Laomedontiadem Priamum,* visentem dixit pro cupientem videre, quod Graeci dicunt ὀψίοντα. Simile est facio facesso, capio capesso, lacero lacesso, arceo arcesso, accio accerso, quae non esse frequentativa conjugatio ostendit. Possumus tamen ea non incongrue desidera-

---

Iuven. in II. Sat. XIV. 248. *Virg. in Buc.* Ecl. III. vs. 69. *Virg. in XII.* 46. Mox pro *putetur* MS. Luth. *putaretur.* Probanda videtur haec lectio.

§. 76. *Virg. in VIII.* vs. 157. Tres meorum Codicum *Hesionen.* Edd. Ven. *Hesionem.*

lacero lacesso. Pro *lacero* vulgo legitur *lacio.* Equidem sequi debui auctoritatem Codicum meorum unanimi consensu *lacero* exhibentium, quae lectio in Editionibus etiam Venetis reperitur. Cf. Charis. Inst. Gr. III. Putsch. p. 227. *ut lacesso et facesso ex eo, quod est lacero et facio.* Diom. Lib. I. p. 375. *velut lacesso ex eo, quod est lacero.* Phocae Ars Gr. Putsch. p. 1711. *excepto lacesso, quod venit a lacero.* Alcuini Gr. apud eundem p. 2111. *a lacero lacesso. arceo arcesso.* Putsch. cum Ald. Bas. Colon. edidit *arcio.* Nos auctoritate MSSorum Dresd. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. edidimus *arceo.* Ab hoc enim vocabulo derivari voluerunt Grammatici verbum *arcessere.* Cf. Diom. Lib. I. p. 375. Putsch. *arcersere* (*arcessere* scribendum esse, tam certum est, quam quod certissimum) *autem accusare significat, et ab arceo nascitur: etenim alium accusare a maleficiis arcere est.* Alcuini Gr. p. 2111. s. fin. Putsch. *ab arceo arcesso.*

tiva nominare. Sunt alia in lo desinentia, quae diminutiva esse planae significationis ipse sensus ostendit; quod apud Graecos in verbis inveniri non potest: ut a sorbeo sorbillo, garrio garrulo, calvo cavillo pro calvillo. Cujus primitivum Salustius in tertio Historiarum ponit *calvi ratus.* Sunt et aliae derivationes diver- 77
sas terminationes habentes tam a nominibus quam a verbis nascentium verborum, ut a patre patrisso, a Graeco graecisso et graecor, a grege grego, a philosopho philosophor philosopharis, a poeta poetor poetaris. In eo, ut albo albas albico. Horatius in I. Carminum: *Nec prata canis albicant pruinis.* Similiter vello vellico, fodio fodico. Item nutrio nutrico et nutricor. Cicero in secundo de Natura Deorum: *Omnia, quae sicut membra et partes suas nutricatur et continet.* Nec mirum, Ciceronem nutricatur pro nutricat dixisse, cum Virgilius quoque Georgicorum secundo: *Hoc pinguem et placitam paci nutritor olivam,* dixerit. Impersonalia quoque omnia vel ab activis vel a neutris derivantur, ut supra diximus, ut amo amatur, lego legitur, sto statur. Misereo antiqui miseret: similiter placeo placet. Sic antiquissimorum consuetudine a poeniteo poenitet, a taedeo taedet, pigeo piget, pudeo pudet, liceo licet, oporteo oportet. Coelius in V. *Morbosum factum, ut ea,*

---

accio accerso. Haec ego e MSSis meis et Edd. Ven. Prisciano restitui. Exhibent has voces MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd.

diminutiva esse planae significationis. Vulgo *plane.* Receptam lectionem tuentur MSS. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. MS. Dresd. *plenae.*

§. 77. *Horatius in I. Carm.* IV. vs. 4.

utrem nutrio. Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. *item.* Receptam lectionem tuentur MSS. Luth. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven.

Cicero in II. de Nat. Deorum. Cap. 54.

Virg. in II. Georg. vs. 425. Pro *placitam* plurimi Codicum meorum hoc quidem loco *placidam* exhibent. Tuetur tamen vulgatam lectionem MS. Lips. 2. qui instar multorum est. Ita Edd. etiam Ven. Delevi post haec *dixerit,* cum a Codicibus meis absit.

Coelius in V. Vulgo *Caecilius.* Constans et paene inextricabilis est confusio horum nominum in Codicibus, optimis etiam. Equidem hoc etiam loco auctoritate MSS. Erl. 1. 2. Heidelb. Luth. Lips. 1. et, si recte enotavi, Zwicc. 1. 2. *Coelius* scripsi. Qui ergo apud Putschium *Caecilii* quintus laudatur, nullus

78 *quae oportuerint, facta non sint.* Et sciendum, quod omnia impersonalia tertiae passivorum personae voces habent, exceptis supradictis, et aliis paucis, ut evenit, vacat, contingit, accidit, liquet. Sunt et alia verba, quae ex verbalibus nascuntur nominibus, vel ex participiis, ut a rego rex, a rege regno; a ducor ductus, a quo ducto ductas; a legor lectus, a quo lecturio et lectito, de quibus supra docuimus. Et sciendum, quod frequenter apud Graecos ex nominibus dignitatum solent derivari verba, quae actum vel administrationem ipsius dignitatis significent, ut *οἰκονόμος οἰκονομῶ, πρύτανις πρυτανεύω.* Apud Latinos autem dignitatum nomina pleraque ex verbis vel nominibus nascuntur, quae faciunt verba, ut consul a consulendo, dictator a dictando, quaestor a quaestu, et aedilis ab aedibus, praetor a praeeundo, ductor a ducendo, imperator ab imperando. Ergo rex solum, quod a regendo nascitur, peperit ex se aliud verbum regno. A villico etiam villico vel villicor dicebant antiqui. Cato in oratione quae inscribitur Uti basilica aedificetur: *Antequam is villicare coepit.* Atta in Tirone proficiscente: *Pater villica-*
79 *tur tuus, jam mater villica est.* A metallorum quoque nominibus solent nasci verba, ut ab auro auro auras, ab aere aero aeras, unde aurátus et aeratus. Persius: *Et veri speciem dignoscere calles, ne qua subaerato mendosum tinniat auro.* Et a multis aliis nominibus invenimus verba derivari, ut a cornice cornicor, et a frutice fruticor. Persius: *Nescio quid tecum grave cornicaris*

---

est, sed *Coelii.* Nam ternis istis locis Lib. VI. §. 36. §. 82. VII. §. 21. *Coelii* nomen restitui. Quod Viris doctis probatum iri nullus equidem dubito. Unus meorum Codicum, Luth., omisit *non.* In MS. Lips. 1. supra scripta est haec vox.

§. 78. *Sunt et alia verba.* Adjeci e MSS. *et.*

ipsius dignitatis significent. MS. Zwicc. 2. omisit *ipsius.* Pro vulg. *significant* MSS. Luth. Zwicc. 1. Lips. 1. 2. Erl. subjunctivum exhibent, quem recepi.

quae inscribitur. MSS. Lips. 1. 2. *scribitur.* Mox *Tirone* pro *Tyrone* auctoritate Codd. scripsi. *villica est.* Ita Edd. Ven. MSS. Luth. Dresd. Zwicc. 2. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. Vulgo, *villicata est.* MS. Lips. 2. *villicata,* omisso *est.*

§. 79. *Persius.* Sat. V. vs. 106. Idem *Persius.* V, 12.

Juvenalis in IV. Sat. IX, 15. *philosopharis* adjeci e MSS. Item mox *spumas. ab — undo, inundo.* MSS. Luth. Zwicc. 2. omit-

inepte. Juvenalis in IIII. *Sed fruticante pilo neglecta et squalida crura.* A philosopho quoque philosophor philosopharis, et ab architecto architector architectaris, a patre patro patras et patrisso, a Graeco graecisso, a spuma spumo, ab unda undo, inundo, ab aqua aquor aquaris. Virgilius in IIII. Georgicon: *Sed circum tutae pro moenibus urbis aquantur.* A frumento frumentor frumentaris, a pabulo pabulor pabularis, ab antiquo antiquo antiquas, id est infirmo, ab haerede exhaeredo, a Graeco graecor graecaris, a vespera vesperasco, a luce luceo, a nocte pernocto, a mare vel a marito marito maritas, ab hieme hiemo hiemas, a fortuna fortuno fortunas. Persius: *Mercuriumque accersis fibra da fortunare Penates.* A Baccho bacchor baccharis, a limpha 80
limphor limpharis. Artium vero nomina tam apud Graecos pleraque quam apud Latinos omnia post verba naturaliter sunt accipienda. Doceo post doctor, profiteor post professor, suo post sutor, scribo post scriptor, oro post orator. Et sunt fere omnia professionum nomina apud Latinos verbalia, et in or desinunt. Nam grammaticus, philosophus, architectus, et sophista, et poeta, Graeca sunt. Itaque ex nominibus ipsis habentur verba apud Graecos, unde nos quoque philosophor, architector, poetor. Ennius: *Nunquam poetor nisi podager.* Omnia quoque, quae ex ipso actu agentibus imponuntur, ex verbis nomina, non ex nominibus verba proficiscuntur, ut amo amator, moneo monitor, curro cursor, lego lector. Impero similiter imperator,

---

tunt haec. MSS. Erl. 2. Dresd. retinent *inundo*, priore omisso. Hos secutus sum. *Virg. in IV. Georgicon* vs. 195.

ab haerede. Sic Codd. plerique. Vulgo, *ab haeres.* Item mox *a Graeco* restitui pro vulgato, *a Graecus.* Edd. Ven. *haeres exhaeredo, graecus graecor*, omissis binis *ab.*

Persius. Sat. II. 45. *accersis.* Vulgo, *arcessis.* Receptam lectionem praestant MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven.

§. 80. *apud Latinos.* Ita MSS. Vulgo, *nos.* Post *poëtor* expunxi, quae in libris impressis addunntur, *in usu habemus.* Haec spuria habeo. In nonnullis Codd. post *nos quoque* adjecta reperis; in aliis *habuimus* legitur; unus substituit *et eis nos utimur.*

proficiscuntur. Ita MSS. Luth. Zwicc. 2. quos secutus vulgatum *nascuntur* expuli. MSS. Erl. 2. Dresd. *perficiuntur.*

consulo consultor, duco ductor. Ex his quaedam dignitatum quoque inveniuntur, ut imperator, ductor. Ab adverbiis etiam et praepositionibus inveniuntur derivata verba, ut perendie perendino; cras, ex quo crastinus, et procrastino procrastinas; intro vel intra, hinc intro intras; supra vel super, supero superas.

XV Figura quoque accidit verbo, quomodo nomini. Alia
81 enim verborum sunt simplicia, ut cupio, taceo; alia composita, ut concupio, conticeo; alia decomposita, id est a compositis derivata, ut concupisco, conticesco. Cicero in Oratore: *Divino aliquo animi motu majora concupiscat.* Inveniuntur tamen quaedam verba, etiam ex tribus partibus composita, ut perterrefacio. Sunt alia, quae in compositione mutant conjugationes, ut do das, reddo reddis, prodo prodis; facio facis, amplifico amplificas; pello pellis, compello compellis et compellas, appello appellis et appellas. Sed in his, id est a pello compositis significatio cum conjugatione variatur. Et fortassis, quomodo mando mandis et mandas, dico dicis et dicas, sic etiam pello pellis et pellas dictum est, sed nunc in usu simplex non est, quomodo nec fendo, nec spicio, nec perio, nec fragor, ex quibus composita sunt multa, ut offendo, defendo, aspicio, respicio, suspicio, despicio, aperio, reperio, comperio, coope-
82 rio, suffragor, refragor. Inveniuntur quaedam, quae saepe non solum conjugationem, sed etiam genus vel

---

MSS. Zwicc. 1. Lips. 2. Erl. 1. *proficiunt.* Edd. Ven. 1. 2. *perficiuntur.*

derivata verba. Vulgo, *derivativa verba.*

supra vel super. Ita Codd. optimi. Vulgo, *super vel supra.*

§. 81. *Cicero in Oratore.* Cap. 13. §. 41. MSS. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. Erl. 1. 2. Dresd. *concupiscam.* Vulgatam lectionem propugnant veterrimi Codices Luth. Lips. 2. Edd. Ven. *concupiscit.*

Sunt alia. Expuli post *sunt*, quod libri impressi addunt, *item*, cum absit a MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2.

pellis et compello. Adjeci e MSS. Luth. Zwicc. 2. *et. mandis et mandas.* Expuli *mando* ante *mandas.*

§. 82. *in quo etiam conjugatio.* Inserui *etiam* Codicum jussu.

facio neutrum. Vulgo *neutra.* Receptam lectionem exhibent MSS. Lips. 2. Zwicc. 1. aliique. *circumeo.* Ita MSS. Luth.

significationem verbi permutant in compositione, ut sperno spernis activum, aspernor aspernaris deponens; sentio neutrum, assentior deponens; in quo etiam conjugatio mansit: dicitur tamen et assentio. Sedeo sedes neutrum, insidior insidiaris deponens. Obsideo vero et assideo activa sunt, faciunt enim obsideor et assideor. Unde Salustius in IIII. Historiarum: *Amissumque assideri sine praeliis audiebat.* Eo et facio neutrum, adeo, transeo, ineo, praetereo, subeo, circumeo, perficio, reficio, afficio, conficio activa, faciunt enim adeor, transeor, praetereor, ineor, subeor. Juvenalis in V. *Quod si subeuntur prospera castra.* Cicero pro Cornelio: *Circumitis rostris ejicerentur lapidibus homines.* Conficior, perficior, afficior. Necnon ex neutris quaedam in compositione fiunt deponentia. Facio neutrum, versificor versificaris, gratificor gratificaris deponentia. Cicero pro Cornelio in primo: *Num alicui gratificabatur aut homini aut ordini?* In quibus etiam conjugatio est mutata, sicut in amplifico amplificas, aedifico aedificas, laetifico laetificas. Lucanus in III. *Non illum gloria pulsi laetificat Magni.* Sentio assentio et assen- 85
tior et assentor assentaris; aspicio aspicis, conspicor conspicaris, suspicor suspicaris; sterno sternis activum, consternor consternaris deponens. Salustius in primo Historiarum: *Equi sine rectoribus exterriti aut saucii consternantur.* Medeor mederis, ex quo remedior remediaris, teste Capro. A fero quoque activo et anomalo vociferor vociferaris, quod est primae conjugationis

---

Lips. 1. 2. Erl. 2. Vulgo *circueo.* Post *activa* delevi *sunt*, suffragantibus MSS. Lips. 1. 2.

In Juvenalis loco *subeuntur* Codicum auctoritate edidi pro *subeantur.*

Cic. pro Corn. Circumitis scripsi pro *circuitis* auctoritate MSS. Luth. Lips. 1. Erl. 2. *ejicerentur.* MS. Lips. 2. *evinceretur.* Post *perficior* addit Cod. Luth. *reficior.*

Cicero pro Corn. in primo. Pro *num* MS. Lips. 2. *non.* MSS. Luth. Zwicc. 2. *nam.* Pro *gratificabatur* MS. Lips. 2. *gratificatur.* Erl. 1. *gratificabantur.* Retinui vulgatam comparium Codicum, Editionum etiam Venetarum auctoritate satis, ut videtur, tutam.

Lucanus in III. vs. 48.

§. 87. *aut saucii. Atque* pro *aut* MS. Zwicc. 2. *ut.* MS. Lips. 2. Edd. Ven. omissa voce *exterriti* ponunt *et.* MS. Zwicc. 2. *sauciati.* Post *mederis* recepi e MS. Luth. *ex quo.*

deponens. Plecto activum, amplector deponens. Fio passivam significationem habet, quamvis sit neutrum, suffio ex eo compositum activam. Unde Virgilius: *At suffire thymo cerasque recidere inanis quis dubitet?* In verbis compositis est quando Graeci extrinsecus faciunt declinationem ad similitudinem simplicium, ut est *ἐνέπω, ἤνεπον, κάμνω, ἔκαμνον, κάθημαι, ἐκαθήμην, ἐνοχλῶ, ἠνώχλουν.* Est tamen quando et intrinsecus declinant, ut *καταγρύφω, κατέγραφον, περιγράφω, περιέγραφον, ἀναγινώσκω, ἀνεγίνωσκον.* Apud Romanos vero semper intrinsecus fit declinatio, id est in ipsa junctura sequentis verbi, vel post eam, conficio confeci, abigo abegi, incipio incepi, subeo subii, confringo confregi, ma-
84 ledico maledixi, exigo exegi. Et illud quoque sciendum, quod principalem literam, quamcunque habuerit positio verbi, in suo loco servamus per omnem declinationem, ut amo amavi, erro erravi, ineo inii, oro oravi, uro ussi, haereo haesi, haurio hausi, bibo bibi, cedo cessi, domo domui, flo flavi, gigno genui, laedo laesi, mico micui, narro narravi, paro paravi, rapio rapui, seco secui, terreo terrui, veto vetui. Excipiuntur ago egi, et eo ivi vel ii, quae principalem suae positionis literam mutaverunt. Quaeritur in compositis verbis, cur, cum saepe in praesenti corrupta sit aliqua pars compositionis, in praeterito integra invenitur? ut perficio perfeci, efficio effeci, injicio injeci, pergo perrexi, exigo exegi, confringo confregi, cum in nominibus tota declinatio per omnes casus nominativi figuras solet apud nos servare, ex quibuscunque modis sint compositae, ut indoctus per omnes casus ex duo-

---

Unde Virg. Georg. IV. vs. 241. *inanis* e MS. Lips. 2. restitui pro *inanes.* Plures Codd. *dubitat.* Vulgatam tuetur MS. Lips. 2.

ἐνέπω, ἤνεπον. Praeeunte Putschio secund. MSS. Lips. 1. Erl. 1. Luth. Zwicc. sic scripsi pro *ἐννέπω, ἤννεπον.*

§. 84. *ineo inii.* Pro *inivi* exhibent MSS. *inii,* quam lectionem recepi. *ivi vel ii.* Vulgo, *ii vel ivi.*

§. 85. *ex duobus est integris.* Pro *sit* auctoritate MS. Luth. *est* posui, et post *duobus* quidem, caeteris Codd. suffragantibus. Mox *fit* scripsi pro *sit,* auct. Dresd.

vel in i convertere. Omisi post vocalem i, *correptam,* quod ab omnibus meis manuscriptis libris abest. Post *tempora* expuli haec: *eam, id est a brevem in verbis vertit vel in i vel in e.* Haec e glossemate in textum illata esse docet ratio ipsa horum verborum, docent MSS. Luth. Zwicc. 2. Erl. 1. 2. Lips.

bus integris est, efficax per omnes casus ex duobus corruptis. Similiter in omnibus compositis nominibus hoc 85
invenitur. Excipitur alteruter alterutrius, quod cum in nominativo ex duobus est integris, in genitivo non est: nam alterius utrius esset, qui tamen genitivus vetustissimis fuit in usu, sicut de nominativo tractantes ostendimus. Tantundem tantidem praeterea, quod cum in nominativo sit ex duobus corruptis, in genitivo ex integro est et corrupto, sicut et quicquam cujusquam, et idem ejusdem. Euphoniae tamen causa hoc fieri manifestum est, quomodo et quendam et quandam, in quibus m, quae terminalis est accusativi casus utriusque generis, in n est conversa. Apparet ergo ex hoc, quod compositio hujuscemodi verborum, quae non eosdem modos compositionum per omnia servant tempora, per singula separatim fit. Nam cum solet plerumque compositio a correptam vel in e vel in i convertere per quaecumque tempora, ut habeo inhibeo, habebam inhibebam, habui inhibui, habueram inhibueram, habebo inhibebo; ago exigo, agebam exigebam, agam exigam; facio inficio, faciebam inficiebam, faciam inficiam; jacio injicio, jaciebam injiciebam, jaciam injiciam; frango infringo, frangebam infringebam, frangam infringam; tango contingo, tangebam contingebam, tangam contingam; arceo coerceo; spargo respergo; parco deperco. Ideo autem dixi plerumque, quia est ubi servatur a integra, ut paro, reparo, comparo; maneo, remaneo; caneo, incaneo. Virgilius in II. Georgicon: *Malos gessere valentes custaneæ, fagus*

---

1. 2. 3. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. in omittendis his consentientes. MS. Zwicc. 1. in margine haec notat: *id est a brevem servare inventur in verbis quando vertit vel in i vel in e.* Vides glossema. Anacoluthon glossatori molestum fuit. Pro apodosi haberi possunt ea, quae inde a verbis *Frequentius tamen* rel. sequuntur. Non raro autem apud Nostrum anacoluthia reperiri, neminem, qui legerit, fugit.

Ideo autem. Nonnulli MSSorum *enim* pro *autem.* Mox *caneo incaneo.* Omittunt MSS. Zwicc. 2. Lips. 1. *incanui unde,* quod libri editi et nonnulli scripti addunt. MS. Lips. 2. omittit *unde,* retinet *incanui.*

Virg. in II. Georg. vs. 71. *fagus.* Vulgo, *fagos.* Receptam lectionem tuentur MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Cf. de lectionis varietate Heynium ad h. l.

ulmusque incanuit albo flore piri. Mano permano; narro enarro, et aro exaro. Frequentius tamen ea servant a, quae primae vel secundae conjugationis sunt, ut cano recino, ejus frequentativum cum sit primae, servat a, canto decanto. Lucanus in quinto, *Decantatque tribus et vana versat in urna.* Labor delabor: vado invado, candeo excandeo, palleo expalleo, ardeo exardeo,
86 areo exareo. Pauca tamen inveniuntur in supradictis conjugationibus a mutantia, ut damno condemno, arceo coerceo, amico inimico, habeo inhibeo, sacro consecro. In tertiae vero et quartae conjugationis verbis multa invenis a mutantia, ut tango contingo. frango confringo, ago exigo, jacio injicio, facio inficio, gradior ingredior, scando conscendo, fateor confiteor, paciscor depeciscor, fatiscor defetiscor, salio insilio, patior perpetior, pario reperio; veteres enim et pario quartae conjugationis declinabant: partior impertio et impertior, cado incido, fallo refello. Inveniuntur tamen in his quoque conjugationibus quaedam, quae servant a in compositione, ut nascor renascor, pasco depasco, labor perlabor, arguo coarguo, lacero dilacero, largior dilargior. In praeterito vero perfecto et plusquamperfecto cum simplex verbum e longam habet, non potest compositio eam mutare, ut egi exegi, egeram exegeram, feci infeci, feceram infeceram, jeci injeci, jeceram injeceram, quae sine dubio a simplicibus suis componuntur: nam non possumus dicere, quod i brevis, quae est in praesenti tempore, convertitur in e longam in praeterito perfecto. Hoc enim in nullo invenimus fieri ver-
87 bo. Id autem, id est quod per singula tempora fit compositio, participiorum quoque diversae figurationes saepe tam praesentis quam praeteriti temporis ostendunt, ut effringens effractus, cogens coactus, subigo subactus, exigens exactus. Haec enim omnia cum praesenti extremam partem, id est dictionem corruptam habent,

---

ulmus. Ita iidem Codd. Vulgo, *ornus.* MS. Lips. 2. *malo* pro *malos.*

Lucanus in V. vs. 394.

§. 86. *damno condemno.* Interponitur vulgo secunda persona *damnas*, quam auctoritate MSS. Luth. Zwicc. 2. aliorumque omisi. Item expunxi post *arceo arces*, *coerces* post *coerceo*, *amicas* post *amico*, *inimicas* post *inimico.*

invenis. Ita MSS. Vulgo, *invenimus.* Post *arguo* inserui *coar-*

in praeterito integram habent. Cur? nisi quod separatas habent compositiones per singula tempora. Non est enim dubium, quod interrogati, unde componitur effractus, ab ex praepositione et fractus participio respondebimus, et subactus a sub et actus, et exactus ab ex et actus, et de omnibus similibus. Anomala quoque verborum id possunt ostendere, quae sine dubio per singula tempora, sive etiam personas componuntur, ut prosum prodes prodest, prosumus prodestis prosunt, proderam profui. Per totam enim declinationem, ubicumque a vocali incipit hoc verbum, interponitur juncturae compositionis d. Similiter aufero abstuli, in praesenti pro ab au, in praeterito abs habuit. Idque ita esse confirmat Apollonius, summus auctor artis grammaticae, docens in primo de verbo, immobilem figurationis juncturam manere, et separatim confirmans componi, τὸ καταγράφω καὶ κατέγραφον, ἐπιγράφω καὶ ἐπέγραφον, et his similia, quaecumque intus habent declinationem, hoc est post praepositionem, quod apud nos semper fit in omnibus compositis verbis. Sciendum tamen, quod in nominibus quoque apud nos juncturа compositionis solet moveri, tunc quando ex duobus nominativis componuntur, vel ex nominativo et obliquo, vel indeclinabili aliqua dictione. Possumus tamen, quod illi de verbis intrinsecus habentibus declinationem dicunt, nos quoque de nominibus hujuscemodi dicere, quod per singulos casus fit compositio eorum, ut respublica reipublicae. Respublica quidem ex duobus nominativis, reipublicae vero ex duobus genitivis, vel dativis. Similiter jusjurandum jurisjurandi, virillustris viriillustris, magisterequitum magistriequitum, tribunusplebis tribuniplebis, quisque cujusque, quae composita esse ostendit accentus. Quod autem non est nominativorum proprium, sed etiam obliquo-

XVI 88

---

guo e MSS. Luth. Dresd. Lips. 1. 5. Erl. 1. 2. Zwicc. *laccro dilaccro.* MS. Lips. 2. Ed. Ven. *lacesso dilacesso.*

mutare. Ita MSS. Luth. Zwicc. 2. Vulgo, *commutare.*

convertitur. Indicativum pro subjunctivo *convertatur* recepi e MSS. Lips. 2. 5.

§. 87. *in primo de verbo.* Omisi *libro* auctoritate MSS. Lips. 1. 2. 5. Erl. 1. Dresd.

rum casuum, per se componi, ostendunt nomina vel pronomina, quae per obliquos componi inveniuntur solos, ut istiusmodi, hujusmodi, cujusmodi. Illud autem sciendum, quod etiam in nominibus et in pronominibus compositis apud Latinos extrema pars potest immobilis manere, quod apud Graecos non reperitur, ut tribunusplebis, praefectusurbis, cujusmodi. Idem verbum autem vel participium nec apud illos compositum, nec apud nos extremam partem servat immobilem, ideoque semper in compositione extremam partem sibi defendit ipsum verbum et participium, quippe
89 quod ex eo nascitur. Componuntur autem verba vel cum nominibus, ut amplum amplifico, ex quo participium amplificans, signum significo significans; vel cum altero verbo, calefacio calefaciens; vel cum adverbio, maledico maledicens, satisfacio satisfaciens; vel cum praepositione, indico indicens, perduco perducens, abstraho abstrahens, subrideo subridens. Ideo autem praepositiones compositae quidem cum verbo inveniuntur, nunquam autem separatae per appositionem, quia verba per omnes personas in omni tempore nominativi casus vim habent, cui soli possunt conjungi, ut facio ego, facis tu, facit ille; similiter per omnia tempora. Ergo cum casus nominativus nunquam per appositionem assumit praepositiones, sed in sola compositione, ut impius, perfidus, verba quoque in compositione duntaxat has possunt adsciscere. Nec imperativa tamen verba secundae personae, quae vocativum adsciscunt, ut scribe Virgili, lege Terenti, possunt in appositione habere praepositionem, quia nec vocativus
90 hoc habet. Participia vero quas quidem praepositiones habent per nominativum, vel a verbis habent, ex quibus derivantur per compositionem, ut exigo exigens, vel ad

---

§. 88. *nec apud illos compositum.* Ita edidi auctoritate MS. Erl. 2. Vulgo, *nec apud Graecos ullos compositum*, quae lectio prorsus damnanda esse mihi videtur. Codices variant. Vulgatam defendit MS. Lips. 2. Pro *ullos* MSS. Luth. Lips. 1. *ullum*. MS. Dresd. e corr. *ulles*. Edd. Ven. *nec apud Graecos extremam partem* rel.

§. 89. *indico indicens.* Ita MSS. pro *induco inducens*. *assumit* secundum MSS. Luth. Zwicc. Dresd. Erl. Lips. scripsi pro *assumat*.

vocativus hoc habet. Omisi Codicum meorum suasu *casus*.

imitationem verborum per se composita sunt, ut exegi exactus. Possunt tamen etiam per appositionem assumere praepositiones ad imitationem nominum, quia casus quoque obliquos habent, sicut nomina, sed non possunt participia componi, nisi per nominativum casum, quippe cum sint cognata verbis, quae vim nominativi possident, ut supra diximus. Ergo doctificus, id est doctum faciens, in vim nominum transtulit participia, sicut jusjurandum jurisjurandi, jurisconsultus, jurisperitus; senatusdecretum, senatusconsultum, plebiscitum, praefectusurbis, praefectusfabrum. Et sciendum, quod participia sine verbis esse non possunt. Siqua igitur videantur sine verbis formam habere participiorum, nomina sunt dicenda, et carent temporali significatione, ut paenulatus, togatus, scutatus, galeatus, hastatus, palliatus, caligatus, et his similia. Sunt 91
tamen quaedam hujuscemodi, quae et nomina et participia esse possunt. Nomina quidem cum ipsum habitum significant, non passionem nec tempus, ut armatus ab armis habendis ὁπλίτης nomen est. Cum vero a verbo armor passivo nascitur, et praeteritum tempus significat armatus ὁπλισθείς, sine dubio participium est. Ex omni autem fere habitu hujuscemodi nomina inveniuntur apud Latinos, ut a capillo intonso capillatus, a coma comatus, a cirro cirratus, ab auribus auritus, a naso nasutus, a tunica tunicatus, a lacerna lacernatus, a purpura purpuratus, a braccis braccatus, a pallio palliatus, a praetexta praetextatus, a trabea trabeatus, a taberna tabernatus, a manicis manicatus, a paludamento paludatus, a stola stolatus, a lorica loricatus, a pictura picturatus, a scuto scutatus, a tabula tabulatus, a pilo pilatus, a gladio gladiatus, ex quo gladiator, a stella stellatus, a pelle pellitus, a dentibus den-

---

§. 90. *supra diximus.* Ita MSS. Luth. Zwicc. 2. aliique. Vulgo, *dictum est.*

§. 91. *a braccis braccatus.* Haec est lectio MS. Zwicc. 2. quam reliquis praetuli. Vulgo, *a brachis brachatus.* Hanc lectionem exhibent plures MSS. Alii, ut Erl. 1. Lips. 1. Erl. 2. *a brachiis brachiatus.*

taberna tabernatus. Omittunt haec plures Codd. Tuentur MSS. Dresd. Lips. 2. Edd. Ven. MS etiam Erl. 2. ante correctionem exhibuisse videtur. *a dentibus dentatus.* MSS. Lips. 5. Erl. 2. *a dente*, quod probo.

tatus, a barba barbatus, a pluma plumatus, a balano balanatus, a gemma gemmatus, a rostro rostratus, a
92 ferro ferratus. Ex aliis quoque nominibus inveniuntur, sed non adeo multa, ut a Cerere cerritus, a limpha limphatus et limphaticus. Nec incongruum vel absonum mihi videtur, posse verba quoque ex his ipsis ad similitudinem eorum, quibus usa est auctoritas, proferre. Quid enim impedit, nos quoque aliquid copiae ad opulentiam Latinae conferre eloquentiae, et ad imitationem, armo et armor armatus, dicere, tunico et tunicor tunicatus, et ut roboro roboror roboratus, et ut aero et aeror aeratus, ferro ferror ferratus, plumbo plumbor plumbatus, et ut vestio vestior vestitus, togo et togor togatus? Si enim auctoribus timiditas obstitisset, ut nullis novis uterentur dictionibus, ipsa natura et significatione rerum exigente, perpetuis Latinitas angustiis damnata mansisset.

XVII Conjugatio est consequens verborum declinatio, cu-
93 jus regula apud Graecos quidem tam consonantibus quam vocalibus comprehenditur. Consonantibus quidem in his verbis, quae *βαρύτονα* appellant, hoc est ante finem habentia accentum. Vocalibus vero in circumflexis, apud nos vero in solis vocalibus secundae personae ad imitationem circumflexorum. Sunt igitur conjugationes quatuor apud Latinos, cum apud Graecos decem sint. Conjugatio autem nominatur, vel propter conjugatas consonantes, hoc est cognatas, ex quibus pleraeque apud Graecos conjugationes regulam sumunt:

---

§. 92. *cerritus* secundum MSS. Luth. Lips. 1. aliosque scripsi pro *ceritus*.

§. 93. *pleraeque apud Graecos conjugationes.* Unus meorum Codd. *plerique — conjugationis.*

plurima conjugantur. Codd. Luth. Dresd. Erl. 1. Lips. 2. 3. Zwicc. Edd. Ven. *conjunguntur.* Retinui tamen auctoritate MS. Erl. 2. vulgatam lectionem, quae ad etymologiam vocis *conjugatio* demonstrandam aptior est. MS. Lips. 1. *conjungantur.*

quod magis — aptius est. Auctoritate MSS. Luth. Dresd. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. inserui *magis*, quod, sequente comparativo, habet profecto, quo offendaris. Usui tamen Prisciani apprime convenit haec lectio.

§. 94. *in aris faciunt.* Addunt libri vulgati *producta penultima.* Absunt haec a plerisque libris manuscriptis, editioni-

vel quod una eademque ratione declinationis plurima conjugantur verba, quod ad Latinorum nominationem aptius est. Per ordinem igitur vocalium locum singulae obtinent apud nos. Cum enim verba omnia, quae aequali regula declinantur in o vel in or desinant, in o quidem terminantia, si primae sint conjugationis, in as efferunt secundam personam, ut oro oras, sto stas; sin secundae, in es, ut moneo mones, haereo haeres; sin tertiae, in is correptam, ut cupio cupis, curro curris; sin quartae, in is productam, ut munio munis, esurio esuris. In or vero verba primae conjugationis in aris faciunt secundam personam, ut amor amaris, criminor criminaris, luctor luctaris; secundae in eris productа penultima, ut doceor doceris, reor reris; tertiae in eris penultima correpta, ut legor legeris, sequor sequeris; quartae in iris, ut munior muniris, molior moliris, audior audiris. Inveniuntur tamen quaedam verba, quae ex eadem positione verbi primae personae ad diversas proficiscuntur conjugationes, variae causa significationis, ut fundo, quod ad fusionem attinet, fundis, et fundo, quod ad fundamentum, fundas; mando ad mandatum mandas, ad dentes mandis; dico ad dicationem dicas, penultima tamen correpta, dico vero, ad dictionem, penultima producta, dicis; volo ad volatum volas, ad voluntatem vis; lego quoque, penultima producta, legas, correpta, legis; compello et appello ad pulsionem compellis et appellis, ad compellationem vero et appellationem compellas et appellas; sero seras

---

bus etiam Venetis. Ergo omisi. Item mox post *iris* omisi eandem ob rationem *penultima producta*.

fundis et fundo. Adjeci e MSS. *fundo*. Pro *attinet* MS. Zwicc. 2. *pertinet*. Mox *quod* omittit MS. Luth.

ad dentes. Addunt duo meorum Codd. *mando*. Post *dico* MS. Lips. 2. addit *autem*. Pro vulgato *dedicationem* plurimi Codd. *dicationem*. Ergo hoc recepi, cum illud e correctione natum esse videatur. Vocem *dicis* post *dictionem* posui auctoritate MSS. Luth. Zwicc. 2. Vulgo post *producta* legitur. MS. Luth. pro *producta* exhibet *producitur*.

ad volatum. Duo meorum Codd. *ad volandum*. Ante *vis* repetit Lips. 3. *volo*. Pro *pulsionem* MS Luth. *pulsationem*. Alius *compulsionem*. MS. Luth. omittit et *appellationem*. MS. Lips. 1. *appellas*.

95 seravi, sero seris sevi vel serui. Sunt alia, quae, quamvis eandem significationem servent, diversae tamen sunt conjugationis in usu, ut denso densas, et denseo denses, strideo strides, et strido stridis, ferveo ferves, et fervo fervis, cieo cies, et cio cis, dureo dures, unde duresco, duro duras. Lucanus in VI. *Auribus incertum feralis strideat umbra.* Virgilius in VIII. *Striduntque cavernis stricturae chalybum et fornacibus ignis anhelat.* Idem in eodem: *Fervere Leucaten auroque effulgere fluctus.* Idem in I. Aeneidos: *Fervet opus redolentque thymo fragrantia mella.* Idem in X. *Postremi addensent acies.* Idem in I. Georgicon: *Et Jupiter humidus Austris denset, erant quae rara modo, et quae densa relaxat.* Lucanus in IX. *Densatur globus, quantum pede prima relato astrinxit gyros acies.* Tueor tueris, et tuor tueris. Statius in I. Achilleidos: *Namque modo infensos utero mihi contuor ensis.* Lucretius in VI. *Dilutaque contra cum tuimur misceri absinthia tangit amara.* Oleo oles, et olo olis. Afranius in Fratribus: *Non potest qui in illa est acta, longeque et cunctis olat.* Plautus in Mostellaria: *Non omnes possunt olere unguenta exotica.* Nam nisi corripias penultimam, iambus stare non potest. Te-
96 rentius in Adelphis: *Olet unguenta de meo.* Excello excellis, et excelleo excelles. Lucretius in primo: *Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.* Cicero in I. Epistolarum ad filium: *Quare effice et elabora, ut excelleas.* Fulgeo fulges, et fulgo fulgis. Lucanus in X. *Fulget gemma toris, et iaspide fulva supellex.* Virgilius in VIII.

---

sevi vel serui. *Vel* exhibet MS. Zwicc. 2. Vulgo, *et.*

§. 95. Pro *servent* MS. Luth. *habeant.* Idem mox omittit *tamen.*

Lucanus. IV, 780. *Virg. in VIII.* vs. 420. *Idem in eodem.* vs. 677. *Leucaten* restitui e MSS. pro *Leucatem.*

Idem in I. Aen. vs. 436. *fragrantia* scripsi pro *flagrantia* secundum MSS. Zwicc. 2. Luth. Edd. Ven. 1. 2.

Idem in X. vs. 432. *Idem in I. Georgicon.* vs. 419.

Statius in I. Achilleidos. 131. Pro *infensos* unus meorum Codd. *infestos.* Pro *enses* restitui *ensis* e MSS. *Lucretius in VI.* vs. 930. 31. coll. IV. 224. 25. *amara.* Hanc lectionem minus esse commodam scio; at Codicum omnium consensui resistere nec potui nec debui. Vulgo, *amaror.* Edd. Ven. *amaro.* Ita et MS. Dresd. Heidelb. *contuimur.*

Auroque effulgere fluctus. Sono sonas, et sono sonis. Ennius in XI. Annalium: *Tunc clipei resonunt, et ferri stridit acumen.* Lucretius: *Caligare oculos, sonere auris.* Uno unas, unio unis. De singularum quoque conjugationum regulis latius mox tractabimus. Sciendum tamen, quod videmur in praeterito perfecto plerumque barytona quoque Graecorum imitari in commutatione consonantium teste Didymo, qui ostendens omnia, quae habent in arte Graeci, habere etiam Latinos, exemplis hoc approbat. Nam cum primam conjugationem dicunt *βαρυτόνων*, quae tres cognatas habet consonantes, id est *β π φ*, pro qua nos ph scribimus in plerisque, et in omnibus hujus conjugationis verbis per *ψ* declinant *ἀόριστον*, hoc est praeteritum infinitum spatio temporis, utrum paulo ante an multo sit perfectum, ut *κρίβω*, unde *κρύπτω ἔκρυψα*, *λείπω ἔλειψα*, *ἀλείφω ἤλειψα*, nos quoque in praeterito perfecto, quod pro *παρακειμένου*, id est paulo ante perfecto, et pro *ἀορίστου* teste Probo habemus, (Nam amavi *πεφίληκα* et *ἐφίλησα* significat, similiter feci *πεποίηκα* et *ἐποίησα*, vidi *ἑώρακα καὶ εἶδον*, et sic omnia caetera) cum in praesenti in bo vel po desinat verbum, plerumque in psi facimus praeteritum perfectum in tertia conjugatione, ut scribo scripsi, nubo nupsi, scalpo scalpsi, repo repsi. Nam pro *ψ* Graeca duplici in principio syllabarum posita Romani ps solent scribere. In secunda autem conjugatione *βαρυτόνων* Graeci, quae *γ* vel *κ* vel *χ* habet, per *ξ* efferunt praeteritum infinitum, ut *λέγω λέξω ἔλεξα*, 97

Afranius. Pro *est* Zwicc. 2. *et.* Pro *acta* MS. Lips. 1. *aera.* Idem *olae* pro *olat*; alii *olet.* MSS. Erl. 1. 2. *olit.*

Plautus in Mostellaria. Act. I. Sc. 1. vs. 41. *Terentius in Adelphis.* Act. I. Sc. 2. vs. 57. *olet.* duo Codd. *olent.* Pro *de* MS. Zwicc. 2. *ex.*

§. 96. *Lucret. in I.* vs. 28. *Lucanus in X.* vs. 122.

Ennius in XI. Ann. Tunc scripsi pro *tum* secundum MSS. Zwicc. 2. Lips. 2. *resonunt* pro *resonant* edidi auctoritate MSS. Lips. 1. Erl. 2. Dresd. Luth. *stridit.* Edd. Bas. Putsch. *strident.* Illud Codices mei et Edd. Colon. Ven. 1. 2.

Lucretius. III. vs. 157.

§. 97. *unde πρύπτω.* Haec omittunt duo meorum Codd. quod probo. Post *caetera* omisi *nos quoque*, auctoritate Codd. Zwicc. 2. Lips. 2.

γ vel κ vel χ. Inserui e MSS. *vel.*

πλέκω πλέξω ἔπλεξα, ἄρχω ἄρξω ἦρξα. Nos quoque in go vel in co desinentibus idem frequenter facimus in praeteritis perfectis, id est per x declinamus hoc tempus,
98 ut rego rexi, pingo pinxi, duco duxi, dico dixi. Nam in pho cho tho nullum terminat Latinum verbum. Itaque triumpho Graecum est ἀπὸ τοῦ θριαμβεύω; sed translatio fuit aspirationis a prima ad postremam syllabam, quomodo κύθρα pro χύτρα, ἐνθαῦτα pro ἐνταῦθα, quod est ionicum, ad cujus imitationem Latini pro θρίαμβος triumphus per transmutationem aspirationis protulerunt. Ideo tamen b in p conversa est, quia b aspirari non potest. Tertiam quoque illorum imitamur conjugationem, quam per δ θ τ efferunt, ut ἄδω ἦσα, πείθω ἔπεισα, ἀνύτω ἤνυσα, nos ardeo arsi, laedo laesi, ludo lusi, concutio concussi. Ad quartae quoque imitationem, quae per ξ vel duplicatam ss profertur, et praeteritum per s facit, ut ὁρίζω ὥρισα, λεύσσω ἔλευσα, nos quoque pitisso pitissavi, patrisso patrissavi, musso mussavi. Quinta per liquidas apud illos profertur, easque servat in omni praeterito, ut τίλλω ἔτιλα, νέμω ἔνειμα,
99 τείνω ἔτεινα, σπείρω ἔσπειρα. Nos quoque in plerisque servamus liquidas, non tamen in omnibus, ut celo celavi, doleo dolui, domo domui, timeo timui, emo emi, tono tonui, teneo tenui, cano cecini, aro aravi, terreo terrui. Ideo autem diximus in plerisque, quia inveniuntur et m et n et r in praesenti, quae in praeterito perfecto vel abjiciuntur vel mutantur, ut rumpo rupi, premo pressi, sterno stravi, temno tempsi, tero trivi, uro ussi. Sextam conjugationem dicunt, quae per ω puram effertur, ut ἱππεύω, πλέω, βασιλεύω. Qualia sunt apud nos omnia secundae et quartae conjugationis verba, quippe in eo vel in io desinentia. Inveniuntur tamen etiam primae et tertiae conjugationis, non solum e vel i antecedentibus, sed et aliis vocalibus, ut inchoo inchoas, mutuo mutuas, meo meas, hio hias. Tertia tamen a vel e ante aspirationem invenitur habere

---

§. 99. Post *doleo dolui* addit MS. Luth. *volo volui.*

§. 100. *derivantur.* Indicativum pro subjunctivo *deriventur* restituere me jusserunt MSS.Luth. Lips. 2. Erl. 1. 2. Post *indifferenter* omittunt *tamen* MSS. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 2. Nec tamen expunxi, cum fieri facile potuerit, ut propter sequens *tam* omitteretur.

penultimas, ut traho traxi, veho vexi. I vero vel u puras sine aspiratione, ut facio facis, ruo ruis. Sed de omnibus formis praeteriti perfecti quatuor conjugationum, et generalibus regulis ad omnem verbi declinationem pertinentibus, latius in sequenti libro disseremus. Nunc de personis tractemus. Quas ideo cum numero in extrema parte accidentium posuimus, quod non omni verbo, quomodo supradicta accidentia, adhaerent, sibi autem semper sociantur in verbo, et in omnibus quae declinari possunt partibus. Nam in adverbio possunt, et numeri sine personis, et personae sine numeris inveniri. Numeri, ut quinquies, decies: personae, ut meatim, tuatim. Quamvis enim a singulari pronomine derivantur, indifferenter tamen tam singulari quam plurali numero verborum conjunguntur, ut meatim dicis, meatim dicitis. Sed in adverbio species quaedam invenitur, haec habens divisa. In verbo vero et nomine et pronomine et participio omnes voces vel singulares habent numeros, vel plurales, et personas simul cum numero vel finitas vel infinitas. Nomen tamen et participium in omni casu tertiae sunt personae, absque vocativo, qui solus ad secundam profertur personam. XVIII 100

Sunt igitur personae verborum tres. Prima est, 101
quae de se loquitur, vel sola, vel cum aliis, ut dico dicimus. Secunda, ad quam loquitur, de ipsa, vel sola, vel cum aliis, ut dicis dicitis. Tertia, de qua extra se et illam ad quam dirigit sermonem posita loquitur prima, ut dicit dicunt. Et prima quidem et secunda verborum persona finitae sunt; praesentes enim demonstrantur; tertia vero infinita est: itaque eget plerumque pronomine, ut definiatur. Et prima quidem et secunda persona verborum pronominibus jungi possunt solis, tertia vero etiam nominibus, quae per se tertiae sunt personae, absque vocativo casu, quod ante diximus, ut lego ego, legis tu, legit ille, vel legit Cicero. Nam si dicam lego Cicero, soloecismus est, nisi addidero pro-

---

§ 101. *ad quam loquitur de ipsa.* Auctoritate MSS Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. omisi *se* ante *ipsa.*

Et prima quidem et secunda persona verborum pronominibus. Persona restitui pro *personae* e MSS. Luth. Zwicc. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2 Edd Ven. Quas auctoritates secutus in antecedentibus etiam ante *finitae* scripsi *persona.*

nomon, dicens lego ego Cicero, vel legis tu Cicero, exceptis illis verbis, quae sunt substantiae vel vocandi, ut Priscianus sum, Priscianus vocor, Priscianus nominor, Priscianus nuncupor. Et prima quidem potest sibi et secundam et tertiam conjungere, ut ego et tu facimus, ego et ille facimus; secunda vero non potest conjungere sibi nisi tertiam, ut tu et ille facitis; tertia vero nec primam nec secundam, sed alteram tertiam, ut iste et ille faciunt. Et prima quidem potest etiam secunda et tertia absentibus per se loqui, ut saepissime apud comicos videmus induci personas, quae ipsae ad se loquantur. Ut Simo in Andria: *Non dubium est, quin uxorem nolit filius.* Secunda vero vel tertia sine prima non potest esse. Potest tamen prima et secunda sine tertia, et prima et tertia sine secunda inveniri. Est enim ubi ipsa prima persona ad se quasi ad secundam loquitur personam, sed figurate, ut Dido in quarto Aeneidos: *Infelix Dido, nunc te facta impia tangunt: tunc decuit,*
102 *cum sceptra dabas.* Et quoniam sunt quaedam verba, in quibus naturaliter vel omnes, vel quaedam deficiunt personae, de his breviter dicamus. In imperativis prima persona singularis non potest esse, quod naturaliter imperans ab eo, cui imperat, dividitur. Cum ergo prima persona est, quae loquitur, ipsa sibi imperare non potest. Unde hic modus vocativum casum adsciscit, qui in secunda tantum persona invenitur, ut doce grammatice. Nam tertiae quoque personae imperantes internuntia utimur secunda persona, ut grammatice legat discipulus tuus. Ergo si absit secunda persona, non possumus imperare tertiae, nisi figurate ad nosmetipsos loquentes, quasi ad secundam personam. Itaque, quae Latini in plurali numero imperativa primae personae accipiunt, haec Graeci ὑποθετικὰ vocant, id est suppositiva sive hortativa. Dicunt enim, quod superior debet

---

ipse ad se loquantur. Subjunctivum pro indicativo *loquuntur* restitui Prisciano e MSS. Luth. Lips. 1.

Virgilius in IV. Aen. vs. 496. Edd. Ven. Ald. Bas. Colon. Putsch. *fata.* Equidem MSS. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Luth. secutus restitui *facta.*

§. 102. *prima persona est.* Vulgo *sit.* Mox post *hic vocativus* scripsi *et* pro *etiam.* Post *internuntia* pro *utimur* exhibent aliquot Codd. *utuntur.*

ostendi, qui imperat, eo cui imperat. Hic autem suam quoque conjungens personam, similem se sociumque in hac ipsa re, de qua imperat, ostendit futurum illis quibus imperat, ut pugnemus, legamus: quasi ad socios videtur hoc modo uti. Itaque melius illis visum est hanc personam numeri pluralis separare ab imperativis. Scien- 103
dum tamen, quod frequentissime iste modus pro optativo ponitur vel deprecativo, ut, *Musa mihi causas memora, quo numine laeso.* Et apud Terentium: *Fac amabo.* Ergo si ad deos, qui hominibus superiores sunt, imperativo utimur modo, cur non etiam ad socios vel ad ejusdem naturae quoscunque homines, quamvis majores nobis vel similes per connumerationem nostri quoque, quae fit in prima persona plurali hoc modo, id est imperativo utamur? Infinita quoque et impersonalia, et gerundia vel supina carent personis naturaliter. Praeterea in nominationibus, id est ὀνοματοποιΐαις, sive nominum, sive verborum novis conformationibus, non omnes declinationis motus sunt quaerendi, ut tinniat. Persius: *Ne qua subaerato mendosum tinniat auro.* Taratantara. Ennius: *At tuba terribili sonitu taratantara dixit.* Ut etiam apud Graecos σίζει ὀφθαλμός; ἐκλάγξαν 104
δ' ἄρ' ὀϊστοί; λίγξε βιός; φλοίσβος: pluit, et tonat, et fulminat, et multa similia, quae ad homines non pertinent, proprie quidem ad tertiam dicuntur personam. Possunt tamen etiam in prima inveniri persona et secunda per poetarum προσωποποιΐας, id est conformationes, vel per responsa dei, et per apostrophas, quasi ad ipsum Jovem praesentem, et sunt quasi propria verborum, quae ad solum Jovem pertinent. Reperiuntur tamen et alia verba, quae in usu deficiunt personis, ut cedo, sodes, salve, furis, ave, infit, foret. Quamvis et infio et furo apud Varronem inveniuntur, et forem apud Terentium in Hecyra: *Nam si utrumvis horum, mulier nunquam*

---

§. 103. *hominibus superiores.* Pro vulg. *omnibus* edidi *hominibus* secundum MSS. Dresd. Erl. 1. 2.

novis conformationibus. Omittit haec MS. Lips. 1.

§. 104. *apostrophas.* Nonnulli Codd. *apostrophen.*

Terentius in Hec. Act. IV. Sc. 1. vs. 10. Codd. plures *harum mulierum.* Item *usquam* pro *unquam.* Edd. Ven. *harum mulierum nunquam.* MS. Lips. 1. *Sed utriusque harum mulierum.*

tibi visus forem. Fore quoque dicitur, ex quo confore compositum Terentius in Andria posuit: *Et id spero confore.*

105 Numerus accidit verbis uterque, quomodo et omnibus casualibus: singularis, ut lego, pluralis, ut legimus. Necesse est autem in omnibus declinabilibus utrumque simul inveniri, sicut supradictum est, numerum et personam. Sciendum tamen, quod, quamvis et in nominibus, et pronominibus, et participiis inveniantur voces communes singularis et pluralis numeri, ut poetae, viri, fluctus, genitivi singulares, et nominativi plurales sunt, similiter caedes, verres, dies, res, nominativi tam singulares sunt quam plurales, isti vero et ipsi et illi dativi singulares et nominativi plurales, in verbo nunquam hoc invenitur apud Latinos. Quamvis apud Graecos in multis, ut *εἶπον* tam singulare est primae personae quam plurale tertiae praeteriti imperfecti: similiter *ἔχαιρον, ἔλεγον, ἔπλαττον, ἐλάλουν, ἐποίουν, ἔχαιρον ἐγὼ λίαν οἵ τε φίλοι συνέχαιρόν μοι.*

Terentius in Andria. Act. I. Sc. 1. vs. 140.

§. 105. *caedes* omittit MS. Lips. 1. Dresd. addit *strages. res* omittit Lips. 1.

Similiter secundum MSS. edidi pro *sicut in hoc.* In sequentibus Graecis variant Codd. Alii haec, alii illa omittunt. Quare vulgatam retinendam esse censui.

LIBER NONUS.

Dictionum aliae sunt uniformes, id est indeclinabi- 1
les, ut adverbia, conjunctiones, praepositiones, inter- 1
jectiones. Aliae declinabiles, ut nomina, verba, participia, pronomina. Eorum ergo alia in principio moventur, ut pronomina, transeundo in personas, mei tui sui, mihi tibi sibi, me te se, meus tuus suus, mei tui sui, meo tuo suo. In genera vero et in numeros et in casus transeuntia finem movent, sicut nomina. Pronomina quoque, quae discernunt genera, ut ille illa illud, ipse ipsa ipsum, necnon etiam participia, quibus omnia fere accidunt tam nominibus quam verbis accidentia. Unde non solum in fine per genera et casus et numeros, sed etiam in principio est quando moventur per tempora, ut lavans lauturus, fovens foturus, movens moturus. Verba autem et in principio et in fine et in medio moventur, non tamen per singula tempora omnes motus necesse est pati, sicut ostendetur. Oportet igitur 2
de his ratione congrua exponere. Cur tamen a praesenti, sicut a nominativo, declinationis exordium sumimus, superius tractatum est, quod scientes de caeteris dica-

---

Lib. IX. §. 1. *Eorum ergo alia.* Haec est lectio Codicis Lutherii, libri vetustissimi. Vulgo, *ergo aliae earum.* MSS plerique *earum ergo aliae.* Neutrum a nobis exhibitum offendere non potest, cum paulo inferius sequatur *in casus transeuntia.* MS. Lips. 1. *earum igitur aliae.* Lips. 2. *ergo earum aliae.*

lavans lauturus. Vulgo *lavaturus.* Non sollicitassem lectionem vulgatam, nisi Codices optimi Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. Zwicc. 1. 2. Edd. Ven. receptam formam unanimi consensu tuerentur.

§. 2. *exordium sumimus.* MS. Erl. 2. *sumpsimus.*

mus. Praeteritum imperfectum apud Latinos principium nunquam movet, sed finem, ut amo amas amabam, doceo doces docebam, lego legis legebam, facio faciebam, munio muniebam. Et in prima quidem conjugatione a habet ante bam. Secunda enim persona in as desinens, abjecta s, assumit bam, amo amas amabam, meo meas meabam. In aliis vero omnibus e productam, docebam, legebam, audiebam. In quarta conjugatione est quando antiqui transmutantes locum vocalium, pro i et e *ει* diphthongum proferebant, quam postea in i longam verterunt, uti polibam pro poliebam, munibam pro muniebam. In eo vero desinentibus verbis ejusdem quartae conjugationis, nec possumus aliter proferre praeteritum imperfectum, nisi i ante bam servantes, ut eo ibam, adeo adibam, veneo venibam, queo quibam. Nec mirum, cum haec verba ex secunda persona faciunt tam praeteritum imperfectum quam futurum ad similitudinem primae et secundae conjugationis. Nam tertia et quarta conjugatio solet ex prima persona gignere tam praeteritum imperfectum quam fu-
3 turum. Praeteritum imperfectum mutatione o in e productam, et additione bam, ut lego legebam, facio faciebam, audio audiebam. Futurum mutatione o in am, ut lego legam, facio faciam, audio audiam, exceptis in eo desinentibus, quae, sicut supra diximus, a secunda persona faciunt supradicta tempora. Praeteritum perfectum tres habet motus in principio, et in medio plerumque, non tamen semper, in fine vero semper. In principio et in medio et in fine, caedo cecidi, cado cecidi. In medio et in fine, decerno decrevi, porrigo porrexi. In fine tantum, pando pandi, defendo defendi. Est etiam invenire quaedam verba, in quibus principium movetur et finis, medio integro manente, ut mordeo momordi, tondeo totondi. Plusquamper-

---

lego legis legebam. Adjeci e MSS. Luth. Erl. 1. aliisque *legis. in quarta conjugatione.* Vulgo interponitur *tamen.* Codicum alii *autem* alii *vero,* alii *enim.*

in ει diphthongum proferebant. Recepi lectionem MS. Zwicc. 2. pro *proferre solebant.*

§. 3. *additione bam.* MS. Erl. 1. *adjectione.* Mox secundum MSS. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. *supra dicta tempora* edidi pro *praedicta.*

fectum eosdem motus habet, quos et praeteritum perfectum, a quo et nascitur. Futurum principium quidem servat in omnibus verbis, finem autem movet, ut amo amas amabo, doceo doces docebo, eo is ibo, lego legis legam, audio audis audiam. Positio activorum vel neutrorum verborum in o desinit, et in prima quidem conjugatione pares habet syllabas prima et secunda persona. Prima enim mutat o in as, et facit secundam, ut amo amas, meo meas, hio hias. In secunda vero conjugatione prima persona in eo desinit, quam in es productam mutans facit secundam. Itaque necessario una syllaba minor est secunda, doceo doces, moneo mones. In tertia vero, si i ante o habuerit prima persona, abjecta o assumit s et facit secundam: itaque minuitur una syllaba, ut cupio cupis, facio facis, sapio sapis. Alia vero quacunque litera ante o posita, o in is convertens facit secundam, ut veho vehis, ruo ruis, lego legis, gero geris. Excipiuntur fero, volo, edo, quae inaequalem habent declinationem, ut Jupiter Jovis, iter itineris, femur feminis. Sic etiam in verbis, ut fero tuli, volo vis vult, edo es est: de quibus non incongruum videtur esse in praesenti, quae possumus rationabiliter tractare. Fero per concisionem, id est per syncopam i 5
literae secundam et tertiam facit personam, fero fers fert, pro feris ferit: quod puto differentiae causa fieri, ne, si feris ferit diceremus, putaretur ab eo esse, quod est ferio feris, cum nulla scripturae esset differentia, quamvis temporum syllabicorum esset. Hoc autem in multis solet fieri dictionibus, ut praeter regulam habeant declinationes, vel accentus differentiae causa, ut conjunx conjugis, pro conjungis, ne verbum putetur esse, et nostras ultima circumflexa, quando est nominativus singularis, ad differentiam pluralis accusativi. Pluralia supradicti verbi in prima et tertia persona se-

---

Plusquamperfectum — et nascitur. MS. Z.wicc. *z. sequitur regulam praeteriti perfecti, a quo et nascitur.*

§. 4. *fero tuli.* Vulgo, *fero fers.* Mihi etiam praeplacet haec lectio, nec tamen Codicum auctoritati parere non debui. Hi enim constanter tuentur *tuli*, ut et editiones Venetae. In MS. Lips. 1. supra scripta leguntur: *fero fers fert.*

§. 5. *ad differentiam pluralis accusativi.* Addunt libri vulgati *a nostra nominativo singulari.* Absunt haec a plerisque MSS. et Edd. Ven. Ergo ego etiam omisi.

cundum rationem tertiae conjugationis proferuntur, ferimus ferunt, in secunda vero per concisionem, fertis pro feritis. In praeterito quoque imperfecto, et in futuro regulam servat tertiae conjugationis, ferebam, feram feres feret. In omnibus quoque aliis modis servat rationem ejusdem conjugationis, exceptis iis, quae solent a secunda persona nasci. In his enim servat ejusdem personae concisionem, ut fers fer, ferte ferto fertote, ferrem ferre. Nam quae a prima persona accipiunt regulam, rectam declinationem sequuntur, ut fero ferebam feram. 6 A volo quoque secundam personam per concisionem l consonantis, et mutationem o in e, et adjectionem is per diphthongum proferebant antiquissimi, volo veis, pro volo vis. Sed ei diphthongum in i longam postea converterunt more Boeotio. Et possumus in hoc quoque dicere, quod in fero fers verbo dicimus, differentiae causa hoc esse factum, ne, si vis diceretur, dativus vel ablativus pluralis existimari posset nominis, quod est vis, vel quod in Graecis dictionibus plerumque Latini gaudentes brevitate faciunt concisiones, ut in vocativis in ie desinentibus tam Graecorum quam Latinorum nominum: Palladi pro Palladie, et Terenti pro Terentie. Similiter *Πολυδεύκης* Pollux, *διδῶ* do, *ἐμὲ* me, et in nominibus literarum, pro alpha beta a b dicentes, et in his anomalis verbis, quae sine dubio a Graecis sumpsimus, fero, volo, edo. Sum quoque per abscisionem i finalis et additionem s in principio loco aspirationis, sicut *ἕξ* sex, *ἑπτὰ* septem, *ἥμισυ* semis, et mutatione *ει* in u, *εἰμὶ* sum, ut *διδῶ* do: *βούλομαι* quoque forte brevitatis causa volo fecerunt diphthongo 7 mutata, ut *βοῦς* bos, *ποῦς* pos, pes. Tertia quoque persona per concisionem i profertur, volt pro volit. In hac quoque o in u convertentes, vult dicimus, quamvis rationabilius sit volt dicere, quo magis vetustissimi utuntur. In pluralibus prima quidem persona pro i u

---

exceptis iis, quae. Vulgo *illis.*

§. 6. *volo veis, pro volo vis.* E MSS. et Edd. Ven. 1. 2. adjeci alterum *volo.* Mox pro *Boeotio* MSS. vel *poëtico,* vel *boetico,* vel *boecio,* vel *hoetio.*

ποῦς pos, pes. Adjeci e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. *pos.* Mox *volt* secundum MSS. Luth. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Edd. Ven. scripsi pro *vult.*

habet penultimam, ut volumus pro volimus. Secunda autem per concisionem i profertur, tertiae personae singulari addita is, sicut in aliis quoque solet verbis, ut amat amatis, docet docetis, legit legitis, fert fertis, est estis, volt vel vult voltis vel vultis. Tertia secundum formam supradictae tertiae conjugationis a prima persona indicativi o in unt conversa profertur, volo volunt. Per caetera quoque tempora indicativi hoc verbum servat regulam tertiae conjugationis, volebam volui volueram, volam voles volet. Imperativo deficit; nec mirum, quippe corrupta secunda persona indicativi, ex qua solet imperativi secunda persona nasci; tertia quoque, quamvis in hac conjugatione ex prima persona indicativi fieri solet, mutata o in at, ut lego legat, dico dicat, fero ferat. Et poteramus ab eo, quod est volo, dicere volat, tamen, ne dubitatio fieret significationis, non est ab auctoribus usitatum. Utimur ergo subjunctivo pro hoc, velis velit. Aliam quoque quidam rationem 8
de hoc conati sunt reddere, dicentes, quod imperativus modus necessitatem significat, voluntas autem libera debet esse. Itaque hoc verbum, quod carere debet necessitate, caret imperativo. Ex hoc tamen compositum habet imperativum in secunda persona in i desinente, noli. Licet tamen et subjunctivo, ut supra diximus, uti pro imperativo, id est velis, fac velis. In prima enim et tertia persona omnium verborum imperativus praesens similis est subjunctivo. Optativus quoque ejusdem verbi tam in praesenti sive in praeterito imperfecto quam in futuro similiter corrumpit regulam, ut vellem et velim. Et praesentis quidem, quod et praeteritum est imperfectum, causa est corruptionis, secunda persona indicativi ex qua oritur; futuri vero synonymia, id est ancepe significatio, quae fieret, si volam volas volat, volamus volatis volant diceremus. Itaque pro volam velim auctoritas non irrationabiliter tradidit

---

§. 7. *rationabilius sit volt.* MS. Luth. *volit.*

Secunda autem. Omisi auctoritate Codicum meorum *persona.*

Tertia secundum formam. Vulgo *formulam. Formam* exhibent MSS. Luth. Zwicc. 2. Lips. 1, 2. Edd Ven. MSS. Lrt. 1, 2. *formulam. Imperativo deficit.* Omisi *in* secundum MSS. et Edd. V.

tertia quoque; quamvis. Addunt libri vulgati *deficit.* MSS. mei hoc ignorant. Ab interpolatore additum esse patet.

dicere. Et volim tamen pro velim proferebant antiqui. Cicero in secundo de Natura Deorum: *Quo facilius id, quod docere volimus, intelligi possit.* Alia vero omnia, quae a prima persona supradictae conjugationis solent nasci, integram servant declinationem, exceptis supra-
9 dictis synonymiae causa. Edo quoque per syncopam, id est per concisionem d literae facit secundam personam, et per synaeresim e et i in ei diphthongum coacta, et ei diphthongo in e productam conversa differentiae causa, ne, si eis diceretur, aliud significare putaretur, edo es. Quod non dubito differentiae causa esse factum, ne, si edis diceretur, dubitationem faceret scriptura, quomodo deberemus pronuntiare e, productam an correptam. Huic opponitur, cur ergo in prima persona, cum similis esset dubitatio, hoc non est factum? Ad quod dicendum, quod, etsi concisio d literae facta esset, multo major fieret erratio. Si enim eo diceretur pro edo, nulla esset, non dico scripturae, sed nec temporis differentia inter eo is, et eo quod pro edo poneretur.
11 Itaque jure mansit integra prima persona. Tertia vero
10 nascitur a secunda addita t, es est. Quod in hoc solo et alio uno invenitur, sum es est. Et certum est, id quoque fieri differentiae causa, ne, si secundum proportionem aliorum verborum secunda persona s in t convertente tertia persona proferretur es et, ut doces docet, conjunctio, non verbum, esse putaretur. Non solum autem in omnibus aequalibus verbis secunda persona s in t convertit et facit tertium, sed etiam fero fers fert facit, quod est inaequale. Edo tamen in plurali numero servat regulam tertiae conjugationis, ut edimus editis edunt. Similiter in praeterito imperfecto et futuro, edebam, edam, et in omnibus, quae solent in hac conjugatione a prima nasci persona, hoc est in tertia persona imperativi edat, et in futuro optativi, quod est etiam

---

§. 8. *pro velim proferebant antiqui.* Posteriorem vocem omittunt plures Codd.

Cic. in II. de Nat. Deorum. Cap. 32.

§. 9. *ne, si eis diceretur.* MS. Zwico. 2. *edis.* Mox post *cur* posui secundum MSS. *ergo* pro *igitur.*

§. 10. *nascitur a secunda addita t.* Omisi *persona* post *secunda.* *secunda persona s in t convertit.* Adjeci e MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. *in.*

subjunctivi praesens, edam edas edat. In omnibus vero, quae solent a secunda nasci persona, corruptam invenies regulam conjugationis, es tamen producta, quam a secunda acceperunt persona, servata ubique es, esté esto estote essent esse. Nec mireris, si non ubique differentiam vel defectionem facit anceps significatio. Non solum enim in verbis, sed etiam in omnibus aliis partibus orationis, est quando faciunt differentiam vel accentuum vel literarum mutatione auctores; est quando non faciunt. Ergo, quia de praeterito imperfecto loquentes anomalorum ratio coegit pluribus uti per medium verbis, breviter de illo repetamus, ut ad caetera facili via pervenire possimus. Praeteritum imperfectum diximus a praesenti fieri sic: in prima quidem et in secunda conjugatione et quarta eo desinente, a secunda persona abiata s finali, et addita bam, ut amas amabam, doces docebam, is ibam; in tertiae vero omnibus verbis, et quartae in io desinentibus, a prima persona mutata o in e productam, et assumpta bam, lego legebam, facio faciebam, venio veniebam. Et in prima quidem 11
conjugatione, et tertia, et quarta io desinente, una syllaba vincitur prima praesentis persona a praeterito imperfecto, meo meabam, dico dicebam, munio muniebam; in secunda vero conjugatione et quarta in eo desinente pares habet syllabas, doceo docebam, eo ibam. Nec mirum, cum haec minuunt secundam personam una syllaba, sicut supra dictum est, doceo doces, eo is. Prima autem pares habet in utraque persona syllabas, curo curas. Tertia vero in omnibus aliis absque in io desinentibus, ut lego legis, ruo ruis, traho trahis. Sed quamvis in io desinentia soleant minui in secunda persona tam tertiae quam quartae conjugationis, facio facis, aperio aperis, tamen non a secunda, sed a prima faciunt praeteritum imperfectum, sicut docuimus. 12

---

§. 11. *es este esto estote.* Adjeci *esto* e MSS. Luth. Erl. 2. Lips. 1. 2. et Edd. Ven. Pro *essent* MS. Zwicc. 2. *essam.* MS. Luth. *vel essem.*

sed etiam in omnibus aliis partibus. Ita MS. Zwicc. 2. et Edd. Ven. Vulgo *in nominibus et aliis.* MS. Erl. 2. *in omnibus et. assumpta bam.* Addunt libri edili *facit praeteritum imperfectum.* Omisi haec Codicum auctoritate et in antecedentibus scripsi eadem ratione permotus *a prima* pro *prima* et *mutata* pro *mutat.*

III Praeteriti perfecti multiplices et variae sunt regu-
13 lae. Itaque commodum putavimus primo quae in eo generalia esse contemplati sumus, disserere, postea vero per singulas syllabas tractare de eo. Omne igitur praeteritum perfectum primam personam in i terminat, amavi, docui, dixi, comperi, et assumpta sti facit secundam, amavisti, docuisti, dixisti, comperisti. T vero adscita, et correpta i tertiam, amavit, docuit, dixit, comperit; mus, primam pluralem, amavimus, docuimus, diximus, comperimus, i tamen penultima correpta. Secunda pluralis a sua singulari fit, addita s, amavistis, docuistis, dixistis, comperistis. Tertia autem ex prima singulari nascitur, i finali conversa in e productam, et addita runt vel re, ut amaverunt vel amavere, docuerunt vel docuere, dixerunt vel dixere, comperunt vel comperere. Et nascitur hoc quoque tempus a praesenti, sicut mox docebimus, et vel pares habet cum eo syllabas, ut juvo juvi, moneo monui, lego legi, munio munivi, vel minuitur una syllaba, ut facio feci, fugio fugi, venio veni, vel vincit una syllaba, ut oro oravi, curro cucurri. Si sint primae conjugationis, abundat praeteritum una syllaba, accuso accusavi, domo domui, sto steti, exceptis duobus, juvo juvi, lavo lavi. Antiqui tamen haec quoque secundum analogiam saepe proferebant. Unde Terentius in Eunucho: *Dum haec mecum reputo, accersitur lavatum interea virgo*, lava-
14 tum dixit, quod est a lavavi, pro lautum vel lotum. In secundae vero conjugationis et tertiae verbis in io desinentibus, et in omnibus quartae nunquam crescit praeteritum perfectum, sed vel pares habet praesenti syllabas, vel minuitur. Pares, ut pareo parui, habeo habui, cupio cupivi, munio munivi, aperio aperui. Minuitur una syllaba, ut augeo auxi, ardeo arsi, video vidi, facio feci, comperio comperi. In aliis vero omnibus verbis

---

§. 13. *mus, primam pluralem.* Delevi post *pluralem* Codicum auctoritate *addita*, quod in libris editis adjectum reperitur. Ergo etiam ante *mus* sustuli punctum, et ad hanc syllabam ex antecedentibus *adscita* repeti volo.

Unde Terentius in Eunucho. Act. III. Sc. 5. vs. 44. Pro *reputo* Codices praestantissimi *puto*. MSS. scilicet Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. MSS. Erl. 2. Dresd. Edd. Ven. vulgatam defen-

tertiae conjugationis, modo pares habet, modo una syllaba vincit, nunquam autem minuitur. Pares, ut ago egi, frango fregi, vinco vici. Vincit, ut credo credidi, accerso accersivi, occulo occului, curro cucurri. Et notandum est in omnibus verbis dissyllabis, quibus interposita est consonans, quod, si pares sint in praeterito et in praesenti syllabae, penultima vel natura vel positione producitur, sive sit in praesenti longa, sive non, ut juvo juvi, rego rexi, frango fregi, lego legi, scando scandi, ludo lusi, exceptis scindo scidi, findo fidi, bibo bibi. Si enim pura sit penultima, in plerisque corripitur, etiam in praeterito, ut luo lui, nuo nui, spuo spui, suo sui, ruo rui, eo ii, invenitur et ivi. In pancis producitur, ut struo struxi, fluo fluxi, neo nevi. Idem fit etiam, cum a trisyllabis praesentibus dissyllaba fiunt praeterita, ut sedeo sedi, video vidi, facio feci, capio cepi, jacio jeci, augeo auxi, ardeo arsi, foveo fovi, faveo favi. In crescentibus vero, in quibus repetitio fit principii per praeteritum, penultimae vel antepenultimae principalis syllabae praesentis tempora servantur in praeteriti penultima, ut caedo cecidi, curro cucurri, parco peperci, mordeo momordi, tondeo totondi, spondeo spopondi, fallo fefelli, pedo pepedi, cado cecidi, cano cecini, pario peperi, posco poposci, tendo tetendi. Excipiuntur pello pepuli, tango tetigi, pango pepigi, pungo pupugi, disco didici, percello perculi et tundo tutudi. Unde Horatius Epistolarum lib. II. *Speratum meritis diram qui contudit hydram.* Et in prima quidem conjugatione principium immobile manet in supradicto tempore, exceptis quatuor verbis, sto steti, do dedi, lavo lavi, juvo juvi. Illa enim duplicant consonantem, haec vocalem in praesenti correptam penultimam in praeterito perfecto producunt, quod in nullo alio supradictae conjugationis accidit verbo. In

---

dunt. *Accersitur* scripsi pro *arcessitur* secundum MSS. Luth. Lips. 1. 2. 5. Erl. 1 2. Zwicc. 1. 2. Dresd. Edd. Ven.

§. 14. *credo credidi, accerso accersivi.* Codices mei omnes *accerso accersivi* pro *arcesso arcessivi.*

§. 15. *etiam in praeterito.* E. MSS. *etiam* restitui pro *et.* Post *parco peperci* auctoritate MSS. Luth. Lips. 1. delevi *pendo pependi.*

§. 16. *Horat. Epist. Lib. II.* Ep. 1. vs. 10.

secunda vero et tertia omni loco est, ubi invenimus moveri literas vel syllabas praesentis. Per singulas igitur tam vocales quam consonantes per ordinem ostendemus solitas fieri mutationes. A brevis modo manet eadem, ut careo carui, rapio rapui, valeo valui, modo producitur, faveo favi, modo mutatur in e correptam, ut cado cecidi, tango tetigi, modo in e productam, ut ago egi, facio feci, jacio jeci, frango fregi. Producta
17 vero non mutatur, rado rasi, pareo parui. Et sciendum, quod, cum a brevis in e productam convertitur, vel dissyllabum est tam praesens quam praeteritum, ut ago egi, frango fregi; vel a praesenti trisyllabo praeteritum dissyllabum fit, ut facio feci, jacio jeci. In e vero correptam ex contrario, quando a praesenti dissyllabo praeteritum fit trisyllabum, ut cado cecidi, tango tetigi. E correpta modo eadem manet, ut egeo egui; modo producitur, ut lego legi, sero sevi, sedeo sedi, cerno crevi, venio veni; modo mutatur in a productam, ut sterno stravi; modo in i correptam, ut eo ii; modo in i productam, ut tero trivi; modo in u correptam, ut doceo docui, moneo monui. Producta si fuerit, in praeterito quoque producitur vel natura vel po-
18 sitione, ut cedo cessi, credo credidi. I correpta modo manet eadem, ut niteo nitui; modo producitur, ut video vidi, cupio cupivi; modo in e convertitur vel natura vel positione longam, ut incipio incepi, aspicio aspexi; modo in u correptam, ut rapio rapui. Producta manet eadem, ut figo fixi, rideo risi, nitor nisus, fido fisus. O correpta modo manet eadem, ut doceo docui, condo condidi; modo producitur, ut moveo movi, foveo fovi, fodio fodi. O producta in quibusdam manet, ut oro oravi, dono donavi, in aliis corripitur, ut pono posui, cogo coegi. U correpta modo manet eadem, ut ruo rui; modo producitur natura vel positione, ut fugio fugi, struo struxi, fluo fluxi. Producta quoque modo manet, modo mutatur: manet, ut excudo excudi, ludo lusi; mutatur in u correptam, ut pungo pupugi,

---

§. 19. *duas ss* pro vulg. *duo ss*. Post *absonus* expunxi *et;* post *abstinens* omisi Codicum jussu *et obtinens*. Mox *in principio syllabae* e MSS. Erl. 1. Lips. 3. posui pro vulg. *in eadem syllaba*, quam lectionem nullus meorum Codd. confirmat. Nonnulli addunt *ejusdem*, alii ante, alii post *syllabae*. Omisi.

tundo tutudi. Ae diphthongus in quibusdam manet, quaero quaesivi, laedo laesi; in aliis mutatur in i productam, caedo cecidi. Au manet eadem, ut augeo auxi, haurio hausi; mutatur in uno anomalo in abs, aufero abstuli. B manet, bibo bibi, habeo habui; mutatur in ps vel duas ss, scribo scripsi, nubo nupsi, jubeo jussi. Quaeritur tamen de scripsi et nupsi, cur non per b, sed per p scribantur: et est euphoniae causa, quod in principio syllabae b ante s vel ante t inveniri non potest, ut ipse, aptus. Nam absonus, abstinens et similia non in principio syllabae habent conjunctas b et s vel b et t, cum praepositio separatim est syllaba accipienda. Igitur participia quoque supradictorum verborum rationabiliter per p et t scribuntur, scriptus, nuptus, et nomina ex his derivata, scriptor, nuptiae. C vero modo manet, ut doceo docui, facio feci; modo duplicatur, ut cano cecini, cado cecidi, caedo cecidi; modo transit in s, ut mulceo mulsi, farcio farsi; modo in x, ut duco duxi, sancio sanxi. D manet eadem, candeo candui, defendo defendi; duplicatur, perdo perdidi, credo credidi; transit in s, laedo laesi, vel in duas ss, cedo cessi. F manet, ferveo fervi, frango fregi; duplicatur, fallo fefelli. G servatur eadem, egeo egui, lego legi, vel mutatur in s, ut algeo alsi, turgeo tursi, mergo mersi, vel in x, ut frigeo frixi, augeo auxi, pingo pinxi, mingo minxi, tingo tinxi; subtrahitur, gigno genui. H est ubi manet integra, habeo habui: est ubi mutatur in x, traho traxi, veho vexi. L manet per se, ut oleo olui, alo alui, occulo occului, vel mutatur in s, ut vello vulsi, vel subtrahitur, ut percello perculi, pello pepuli. M manet, timeo timui, emo emi; assumit ps, demo dempsi, como compsi, promo prompsi; geminatur, mordeo momordi; subtrahitur, rumpo rupi. N servatur eadem, moneo monui; assumit s, maneo mansi; mutatur in s, pono posui, vel in ps, temno tempsi, vel in u loco consonantis posita, sterno struvi, decerno decrevi; subtrahitur, linquo liqui, vinco vici. P manet,

---

ferveo fervi. Omisi auctoritate MSS. *vel ferbui.*

§. 20 *lego legi.* Adjeci e MSS. *vel.*

u loco consonantis. His adjeci e MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 3. Dresd. *posita.*

sapio sapui, rapio rapui, pareo parui, peto petivi; repetitur, pello pepuli, parco peperci, pendeo pependi; assumit s, repo repsi, scalpo scalpsi; conduplicatur, reperio repperi. Q manet eadem, quaero quaesivi, queo quivi; transit in s, ut torqueo torsi. R manet, curro cucurri, terreo terrui; transit in s, quaero quaesivi, uro ussi, haurio hausi, vel in u consonantis loco, tero trivi. S manet, censeo censui, arcesso arcessivi. T manet, verto verti; transit in s, mitto misi, concutio
IV concussi. X manet, texo texui, nexo nexui. Sunt igi-
21 tur formae generales praeteriti perfecti octo. In vi syllabam, in ii, in ui divisas, in si, in xi, et in i antecedente consonante, quae in praesenti tempore ante o vel eo vel io invenitur, et quae in principio geminat consonantem, et quae in fine. Et in vi quidem quatuor conjugationum sunt verba, quae terminant praeteritum, ut amo amas amavi, fleo fles flevi, cupio cupis cupivi, munio munis munivi. In ii vero tertiae et quartae, quae in vi desinentia intercepta v consonante corripiunt i penultimam, ut cupivi cupii, arcessivi arcessii, sivi sii, munivi munii, audivi audii. In ui divisas omnium conjugationum verba inveniuntur terminantia. Primae, ut tono tonas tonui, seco secas secui. Secundae, teneo tenes tenui, habeo habes habui. Tertiae, annuo annuis annui, pono ponis posui, alo alis alui. Quartae, prosilio prosilis prosilui, aperio aperis aperui. In si, secundae et tertiae et quartae. Secundae, ardeo arsi, rideo risi, suadeo suasi. Tertiae, ludo lusi, cedo cessi, uro ussi, scalpo scalpsi. Quartae, raucio rausi, haurio hausi, farcio farsi. In xi similiter secundae et tertiae et quartae. Secundae, augeo auxi, frigeo frixi, mulgeo mulxi. Tertiae, duco duxi, pingo pinxi, coquo coxi, vivo vixi. Quartae, vincio vinxi, sancio sanxi.
22 I habent post consonantem positam ante o vel eo vel io praesentis temporis, et in prima, ut iuvo iuvi, lavo lavi; et in secunda, ut prandeo prandi, sedeo sedi, video vidi, foveo fovi; et in tertia, bibo bibi, lego legi, defendo defendi, fugio fugi, fodio fodi; et in quarta, reperio repperi, comperio comperi. Geminant consonantem in

---

sapio sapui. Auctoritate Codd. Luth. Erl. 2. Lips. 2. Dresd. emisi *vel sapivi.*

prima quidem conjugatione duo monosyllaba, do dedi, sto steti. In secunda principales tantummodo syllabas, mordeo momordi, tondeo totondi. In tertia alias principales, alias finales: principales quidem, ut disco didici, cano cecini, pello pepuli: finales vero, ut credo credidi, vendo vendidi. Formis igitur generalibus praeteriti cognitis, nunc necessarium esse existimo de penultimis quoque uniuscujusque formulae syllabis generaliter tractare. Non minus enim hae quoque ad omnem rationem declinationis, tam praeteriti perfecti quam plusquamperfecti, nec non et participiorum ejusdem temporis necessariae sunt. In ui terminantium omnis 23
penultima longa est, vel natura vel positione, et vel in praesenti quoque habent u loco consonantis, ut juvo juvi, lavo lavi, moveo movi, caveo cavi, paveo pavi, faveo favi, foveo fovi, voveo vovi, volvo volvi, solvo solvi; vel a secunda persona praesentis nascuntur, abjecta s et assumpta vi, ut amas amavi, oras oravi, fles flevi, comples complevi, cupis cupivi, audis audivi. Vel pro n vel r vel sc, quae in praesenti tempore inveniuntur ante o, u habent loco consonantis principalem extremae syllabae in praeterito perfecto, ut sino sivi, decerno decrevi, tero trivi, quiesco quievi, pasco pavi. Et primae quidem conjugationis, et tertiae verba in vi 24
syllabam facientia praeteritum perfectum, quae a prima persona nascuntur, pares habent tam in praesenti quam in praeterito perfecto syllabas, ut juvo juvi, lavo lavi, sterno stravi, sino sivi, tero trivi, adscisco adscivi; excepto quaero quaesivi, pono posivi antique, quod nunc dicimus posui. Quae vero a secunda persona nascuntur, superant in praeterito eandem secundam personam una syllaba, ut accusas accusavi, deles delevi, cupis cupivi, munis munivi. Secundae vero, quae u loco consonantis ante eo habent, producunt penultimam, quae in praesenti corripitur, et eo in i convertentia una syllaba minuuntur in praeterito perfecto, ut caveo cavi, moveo movi, paveo pavi, voveo vovi, faveo favi, foveo fovi. In ui divisas praeteritum perfectum exire in omni conjugatione invenitur; et si vocalis sit penultima ante

---

§. 24. *producunt penultimam.* Ita MSS. Luth. Lips. 1. 2. 5. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Vulgo, *antepenultimam.* MS. Dresd. *primam*, quae lectio arridet.

o in praesenti, pares habet syllabas ejus praeteritum.
25 Inveniuntur autem ejusmodi verba in secunda et tertia et quarta conjugatione, ut doceo docui, moneo monui, rapio rapui, annuo annui, aperio aperui, cooperio cooperui: sin vero consonans sit ante o in praesenti, praeteritum una syllaba abundat, quod in prima quidem conjugatione in omnibus in ui divisas terminantibus praeteritum invenies, ut domo domui, veto vetui, sono sonui, seco secui. In tertia vero hoc idem observatur in his omnibus, quae non habent vocalem ante o, ut occulo occului, tremo tremui, pono posui, succino succinui: quod in secunda vel quarta conjugatione non potest inveniri, cum haec i, illa e semper habent ante o finalem. Et attendendum, quod penultimae vel antepenultimae praesentis tempora servant in hujuscemodi praeterito, sive pares habeant syllabas, sive abundent, ut domo domui, veto vetui, tremo tremui, volo volui, pareo parui, candeo candui, habeo habui, aperio aperui; excepto uno, pono posui, quod cum in praesenti producat penultimam po in praeterito, eandem antepenultimam factam corripuit. Nec mirum, cum solum hoc in no desinens et n in s mutavit in praeterito, et in ui divisas terminavit, et, sicut supra diximus, veteres in
26 vi quoque syllabam hoc protulerunt. Omnis autem penultima supradictae formae, hoc est in ui divisas denentium, corripitur. Raro enim in Latinis dictionibus vocalem penultimam ante alteram vocalem productam invenies. Ideo autem diximus raro, quia in fio verbo auctores producunt penultimam, ut Virgilius in Bucolicis: *Omnia vel medium fiant mare, vivite silvae.* In ius enim terminantis genitivi penultima anceps est. In Graecis autem dictionibus saepe hoc invenitur, ut Me-
V nelaus, spondeus, dia. In si terminantium perfectum
27 penultimae vel natura vel positione producuntur. Na-

---

§. 25. *annuo annui.* Vulgo *abnuo abnui*, cui plerique Codices receptam substituunt lectionem.

§. 26. *Virg. in Buc.* Ecl. VIII. vs. 58.

dia. Addunt Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. *Virgilius in undecimo: Italides, quas ipsa decus sibi dia Camilla.* Omittunt haec MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Edd. Ven. Nonnulli tamen meorum Codd. subjiciunt *Camilla*, quod cum alii et Edd. Ven. ignorent, omittendum esse duxi.

tura, ut rideo risi, ludo lusi, haurio hausi, raucio rausi; positione, vel geminata s, ut gero gessi, cedo cessi, premo pressi, uro ussi, percutio percussi; vel n vel l vel r vel p ante si positis, ut algeo alsi, maneo mansi, ardeo arsi, tergo tersi, repo repsi, scalpo scalpsi. Et secundae quidem vel quartae minuunt unam syllabam in praeterito, ut rideo risi, suadeo suasi, urgeo ursi, ardeo arsi, farcio farsi, raucio rausi, sarcio sarsi. Tertiae vero pares habent syllabas, tam in praesenti, quam in praeterito, nisi vocalem habeant ante o, ut ludo lusi, mitto misi, rado rasi, rodo rosi. Si enim vocalem habeant, minuunt ea quoque una syllaba, ut concutio concussi, excutio excussi. Secunda enim quoque, et quarta ideo minuunt, quia vocales habent ante o. In 28
xi terminantia praeteritum perfectum secundae et tertiae et quartae conjugationis inveniuntur. Et tunc tamen natura quoque producunt penultimam, quando sit e, ut rego rexi, tego texi, illicio illexi. In aliis enim positione sunt longae tantum, ut traho traxi, vincio vinxi, duco duxi, quod ostenditur esse correptum ex nomine, quod ab eo derivatur et corripitur, dux ducis, sicut rexi produci approbatur ex nomine, quod ab eo nascitur, rex regis. Quaeritur igitur, an luceo luxi debeat natura producta accipi, cum lux producatur. In quo etiam illud quaeritur, nomen a verbo, an magis ex nomine verbum natum sit, quod esse mihi verius videtur, quomodo ab igne igneo et ignesco, et a flamma flammo flammasco. Quae praesentis temporis conso- 29
nantes servantia ante o vel eo vel io positas, easdem ante i habent finalem in praeterito penultimas, vel natura vel positione habent productas, sive sint in praesenti correptae, sive productae, ut juvo juvi, lavo lavi, video vidi, sedeo sedi, faveo favi, lego legi, defendo defendi, fodio fodi, fugio fugi, venio veni. Excipiuntur,

---

§. 27. *vel n vel l vel r vel p.* Adjeci e MS. Zwicc. 2. *vel.*

§. 28. *et tunc tamen.* Scripsi *tamen* secundum MSS. pro *tantum. quando sit e.* Auctoritate MSS. Luth. Lips. 2. omisi *penultima*, quae vox e proxime antecedentibus suppleri debet. Codices in hac voce variant, ut facile videas, ab interpolatione ortam esse.

quaeritur, nomen a verbo. Post *nomen* omisi *ne*, quod libri impressi inserunt, Codd. damnant.

quae in praesenti penultimam i habent correptam, eamque servant in praeterito quoque penultimam. Ea enim non producitur in praeterito per hanc formam, etsi in praesenti positione sit longa, ut bibo bibi, findo fidi, scindo scidi. Et sciendum, quod in his quoque in eo vel in io desinentia verba una syllaba minuuntur in praeterito, ut sedeo sedi, foveo fovi, moveo movi, paveo pavi, prandeo prandi, venio veni, reperio repperi: quod notandum est, quod antepenultimam, non penultimam produxit positione. Alia vero pares habent syllabas cum praesenti, ut juvo juvi, lego legi, frango fregi, defendo defendi, ago egi. Repetunt consonantes primae quidem conjugationis duo monosyllaba, do dedi, sto steti, et ex his composita, reddo reddidi, resto restiti; habent autem penultimas breves. Secundae vero in principio repetunt quaedam, et habent penultimas positione longas, sicut in praesenti antepenultimas, ut tondeo totondi, mordeo momordi, spondeo spopondi, pendeo pependi. Tertiae autem quaedam in principio repetunt, quaedam in fine. In principio repetentia, si in praesenti penultimam brevem habuerint, in praeterito quoque corripiunt eam, cado cecidi, cano cecini, pario peperi. Sin longa sit in praesenti, penultima naturaliter in praeterito quoque producitur, ut caedo cecidi, pedo pepedi. Sin positione sit in praesenti penultima longa, est quando servatur in praeterito, est quando abjecta consonante corripitur. Servatur in his, posco poposci, parco peperci, fallo fefelli, tendo tetendi, pendo pependi, curro cucurri; abjecta consonante corripitur in his, disco didici, pello pepuli, tango tetigi, pango pepigi, pungo pupugi, tundo tutudi. Et attendendum, quod omnia ea, quae geminant principalem syllabam, servant non solum consonantem, verum etiam vocalem primae syllabae praesentis temporis, tam in prima, quam in secunda syllaba, nisi a sit; ea enim in e convertitur, ut posco poposci, tendo tetendi, pendo pependi, curro cucurri, disco didici, pungo pupugi: excipitur pello pepuli. A vero in e mutatur, ut fallo fefelli, parco pe-

§. 31. *quia i habuit ante o.* Putschius cum Bas. Ald. *habet.* MS. Zwicc. 2. Luth. aliique, Edd. Colon. Ven. 1. 2. *habuit.*

§. 32. *igitur de generalibus.* Vitiose Edd. Bas. Colon. *generibus.* Correxit Putschius, praeeuntibus Edd. Ven. 1. 2. Libri manuscripti *generalibus.*

perci, tango tetigi, pango pepigi, cano cecini, cado cecidi, pario peperi. Et vide, quod, si penultima praeteriti longa sit, ea quoque servat e, ut parco peperci, fallo fefelli: sin brevis, in i convertitur, ut tetigi, pepigi, cecini, cecidi. In hac enim conjugatione, id est tertia, 31
etiam in fine fit repetitio ejusdem syllabae, ubique penultima correpta, vendo vendidi, credo credidi, reddo reddidi. Et sciendum, quod una syllaba abundat praeteritum, in quo fit repetitio principalis vel finalis, tam in prima quam in tertia conjugatione, nisi i sit ante o, ut do dedi, sto steti, resto restiti, curro cucurri, parco peperci, cano cecini, cado cecidi; pario vero, quia i habuit ante o, pares habuit syllabas, tam in praesenti quam in praeterito perfecto, pario peperi. Quoniam igitur de VI
generalibus praeteriti perfecti temporis verborum for- 32
mis collectim docuimus, nunc separatim per singulas conjugationes de variis ejusdem temporis speciebus, cujus difficillima est tractatio, omnium verbi quaestionum disserere conemur.

Primae conjugationis verba a secunda persona indicativi modi, quae in as desinit, tam in activa quam in neutrali significatione, abjecta s et addita vi, faciunt praeteritum perfectum, ut amo amas amavi, oro oras oravi, accuso accusas accusavi, meo meas meavi, hio hias hiavi, flo flas flavi, no nas navi. Excipiuntur haec, quae in ui divisas faciunt praeteritum subtracta as, domo domas domui, crepo crepas crepui, frico fricas fricui, mico micas micui, seco secas secui, sono sonas sonui, tono tonas tonui, veto vetas vetui, plico plicas plicui vel plicavi, quod maxime ex compositis dignoscitur. Nam cum praepositione, magis per ui divisas, cum nomine vero compositum, per avi terminat perfectum, ut implico implicui, applico applicui, explico explicui, replico replicui, complico complicui; duplico vero duplicavi, triplico triplicavi, multiplico multiplicavi. Invenitur tamen etiam cum praepositione in avi faciens praeteritum, sed in raro usu. Pacuvius: *Quae te appli-*

---

subtracta as. Vulgo *a et s.* Nos e Codicibus et Edd. Ven. recepimus *as.*

maxime ex compositis. Vulgo *in* pro *ex.* Hoc autem tuentur MSS. Luth. Lips. 2. Erl. 1. Zwicc. 2. Lips. 1. Edd. Ven. 1. 2.

Pacuvius. Unus meorum Codd. *qua* pro *quae.* MS. Lips. 5. *empta* pro *obruta.*

cavisti tamen aerumpnis obruta. Cicero Rhetoricorum II. *Quod in itinere tam familiariter se applicaverit.* Var-
33 ro de poetis lib. I. *Deinde ad Siculos se applicavit.* Cubo quoque cubui facit, a quo composita tam primae quam tertiae conjugationis inveniuntur, eundem tamen habent perfectum, incubo incubas incubui, et adjecta m incumbo incumbis incubui. Nexo quoque nexas vel nexis, ut Probo placet, nexui. Virgilius tamen in V. Aeneidos: *Nexantem nodis seque in sua membra plicantem,* secundum primam protulit conjugationem. Livius vero in Odissia: *Nexebant multa inter sese flexu nodorum dubio.* Attius in Deiphobo: *Nos continuo ferrum eripimus, omnibus manicas neximus.* Necto tamen ejus est primitivum. Nam quomodo a participio amplexus, quod ex verbo nascitur amplector, fit verbum frequentativum amplexor amplexaris, sic a participio nexus, quod nascitur a verbo necto, fit frequentativum nexo nexas. Unde manifestum est, quod rationabilius hoc secundum primam conjugationem protulit Virgilius. A necto tamen similiter nexui protulerunt plerique; quidam tamen etiam nexi, dicentes et nexus, ut flecto flexi et flexus. Virgilius tamen in V. Aeneidos: *Et paribus palmas amborum innexuit armis.* Lucilius in V. *Hic solus vigilavit, opinor, et cum id mihi visus facere*
34 *est, tum retia nexit.* Supradictis addunt quidam neco necavi vel necui, sicut et Probus et Charisius et Diomedes. Ideoque participium praeteriti passivum necatus a necavi, et nectus a necui facit. Horatius in I. Epistola-

---

Cicero Rhet. II. de Inv. rhet. Lib. II. 13. Plures Codd. omittunt *in* ante *itinere,* unus *tam.* Mox in loco Varroniano MS. Lips. 2. *applicuit* pro *applicavit.*

§. 33. *Virgilius in V. Aeneidos.* Adjeci e MS. Lips. 2. *Aeneidos.* Versus est 279.

Livius in Odissia. Editiones etiam Venetae hoc loco *Odissia* scribunt. Pro *nexebant* quinque meorum Codd. *nexabant.* Unus omittit *vero* post *Livius.*

Attius in Deiphobo. MSS. *Accius* vel *Actius.*

nexi dicentes. Addunt libri editi post *nexi, necto nexi,* quod auctoritate MS. Erl. 1. omisi.

Virgilius in V. Aen. vs. 425. Heynius edidit *intexuit.*

Lucilius. Unus meorum Codd. omittit *tum* et *nexi* pro *nexit* exhibet.

§. 34. *Horatius in I. Epist.* 7. vs. 87. *Livius ab urbe condita.* 21. Cap. 41. *Cic. Tusc. I.* Cap. 5.

rum: *Spem mentita seges, hoc est enectus arando.* Livius ab urbe condita XXI. *Fame, frigore, illuvie, squalore enecti.* Cicero Tuscul. I. *Enectus siti Tantalus.* Sed proprie necatus ferro, nectus vero alia vi peremptus dicitur. Ennius: *Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis.* Excipiuntur praeterea haec quatuor, do dedi, sto steti, juvo juvi, lavo lavi, quod antiqui tertiae quoque conjugationis proferunt, lavo lavis lavit. Plautus in Pseudolo: *Gestas tabellas eas lacrimis lavit.* Virg. in X. *Lavit improba taeter ora cruor.* Idem in III. *Fluidum lavit inde cruorem.* A do quoque composita et a monosyllabis praepositionibus tertiae sunt conjugationis, ut addo addis, reddo reddis, trado tradis, prodo prodis. Nam circumdo circumdas facit, quia circum et dissyllabum est, et magis adverbium, et hoc solum verbum primae conjugationis a penultimam in praesenti, et in praeterito imperfecto, et futuro, et infinito, et participio praeteriti et futuri corripit, damus datis, daris, datur, dabam, dabo, dare, daturus, datus. Et quae ex hoc solent fieri, ut dabamini. Da enim ubique ante finem corripitur in hoc verbo simplici, ut daturus datum datu dator, ut Virgilius in I. Aeneidos: *Vix e conspectu Siculae telluris in altum vela dabant.* In eodem: *Adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Juno.* In eodem: *O passi graviora, dabit deus his quoque finem.* In eodem: *Si datur Italiam sociis et rege recepto.* Idem in III. *Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.* Idem in VI. *Cui datus haerebam custos cursusque regebam.* Persius: *Quin* 35

---

duellis. MS. Lips. 1. *duello.*

tertiae quoque declinationis. Additur in libris vulgatis *declinationis*, quod optimi Codices et Edd. Ven. 1. 2. ignorant. Ergo omisi. *Proferunt.* Unus meorum Codd. *proferebant*, e correctione, puto. Edd. Ven. *antiqui — profertur.*

Plautus in Pseud. Act. I. Sc. 1. vs. 8. *lavis* pro vulgato *lavit* restitui e MSS. Luth. Zwicc. Lips. 1.

Virg. in X. vs. 727. *Idem in III.* vs. 663.

§ 35. *participio praeteriti.* Omisi *temporis.* MS. Luth. omittit sequens *et futuri.*

Virg. in I. Aen. vs. 35. *In eodem.* vs. 734. *In eodem.* vs. 199. *In eodem.* vs. 553. *Idem in III.* vs. 9. *Idem in VI.* vs. 340.

Persius. Sat. II. vs. 71. 72. Unus meorum Codd. *lippe* pro *lippa.*

damus id superis de magna quod dare lance non possit
VII *magni Messalae lippa propago?* A sto quoque composi-
56 ta servant duplicationem praeteriti, ut resto restiti, consto constiti, prosto prostiti. Ovidius tamen abstit pro abstitit protulit in XI. Metamorphoseon: *Alcyones lacrimas, et quae pars admonet, abstit.* Et absisto enim et absto abstiti facit. Supinum vel participiale in um desinens omnia primae conjugationis verba, quae in avi praeteritum terminant, vi in tum convertentia faciunt, ut amavi amatum, oravi oratum, flavi flatum. Quae vero in ui divisas desinunt, si c ante o habuerint, mutant ui in tum, ut frico fricui frictum; unde Juvenalis in II. *Si prurit frictus ocelli angulus.* Similiter seco secui sectum. Sic ergo necui nectum fecit. Ovidius in IIII. Metamorphoseon: *Nec tu jam poteras enectum pondere terrae tollere Nympha caput.* Mico quoque micui mictum debet facere. Sed dubitationis causa, quia mingo quoque mictum facit, in usu non invenitur, quamvis ab eo verbo compositum dimico dimicavi faciat et dimicatum. Livius in XXXIII. *Justa quoque acie, et collatis signis dimicatum.* Quanquam emico emicui faciat. Lucanus in I. *Qualiter expres-*
57 *sum ventis per nubila fulmen emicuit.* Plico etiam et plicatum et plicitum facit, et plicavi et plicui. Ex eo igitur composita penultimam a vel i habent in supino, duplicavi duplicatum, explicui explicitum,

---

§. 56. *Ovidius in XI. Metam.* 473. *Alcyonae* secundum MSS. Lips. 1. 2. aliosque edidi pro *Alcyones*. MS. Erl. 1. *lacrimis*. MS. Lips. 2. *amovet* pro *admonet*. Caeterum lectionem *abstit* absurdam esse et Priscianum parum acute de hoc loco sensisse, docuit Heinsius ad Ovidii l. l.

Juvenalis in II. vide Ind. *Ovid. in IV. Metam.* vs. 243. Post locum e Livio allegatum sequuntur in libris editis haec: *Quidam auctores usi sunt dimicavi in compositione rationabiliter.* Haec e glossemate orta esse, patet. Leguntur quidem his similia in Codd. at tanta lectionis diversitate, ut glossematis indoles in oculos sponte incurrat. Omittunt MSS. Lips. 2. Luth. Erl. 2. *quidam tamen auctores sunt usi non irrationabiliter in compositione a dimico praeterito dimicavi.* Lips. 3. *quidam auctores sunt usi eo quamquam.* Lips. 1. *quidam auctoris usi sunt dimicavi.* Erl. 1. proxime accedit ad lectionem vulgatam. Edd. Ven. 1. 2. omittunt *in compositione.*

Lucanus in I. vs. 151.

implicui vel implicavi, quod in raro usu est, implicitum et implicatum. Unde Lucanus in III. *Implicitas magno Caesar torpore cohortes.* Cicero vero in Pisone: *Quid avaritiae, quae criminibus infinitis implicita est, summam nunc explicem?* Idem in eodem: *Familiaritate implicatus.* Salust. in IIII. Historiarum: *Implicatae rates ministeria prohibebant.* Alia vero in ui divisas praeteritum desinentia ui in itum convertunt in supino penultima correpta, domui domitum, cubui cubitum, tonui tonitum, sonui sonitum. Horatius tamen in Epodo intonata protulit secundum analogiam pro intonita: *Non me Lucrina juverint conchilia, magisve rombus, aut scari, si quos Eois intonata fluctibus hiems ad hoc vertit mare.* Vetui vetitum, crepui crepitum, accubui accubitum. Statius in I. Achilleidos: *Quem quisque sacrasset accubitu genioque locum.* Haec 38
tamen ipsa et secundum tertiam vetustissimi protulisse inveniuntur conjugationem, ut Ennius in XI. Annalium: *Tunc clipei resonunt et ferri stridit acumen.* Idem in XIII. *Litora lata sonunt.* Attius in Clitemnestra: *Sed valvae resonunt regiae.* Lucretius in III. *Caligare oculos, sonere auris, succidere artus.* Steti vero statum supinum penultima producta debet facere. Unde Lucanus in II. *Constatura fides superum.* cum datum et datus, sicut superius ostendimus, corripiant a penultimam. Est tamen in hoc quoque notandum, quod nomina ab

---

§. 37. *explicui explicitum.* Ita MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. Vulgo, *explicavi explicatum.*

Lucanus in III. vs. 452. *Cic. in Pis.* Cap. 35.

Idem in eodem. Cap. 29. *Horatius in Epodo.* II. vs. 49 — 52. *rombus.* Duo meorum Codd. *rumbus.* Pro vulgato *vertat* secundum Codices praestantissimos scribendum fuit *vertit.*

Statius in I. Achill. vs. 109.

§. 38. *Ennius in XIII.* MSS. Erl. 2. Lips. 2. *XIV.*

Attius in Clitemnestra. valvae. Ita e MSS. Luth. Erl. 1. edidi pro vulgato *valde*, quae lectio in plurimis quoque Codicibus reperitur. Ad *regiae* addit MS. Lips. 2. *domus*, quam lectionem Edd. Ven. admiserunt.

Lucretius in III. vide Ind. Pro *succidere artus* Codices mei omnes, quod satis mirari equidem non possum, vitiosissime *regie* vel *regiae* exhibent. Edd. Ven. *Incaligare — aures regiae.*

Lucanus in II. vide Ind.

eo derivata a penultimam corripiunt vel antepenultimam, ut status stata statum stabilis. Lucan. in X. *Quorum stata tempora flatus.* Idem in V. *Et quam non stabili, tremulo sed culmine cuncta despiceret.* Composita ab eo varie vetustissimi protulerunt, asto astitum et astatum, praesto praestitum et praestatum. Aemilius Porcina in oratione, uti lex Aemilia abrogetur: *Tempore astiturum atque petiturum me esse.* Brutus in epistolis: *Occiso C. Caesare, postquam mare transierat, praestatum est.* U vero longam ante tum unum habet, jutum, et ab eo compositum adjutum. Au quoque unum, lautum, quamvis vetustissimi etiam lavatum solebant dicere. Unde Terentius in Eunucho: *Abeunt lavatum, perstrepunt*, pro lautum. et Ovidius in III. Fastorum: *Silvia Vestalis (quid enim vetat inde moveri?) sacra lava-*
39 *turas mane petebat aquas.* Potum quoque pro potatum. Virg. in Bucolicis: *Et potum pastas age, Tityre, et inter agendum.* Terentius autem in Phormione perfecte protulit: *Nam potaturus apud me est.* Virgilius in Bucolicis: *Huc ipsi potum venient per prata juvenci.* Idem in IIII. Georgicon: *Quoque modo potis gauderent intuba rivis.* Lucanus in V. *Strymona sic gelidum bruma pellente relinquunt poturae te, Nile, grues.* Sciendum autem, quod in um desinens supinum, accepto verbo infinito,

---

corripiunt vel antepenultimam. Vel pro *et* e MSS.

Lucanus in X. vid. Ind. *Idem in V.* vide Ind. *quam non e stabili.* Ita e MSS. Luth. Zwicc. Dresd. Lips. 1. 2. edidi pro vulgato *et quam non stabili.*

Aemilius Porcina. Additur vulgo *orator*, quod e glossemate ortum esse patet. Omisi auctoritate MS. Lips. 2. et Edd. Ven. *esse* Codicum meorum omnium auctoritate scripsi pro *abesse.*

U vero. Pro *quoque* e MSS. restitui *vero.*

Terentius in Eunucho. Act. III. Sc. 5. vs. 52. *Ovidius in III. Fast.* vs. 11. 12.

§. 39. *Virg. in Buc.* vide Ind. *Terentius in Phorm.* vide Ind. *Virg. in Buc.* Ecl. VII. vs. 11. *Idem in IV. Georg.* vs. 120. *intuba* edidi secundum MS. Heidelb. MSS. Erl. 1. 2. Lips. 1. Luth. *intiba* pro *intyba.* MS. Lips. 2. *intima. Lucanus in V.* vide Ind.

infinitum futuri pro *infiniti futurum* scripsi auctoritate MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2.

lautum ire. Omisi, quod libri editi addunt, *vel lavatum ire*

quod est ire, facit infinitum futuri, ut oratum ire, domitum ire, lautum ire, statum ire. Frequenter tamen antiquissimi neutro participio futuri addebant esse, et infinitum futuri significabant, oraturum esse pro oratum ire dicentes, et facturum esse pro factum ire. Cato in V. Originum: *Illi polliciti sese facturum omnia*, per ellipsin esse, pro factum ire, quod Graeci dicunt *ποιήσειν*, quod est infinitum futuri. Lucilius in XVII. ad Penelopam conversus ait: *Nupturum te nupta negas, quod vivere Ulixem speras.* In hoc quoque subaudiendum est esse, id est nupturum esse, pro nuptum ire, *γαμηθήσεσθαι*. Sylla in XXI. Rerum suarum: *Ad summam perniciem rempub. perventurum esse*, pro perventum ire, *ἐλεύσεσθαι*.

Secunda conjugatio in eo desinit. Et ea termina- VIII
tio propria est secundae conjugationis, exceptis paucis 40
primae conjugationis, meo meas, beo beas, laqueo laqueas, nauseo nauseas, enucleo enucleas, creo creas, screo screas, calceo calceas, quod alii calcio calcias, et quartae duobus, eo is, queo quis, et quae ex his componuntur, ut adeo, redeo, pereo, veneo, id est venum eo, nequeo. In eo i antecedente unum invenitur, cico. Unde Virgilius in I. *Bella cient primaque vetant consistere terra.* Idem in VI. *Aere ciere viros Martemque accendere cantu.* Invenitur tamen hoc idem etiam in io

---

auctoritate MSS. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. At Edd. Ven. 1. 2. exhibent quidem hoc, omittunt vero *statum ire.*

et infinitum futuri significabant. Vulgo, *infiniti futurum.*

Lucilius in XVII. Variant Codd. in hoc numero referendo. MS. Dresd. IX. Lips. 1. XIV. Vulgatum numerum tuentur MSS. Lips. 2. Erl. 2. Pro *Ulixem* MS. Lips. 2. *Ulixes.* Duo *Ulixen.* MS. Zwicc. 2. omittit *γαμηθήσεσθαι.*

perventurum esse restitui e MSS. Luth. Lips. 1. 2. Dresd. Zwicc. 2. Erl. 2. pro vulgato *perventuram esse.* Unus meorum omittit *perniciem.* MSS. Erl. 1 2. Lips. 2. omittunt *ἐλεύσεσθαι.*

§. 40 *venum eo, nequeo.* Post *venum eo* in libris vulgatis legitur *neco.* Ponunt hanc vocem Codices MSSi post *nequeo*, ita tamen, ut ab ea sequens enunciatio initium capiat. Quod quam commode fiat, vel me non monente intelligitur.

cico. Addunt libri impressi *cies, hoc est voco. Cies* omittunt Codices mei omnes. Ineptum etiam glossema *hoc est voco* ignorant libri manuscripti, nisi quod in nonnullis, ut Erl. 2. Lips. 3., supra scriptum reperitur *i. voco. Cico* non significare *voco*, vel tiro sciit.

Virg. in I. vs. 541. *Idem in VI.* vs. 165.

desinens quartae conjugationis. Unde Statius in IIII. Thebaidos: *Suus excit in arma antiquam Tiryntha deus.* Lucanus in II. *Nunc urbes excite feras, date gentibus arma.* Lucretius: *Aurarum cimus adortus.* Livius in XVIII. *Adversus interfectores C. Caesaris ultoribus manum comparans concibat.* Praeteritum ejus tam in vi quam in ii desinit, vel civi vel cii. Lucanus in VII. *Quantas in praelia nunquam concivere manus.* Virg. in V. *Famaque*
41 *finitimos et clari nomen Acestae excierat.* Observandum autem in omnibus est verbis, quod, si minuat praesentis syllabas praeteritum, necessario penultimam producit, sive producta, sive correpta sit in praesenti, nisi syncopam patiatur, ut cieo civi, et per syncopam cii, rideo risi, faveo favi, augeo auxi, moveo movi, sedeo sedi, facio feci, fugio fugi, fodio fodi, venio veni. Ergo liqueo licui, et langueo langui, pares habent in praeterito et in praesenti syllabas. Corripiunt enim penultimas praeteriti, idque usus comprobat. Ovidius in VI. Metamorphoseon: *Imposito fratri moribunda relanguit ore.* Idem in IIII. *Nectare corpus dilicuit.* Idem in VII. *Dilicuit stagnumque suo de nomine fecit.* U loco consonantis ante eo habentia, eo in i conversa, faciunt prae-

---

Statius in IV. Theb. vs. 146. *suus* e MSSis, praeeunte Putschio, recepi pro eo, quod Edd. Bas. Colon. exhibent, *suis.*

Lucanus in II. 48. *Lucretius.* I. vs. 213. Neque *aurarum*, quod Codices exhibent, neque *avarum*, quod Edd. Ven. praestant, legitur in Lucretio. Putschius cum Ed. Bas. Ald. *auraque.*

Livius in XVIII. Vitiosum hunc esse numerum patet. Ger. Io. Vossius CXIIX legendum esse statuit. MS. Lips. 1. *Lucanus in VXVIIo.* Vides ergo, ante X scriptum fuisse numerum. Recte igitur Vossius conjecit.

Virg. in V. vs. 107.

§. 41. *Ovidius in VI. Metam.* vs. 291. *Idem in IV.* vs. 253. *dilicuit* hoc quidem loco et altero paulo post scripsi pro *delicuit*, quod falsum esse persuasum habeo. Receptam formam praestant MSS. Zwicc. 1. Heidelb. utrobique. Lips. 1. altero certe loco, nam priore *delicuit* exhibet. Item MSS. Erl. 2. Luth.

Idem in VII. vs. 381.

Virg. in IV. 367. Pro *hyrcanaeque* MS. Lips. *hyrcaneaeque.*

Horatius in I. Serm. IX. vs. 47. *velles si.* Ita e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. scripsi pro *si velles.* Post *omnes* expunxi *pro summovisses*, quia absunt haec a Codicibus manu scriptis.

§. 42. *Ninnius Crassus.* Vulgo *Nimius Cassius.* In nomine

teritum, et producunt penultimam necessario secundum praemonstratam regulam, ut moveo movi, foveo fovi, caveo cavi, paveo pavi, voveo vovi. Inveniuntur autem auctores, qui, quomodo in praeterito primae conjugationis in vi syllabam terminante faciunt in secunda tam singulari quam plurali, et in tertia plurali in runt desinente persona, penultimae syncopam syllabae, sic etiam in secunda conjugatione, quando praeteritum in vi desinit, ut Virg. in IIII. Aeneid. *Hyrcanaeque admorunt ubera tigres,* pro admoverunt. Horatius in Sermonum I. *Hunc hominem velles si tradere, dispeream, ni summosses omnes.* Conniveo, quod etiam connivo secundum tertiam protulerunt veteres, praeteritum tam in vi quam in xi habuit. Ninnius Crassus in XXIII. Iliados: *Nam non connivi oculos ego deinde sopore.* Turpilius vero in Paraterusa: *Dum ego connixi somno, hic sibi prospexit vigilans virginem.* Calvus connivere infinitum secundum tertiam conjugationem correpta penultima protulit: *Cum gravis ingenti connivere pupula somno.* Persius vero secundae protulit: *Vae, nisi connives, oleum artocreasque popello largior.* Ferveo quoque etiam fervo invenitur. Ab utroque tamen praeteritum fervi di- 42

Crassus consentiunt MSSi praestantissimi, Luth. Zwicc. 1. Lips. 1. 2. Dresd. Erl 1. 2. Heidelb. Edd. Ven. 1. 2. Pro *Ninnius* alii *Ninnius*, ut MSS. Zwicc. 1. Lips. 1. 2. Luth. Erl. 2. Heidelb. alii, ut Erl. 1. Dresd., *Nenius*. Lips. 3. *Ninnius*, si diis placet. Edd. Ven. 1. 2. *Numius*. Receptam *Ninnius* probat etiam G. Io Vossius de A. Gr. V. Cap. 24. p. 505. a. „Sed qui in vulg. editt. etiam Putschiana, vocatur Nimius Cassius, is in Veneta anni CIↃCCCCLXXVI appellatur Nummius Crassus: in Manuscripto nostro optimae notae, Ninnius Crassus. Et sane cuisce Crassi etiam mentio fit apud Nonium in Fite: ubi citat illud ex XIII. Iliad. Nunc socii, nunc fite viri. Ios. Scaliger Conjectaneis in Varronem, tum apud Nonium legit Gn. Matius, quia is Iliada Homeri vertit. Sed sane plures Iliada scribere nihil prohibet. Quare nos veterum Codicum auctoritatem secuti, ut Nimii Cassii nomen respuimus, ita Nunnii sive Ninnii Crassi plane probamus."

Calvus connivere rel. Haec usque ad *largior* hoc quidem loco desiderantur in MSS. Luth. Zwicc. 1. Erl. 2. et post *olos olis* posita conspiciuntur. Tuentur MSS. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. Zwicc. 2.

Persius. VI. 50. *Terentius in Adelphis.* Act. I. Sc. 2. vs. 72. *jam* omittitur a MSS. Lips. 2. Erl. 1. Post *adolescentiam* expunxi auctoritate MS. Zwicc. 1. *a ferveo.*

citur. Terentius in Adelphis: *Sperabam jam defervisse adolescentiam.* Virg. in I. Aeneidos: *Fervet opus redolentque thimo fragrantia mella.* Idem in VIII. a fervo: *Fervere Leucaten auroque effulgere fluctus.* Lucilius: *Fervit nunc fervit ad annum.* Terentius in Adelphis: *Cum maxime fervit, tam placidum quasi ovem reddo.* Unde fervesco. Dicitur tamen etiam per b ferbeo, ex quo ferbui. Horat. in I. Sermonum: *Velatumque stola, mea*
43 *cum conferbuit ira.* Unde et ferbesco. Nec solum ea diversarum conjugationum inveniuntur verba, sed multa praeterea, ut strideo strides, et strido stridis, fulgeo fulges, et fulgo fulgis, denseo densee, et denso densas, oleo oles, et olo olis. A strideo, Lucanus in VI. *Auribus incertum feralis strideat umbra.* A strido, Virgilius in VIII. *Striduntque cavernis stricturae chalybum, et fornacibus ignis anhelat.* A fulgeo, Virgilius in V. *Ipsique in puppibus auro ductores longe effulgent.* A fulgo, idem in VIII. *Auroque effulgere fluctus.* A denso, Ennius in VIII. Annalium: *Densantur campis horrentia tela virorum.* A denseo, Virg. in X. *Extremi addensent acies.* Ab oleo, Terentius in Adelphis: *Olet unguenta de meo.* Ab olo, Plautus infiniti verbi secundam syllabam corripuit in Mostellaria: *Non omnes possunt olere unguenta*
44 *exotica.* Supinum a praeterito fit, mutata vi in tum, ut civi citum, movi motum, fovi fotum. Nec solum in secundae conjugationis verbis in vi praeteritum facientibus, sed etiam in aliis est observandum, ut amavi

---

Virg. in I. Aen. vide Ind. *fragrantia* auctoritate MSS. Zwicc. 2. Heidelb. aliorumque restitui pro *flagrantia.* Post *mella* delevi Codicum jussu *a ferveo.*

Idem in VIII. vide Ind. *Leucaten* e MSS. restitui pro *Leucatem.*

Lucilius. Quae in editt. vulg. ab initio loci allegati leguntur, *fervit aqua et fervet*, ea omittuntur a MSS. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Heidelb. Ergo ego etiam omisi. In sequentibus variant Codd. alii *fervet* secundae conjugationis proferunt, ut MSS. Lips. 2. Erl. 2. alii prius *fervit*, posterius *fervet* exhibent. Ego secutus sum auctoritatem MS. Heidelb. et his *fervit* scripsi. Edd. Ven. pro *Lucilius* exhibent *Lucius* et locum ita scriptum dant: *nunc fervit ad hamum.*

Terentius in Adelphis. Act. IV. Sc. 1. vs. 18. Pro vulgato *fervit* scribere me *fervet* jusserunt MSS. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb. Edd. Ven. 1. 2. MS. Erl. 1. *placitum. Jovem.*

Horatius in I. Serm. 2. vs. 71.

amatum, accusavi accusatum, adiuvi adiutum, cupivi cupitum, accersivi accersitum, arcessivi arcessitum. Quaeritur, cur, quum spiro spiras, et halo halas, spiravi et halavi faciant, rerum vocabula i habeant, spiritus et halitus, quae puto esse anteriora verbis, ideoque non sequi derivativorum regulam, quomodo judicatus, id est judicatio, et dominatus, id est dominatio. Excipiuntur lavi lautum, cavi cautum, favi fautum, quae differentiae causa pro a longa au diphthongum habuerunt, propter latum, catum, fatum, quae alias habent significationes. Et sciendum, quod in omnibus hujuscemodi supinis penultima producitur, exceptis satum a sero sevi, quod etiam serui habuit in usu antiquitas, unde sertum, et a sino sivi situm, et a pono posui, vel posivi secundum antiquos, positum. Litum quoque et itum notanda sunt. Virgilius Georgicon IIII. *Et paribus lita corpora guttis.* In deo exeuntia, longa vocali naturaliter antecedente, vel ar syllaba, deo in si conversa, faciunt praeteritum perfectum, ut suadeo suasi, rideo risi, ardeo arsi. E vero vel i brevibus ante d positis, producunt easdem vocales, et eo in i mutata, faciunt praeteritum, ut sedeo sedi, et ex eo composita, insideo insedi, subsideo subsedi, resideo resedi, video vidi, invideo invidi, praevideo praevidi. Et notandum, quod a sedeo composita, quamvis in praesenti e in i convertant, in praeterito tamen eandem e productam servant, ut possideo possedi. Strideo quoque stridi 45

---

§. 43. *Virg. in V.* vs. 133.

Ennius in VIII. MS. Heidelb. *IIII.*

§. 44. *accersivi accersitum.* Haec e MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 1. 2. Erl. 1 2. Dresd. adjeci.

habent significationes. Ita MSS. Luth. Heidelb. aliique. Vulgo, *significationes habent.*

unde sertum. Plures Codd. *sertus.*

et a sino. E MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 1. 2. inserui praepositionem *a.*

litum quoque et itum. Additur in libris vulgatis *et quitum.* Omisi haec auctoritate MSS Luth. Heidelb. Tuentur tamen MSS. Lips. 1. 2 Erl. 1. In MS. Erl. 2. supra scripta sunt. Edd. Ven. *litum, itum, quitum.*

Virg. Georg. IV. vs. 99. MS Erl. 1. *guttas.*

§. 45. *ante d ponitis.* Pro vulgato *deo* restitui solam consonantem *d* auctoritate MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd.

facit, quod etiam strido stridis tertiae conjugationis invenitur. I autem tam in praesenti quam in praeterito productam habet. Virgilius in VIII. *Striduntque cavernis stricturae chalybum et fornacibus ignis anhelat.* Lucanus in VI. *Auribus incertum feralis strideat umbra.* Statius in quarto: *Hujus inaspectae luco stridere sagittae.* Attius in Alcestide: *Cum strideret retracta rursus*
IX *inferis.* Sin autem prima syllaba in deo terminatorum
46 post mutam aliquam vel m semivocalem e vel o correptas habuerit in aliquam liquidam desinentes, duplicatur, sic tamen, ut priori geminatarum extrema consonans subtrahatur. Et sic eo in i conversis fit praeteritum perfectum, ut pendeo pependi, tondeo totondi, mordeo momordi, spondeo spopondi. A quo etiam s in secunda demitur syllaba euphoniae causa. In compositione tamen haec eadem non geminant supradictam syllabam, ut respondeo respondi, dependeo dependi, demordeo demordi, praemordeo praemordi, detondeo detondi. Vetustissimi tamen detotondi protulerunt. Ennius in Annalibus: *Et detotondit agros laetos atque oppida cepit.* At Varro in Magno Talento: *Detotonderat forcipibus viticarpiferis.* Au ante deo habentia per participium in praeterito declinantur nunc, ut audeo ausus
47 sum, gaudeo gavisus sum. Vetustissimi et ausi pro ausus sum, et gavisi pro gavisus sum, protulerunt. Cato Censorius in oratione pro L. Autronio: *Beneficii postridie jussisti adesse in diem ex die non ausi recusare.* Livius in Odissia: *Quoniam audivi paucis gavisi.* L. Cassius Hemina in secundo Annalium: *Idque admiratum esse gavisi.* In hoc verbo etiam illud animadvertendum, quod ausim ausis ausit, pro subjunctivo, audeam

---

Statius in IV. vide Ind.

Attius in Alcestide. Codices praestantissimi, ut Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2., *Accius.* MS. Erl. 2. *Alcide.*

§. 46. *Vetustissimi tamen detotonderunt.* Auctoritate MSS. Luth. Lips. 2. Heidelb. omisi *etiam* post *tamen.*

In Ennii loco omittunt ab initio *et* duo meorum Codd.

Varro. Pro *viticarpiferis* MSS. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. *vitariferis.* Lips. 1. *feris.* Luth. *vitamferis.* Heidelb. *ui turiferis.* Edd. Ven. 1. 2. *vitari feris.*

§. 47. *Vetustissimi et ausi.* Auctoritate MS. Heidelb. omisi *tamen* post *vetustissimi.*

audeas audeat, invenimus. Virgilius in secundo Georgicon: *Ausim vel tenui vitem committere sulco.* Ovidius in VI. Metamorphoseon: *Et nihil est, quod non inopino captus amore ausit, nec capiunt inclusas pectora flammas.* Omnia autem supradicta verba deo in sum convertentia faciunt supina, ut rideo risum, ardeo arsum, video visum, mordeo morsum, pendeo pensum, tondeo tonsum, respondeo responsum, audeo ausum. Gaudeo vero etiam i post u assumpsit euphoniae causa gavisum. A sedeo praeterea geminavit s sessum; et fortasse differentiae causa: ne, si sesum diceretur, duae partes esse putarentur. Alia vero omnia in deo desinentia per ui 48
divisas proferunt praeteritum, ut candeo candui, studeo studui, frondeo frondui, splendeo splendui, quorum supina mutatione eo in i, et assumptione tum debent fieri, ut canditum, studitum, fronditum, splenditum. Rarissime tamen ab omnibus neutris secundae conjugationis, quae in ui divisas faciunt praeteritum, invenio vel hujuscemodi supinum, vel participium futuri, ut caleo calui, terreo terrui, tepeo tepui, horreo horrui, flacceo flaccui, rubeo rubui, langueo langui, palleo pallui. Si qua tamen inveniantur, i brevem ante tum habent. Unde Juvenalis a careo carui in secundo: *Tollere dulcem cogitat haeredem cariturus turture magno.* Et Cicero valiturus a valeo. Excipitur prandeo prandi. Plautus in Menaechmis: *Prandi et potavi, scortum accubui.* Id quoque tamen in sum facit supinum, quomodo superiora, ut pransum. Quod tamen, quamvis neutrum sit, habet participium praeteriti pransus, ut coeno coenatus, juro juratus, carco cassus, pateo passus, titubo titubatus. Et multa praeterea a vetustissimis similiter sunt 49

---

pro Lucio Autronio. Vulgo *L. Antonio.* Nos secuti sumus auctoritatem MSS. Luth. Heidelb. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Editiones Venetae, quibus usi sumus, *Lutio Antonio.*

Livius in Odissia. Ita hoc nomen et MS. Heidelb., veterrimus ille Codex, scriptum exhibet.

Virg. in II. Georg. vs. 289.

Ovidius in VI. Metamorphoseon. vs. 465. Pro *inopino* edidit Gierigius quidem *effreno.*

§. 48. *Juvenalis in II.* Sat. VI. vss. 35. 36.

Plautus in Menaechmis. Act. III. Sc. 2. vs. 11.

prolata participia praeteriti a neutralibus verbis, ut a seneo senectus, ὁ γηράσας; discedo discessus, ὁ ἀναχωρήσας; intereo interitus, ὁ ἀναιρεθείς; obeo obitus, ὁ τεθνεώς; occido occasus, ὁ δύνας; potus, ὁ πεπωκὼς καὶ ὁ ποθείς, ut juratus, ὁ ὀμόσας καὶ ὁ ὀμοθείς. Catullus: *Sed haec fuere! Nunc recondita senet quiete.* Senesco enim inchoativum est. Salustius in IIII. Historiarum: *Omnes, quibus senecto corpore animus militaris erat.* Coelius in IIII. *Custodibus discessis multi interficiuntur.* Claudius: *Pugna acriter commissa multis utrinque interitis.* Laevius in Protesilao: *Cupidius miserulo obito.* Lucilius in II. *Quae horis sublata duabus, omnia sunt sole occaso ductoque.* A decresco quoque decretum Laevius protulit in III. Erotopaegnion: *Nocte dieque decretum et auctum.* Terentius in Hecyra: *Quid ais? cum virgine una adulescens cubuerit plus potus.* Hoc tamen idem Juvenalis passive protulit in IIII. *Epotaque flumina Medo prandente.* Sicut et juratus tam active quam passive profertur. Cicero in II. Verrinarum: *Malo ei jurato suam quam injurato aliorum tabellas committere.* Lucanus in VIII. *Mihi per Latium jurata tonantem.* A titubo quoque titubatus. Virgilius in V. *Vestigia presso haud tenuit titubata solo.* Idem in II. *Nunc cassum lumine lugent.* Quamvis a careo futuri participium non cassurus, sed cariturus faciat, ut supra ostendimus Juvenalem in II. protulisse. A pateo quoque passus nascitur teste Virgilio, qui ponit in III. Aeneid. *Et pater Anchises passis de litore palmis.* Idem in II. *Passis Priameia virgo crinibus.*

---

§. 49. *τεθνεώς.* Vulgo *τεθνηκώς.* E MS. Heidelb. recepi, Putschii vestigia legens, genuinam lectionem.

Catullus. Carm. IV. s. f. Hic versus in editt. vulgatis, Putschiana quoque, pessime ita legitur: *non recondita senecta quiete. nunc* pro *non* suppeditaverunt MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. *senet* recepi e MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. Lips. 1. 2.

Coelius in IV. Vulgo *Caecilius*, quod falsum esse patet. Nomen Coelii exhibent MSS. Luth. Heidelb. Erl. 2. Lips. 1. 3. Pro *IV.* MS. Zwicc. 1. *III.* MS. Zwicc. 2. *interficientur.* Praeferrem Edd. Venetarum lectionem *interficerentur,* si Codices, vel unus tantum, suffragarentur.

Laevius in Protesilao. Nomen Laevii e MS. Lips. 1. recepi. Vulgo, *Livius.*

Laevius in II. Erotopaegnion. Vulgo *Livius,* cujus nomen perperam huic operi praefigi jam dudum docuerunt viri docti. Cupidissime igitur arripui, quod MS. Erl. 2. dabat, *Laevius.*

Terentius in Hecyra. I, 2, 64. *quid agis.* Ita pro *quid ais* scribendum mihi fuit propter consensum Codicum praestantissi-

In geo desinentia, l vel r antecedentibus, geo in si con- 50
versa faciunt praeteritum perfectum, ut indulgeo indulsi, fulgeo fulsi, algeo alsi, urgeo ursi, turgeo tursi, tergeo tersi, quod Probus, et Charisius, et Celsus, et Diomedes comprobant, et ipse omnibus validior usus. Juvenalis in I. *Sed mox et pocula torques saucius et rubra deterges vulnera mappa.* Idem in V. *Vasa aspera tergeat alter.* Horatius in II. Sermonum: *Posito pavone velis quin hoc potius, quam gallina tergere palatum.* Terentius in Eunucho: *Egone? imperatoris virtutem noveram, et vim militum, sine sanguine hoc non posse fieri, qui abstergerem vulnera.* Est enim quaternarius iambus, qui stare non potest, nisi penultima abstergerem producatur. Mulgeo quoque mulsi facit, quamvis differentiae causa quidam mulxi protulerunt, quia mulceo quoque mulsi facit. Sed Virgilius in III. Georgicon: *Quod surgente die mulsere horisque diurnis, nocte premunt.* Ennius in VII. Annali: *Mulserat huc navim compulsam fluctibus pontus.* Idem in nono: *Ciclopis venter velut olim turserat alti, carnibus humanis distentus.* Lucilius in XX. *Purpureo tersit tunc latas gausape mensas.* Idem in IIII. *Obtursi ebrius.* Syllaba vero naturaliter longa ante geo posita mutant geo in xi et faciunt praeteritum perfectum, lugeo luxi, augeo auxi, frigeo frixi. Alia vero 51
omnia in geo desinentia eo in ui divisas mutant in praeterito, ut egeo egui, indigeo indigui, rigeo rigui,

---

morum Lips. 1. 2. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. *adulescens* per *u* prolatum recepi auctoritate MS. Heidelb.

Cicero in II. Verrin. Act. I. Cap. 10. in f. *malo* ab ipso Prisciano pro *malim* scriptum esse videtur.

Lucanus in VIII. 219. Quae initio leguntur *prisca manent*, ex auctoritate plurium Codd. omisi.

Virg. in V. vs. 332. *Idem in II.* vs. 85.

ut supra. Vulgo *sicut.* Illud Codices mei omnes tuentur.

Virg. in III. Aen. vs. 265. MS. Zwicc. 2. *in litore.*

Idem in II. vs. 403.

§. 50. *Juvenalis in I.* V, 227. *Idem in V.* Sat. XIV, 62.

Horatius in II. Serm. 2. vs. 44.

Terentius in Eunucho. Act. IV. Sc. 7. vs. 9. MS. Lips. 2. *quin.* Ita et Edd. Ven. 1. 2.

Virg. in III. Georg. vs. 400. *navim* recepi ex uno Cod. meorum. Pro *pontus* duo *ponti.*

Idem in nono. Ciclopis. Ita MS. Heidelb. aliique pro *Cyclopis.*

Lucilius in XX. MS. Zwicc. 2. *tersi.*

vigeo vigui. Supina quaedam in si praeteritum terminantia i in um convertentia faciunt, sive secundae, seu tertiae sint conjugationis (nam quartae in tum faciunt supinum), ut indulsi indulsum vel indultum. Unde Marcellinus Rerum gestarum XIIII. *Tanquam licentia crudelita e indulta.* Fulsi fulsum, alsi alsum, arsi arsum, tersi tersum, laesi laesum, lusi lusum, mulsi mulsum et mulctum. Salustius in III. Historiarum: *Dein lenita jam ira postero die liberalibus verbis permulcti sunt.* Unde Cicero in Concione Metelli: *Permulsa atque recreata est.* Varro in Satura: *Capite permulso.* Torsi quoque torsum et tortum facit: itaque torsores et tortores dicuntur. Cato in II. Originum: *Marsus hostem occidit priusquam Pelignus, propterea Marucini vocantur de Marso detorsum nomen.* Terentius in Phormione: *Bonorum contortor, legum distortor.* Cicero in IIII. Verrinarum: *Quod fanum denique, quod non aversum atque extersum reliqueris.* A tergeo tersi tersum dixit secundum supradictam proportionem. Excipiuntur gessi gestum, ussi
X ustum facientia supinum. In xi vero proferentia prae-
52 teritum, cujuscunque sint conjugationis, xi in ctum convertentia faciunt supinum, ut luxi luctum, auxi auctum, frixi frictum, aspexi aspectum, illexi illectum, duxi ductum, dixi dictum, neglexi neglectum, traxi tractum, struxi structum, finxi fictum, et pinxi pictum, et strinxi strictum, et minxi mictum, quae euphoniae causa n in supino abjiciunt, quamvis junxi junctum, et tinxi tinctum, et vinxi vinctum, et cinxi cinctum, et pupugi

---

§. 51. *indulsum vel indultum.* Addunt MSS. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. *mulsum et mulctum, torsum et tortum.* Nihil tamen mutandum esse censeo.

Marcellinus. Unus meorum et Edd. Ven. 1. 2. *crudelitati.* Pro *licentia* MSS. Heidelb. Erl. 2. *diligentia.*

mulsum et mulctum. Ita MSS. Heidelb. Erl. aliique. Vulgo, *vel mulctum.*

Cicero in concione Metelli. Nonnulli Codd. meorum *contentione.* In MS. Heidelb. nota interlineari ita explicatur: *dum concionaretur pro Metello.*

Varro in Satura. E MS. Heidelb. recepi *Satura* pro *Satyra.*

tortum et torsum facit. Auctoritate MSS. Heidelb. Erl. 2. his statim subjeci *itaque — dicuntur,* quae in libris vulgatis post locum e Catone allegatum posita conspiciuntur.

Terentius in Phormione. Act. II. Sc. 3. vs. 27. *Cicero in IV. Verrin.* Or. II. Cap. 21. *aversum,* pro quo Ern. edidit *ever-*

et punxi punctum, et sanxi sanctum servēt in supino quoque u. Excipiuntur flexi et fluxi, quae in supinis quoque servaverunt x, flexum, fluxum. Quamvis vetustissimi et fluctus pro fluxus, et flucturus pro fluxurus soliti sint dicere. Unde et fluctus ipse motus aquarum. In gui vero facientia praeteritum, quia neutralia sunt, non habent in usu supina, debent autem secundum analogiam in itum ea facere, sicut supra dictum est. In queo desinens unum invenitur secundae conjugationis in si terminans praeteritum, torqueo torsi, et ex eo composita, distorqueo distorsi, contorqueo contorsi, extorqueo extorsi. Supina secundum paulo ante expositam regulam in sum proferunt, torsum, distorsum, contorsum, extorsum. Inveniuntur tamen etiam in tum et frequentius. In leo desinentia, si ante l aliam consonantem habuerint conjunctam ei in eadem syllaba, et ab oleo vel leo composita, per ui syllabam faciunt praeteritum perfectum, impleo implevi, compleo complevi, suppleo supplevi, cujus simplex verbum non legi, fleo flevi, defleo deflevi, cleo clevi, oleo olevi, aboleo abolevi, adoleo adolevi, obsoleo obsolevi, exoleo exolevi, deleo delevi, releo relevi, quamvis oleo et olevi et olui faciat. Et similiter redoleo et redolevi et redolvi, quia non mutant significationem. Horatius in I. Epistolarum: *Vina fere dulces oluerunt mane Camenae.* Lucilius vero in XXX. *Quis totum scis corpus jam perolesse bisulcis*, pro perolevisse. Virgilius in XII. *Mox cum matura adoleverit aetas.* Varro tamen etiam adolui protulit in 55

---

sum, in MS. Heidelb. ita explicatur nota interlineari: *a verbo averror. significat autem ex toto depraedatum.* MSS. Erl. 1. Zwicc. 2. *adversum — extorsum.* Erl. 1. *relinqueris. Excipiuntur gessi gestum, ussi ustum facientia.* Omittunt MSS. Heidelb. Erl. 1. Luth. Erl. 2. *gessi gestum*, et ponunt *excipitur — facientia.* Singularem ponunt Codices etiam, qui *gessi gestum* referunt. Edd. Ven. *excipitur — facientia.* Equidem nihil mutandum esse censeo, quamvis facile fieri potuerit, ut *gessi gestum* a Prisciano ipso omitteretur. Difficile tamen est judicium.

§ 55. *Horatius in I. Epp.* 19. 5.

Lucilius vero in XXX. *vero* recepi e MSS. Heidelb. Zwicc. 1. Erl. 2. Pro *scis* unus meorum Codd. *scit.*

Virgilius in XII. vs. 438.

Varro tamen etiam adolui. Pro vulg. *adoluit*, quod falsum esse

III. Rhetoricorum: *Postquam adoluerit haec juventus.* Cassius ad Tiberium secundo: *At contra Aegyptios sacrificium ubi integrum anserem adoluerunt.* Passivi quoque participium adultus pro adoletus prolatum est. Antias in LXXIIII. *Eo omnes hostiae vituli XXVII con-*
54 *jecti, et ita omnia adulta sunt.* Obsoleo quoque obsolevi facit. Non est enim a soleo, quod solitus sum vel solui secundum Salustium facit perfectum, qui in secundo Historiarum ponit: *Neque subsidiis uti soluerat compositis,* sed ab obs et oleo, sicut obscoenus ab obs et canendo vel coeno, vel ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. Unde et inquino. Cicero de Imperio Cn. Pompei: *Obsolevit jam ista ratio, re multo magis quam verbis refutata.* Idem in I. Rhetoricorum: *Hoc vero a plerisque eorum desertum obsolevisse.* Idem pro Coelio: *Chartae quoque, quae illam pristinam severitatem obtinebant, obsoleverunt.* Exoleo quoque exolevi, unde exoletus exoleta exoletum. Plautus in Medico: *Domi reliqui exoletam virginem,* id est grandem, quae exoleverat. Aboleo vero, velut redoleo, et abolui et abolevi facit praeteritum. Unde et aboletum et abolitum, et abolitio dicitur. Livius in VIII. *Et si omnis divini humanique memoria aboleverit.* Persius: *Hoc juvat, hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.* Cicero in Verrem de praetura urbana: *Vereor, ne haec cuipiam nimis antiqua et obsoleta videantur.* A deleo, cujus simplex, id est leo, in usu non est, deletum, a delino deli-

---

patet, restitui e MSS. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Luth. Lips. 1. 2. *adolui.*

Cassius ad Tib. Pro *Aegyptios* tres meorum Codd. *aegyptium.* Ed. Ven. 1. *egyptio.* Haec eadem *misi* pro *ubi.*

vituli XXVII. Nec minutiae silentio praetereundae sunt. Vulgo, *XXVI.* At vero receptum numerum praestant MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. Erl. 1. 2.

§. 54. *Cic. de imperio Cn. Pompei. ista ratio, re.* MSS. Zwicc. 1. 2. Luth. Heidelb. *oratione.* MSS. Lips. 1. Dresd. *oratio.* MSS. Erl. 2. Lips. 2. *ratione.* Edd. Ven. 1. 2. *oratione.* Vulgatam recte, puto, servavi.

Idem in I. Rhet. vide Ind. *Idem pro Coelio.* v. Ind.

obtinebant, obsoleverunt. Miror Codices meos omnes hoc loco *obsoluerunt* exhibere, quod quam vitiose scriptum sit, ultro intelligitur.

Livius in VIII. Cap. 11. MSS. Erl. 1. Dresd. *memoriam.*

Persius. Sat. I. vs. 112. *Cic. in Verrem de Praet. urbana.* vide Ind. *et* pro *etiam* e Codd.

obsoleta. Plurimi Codd. *absoleta.*

tum nascitur, quod Probus et Caper comprobant, usu quoque adjuvante. Virgil. in IIII. Georgic. *Et paribus lita corpora guttis.* Cicero in primo epistolarum ad Calvum: *Tuli moleste, quod literae delitae mihi a te redditae sunt.* Idem in IIII. Verrinarum: *Tabulae sunt in medio, quae se corruptasque atque interlitas esse clamant.* Attius in Atreo: *Epularum fictor, scelerum fratris delitor.* Supina secundum praedictam regulam in vi syllabam 55
praeteritum terminantium faciunt, ut completum, defletum, obsoletum, aboletum, abolui abolitum, deletum a deleo. Unde et letum ipsa res, quae delet, quasi a leo simplici, quod in usu non est, profertur. Alia vero omnia verba in leo desinentia eo in ui divisas transferentia faciunt praeteritum, ut doleo dolui, calleo callui, palleo pallui, excelleo excellui, quod et excello invenitur. Alia quoque omnia secundae conjugationis verba, quacunque consonante ante eo posita, eo in ui divisas convertentia faciunt praeteritum perfectum, ut habeo habui, rubeo rubui, doceo docui, arceo arcui, timeo timui, jaceo jacui, teneo tenui, caneo canui, candeo candui, stupeo stupui, tepeo tepui, pareo parui, careo carui, horreo horrui, floreo florui, censeo censui, pateo patui, liqueo licui, ex quo liquesco inchoativum. Ovidius in IIII. Metamorphoseon: *Protinus imbutum caelesti nectare corpus dilicuit, terramque suo madefecit odore.* A liceo quoque licui facit. Excipiuntur haec, jubeo 56

Cicero in I. Epp. ad Calvum. Ante *tuli* MS. Zwicc. 2. ponit *id.* Auctoritate Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. *sunt*, quod in libris vulgatis post *delitae* positum legitur, ad finem rejeci.

Idem in IV. Verrinarum Or. II. Cap. 42. 2. f.

Attius in Atreo. Codd. *Accius.*

§. 55. *completum, defletum, obsoletum.* Auctoritate Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1, 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. ante singula haec verba expunxi perfecta *complevi, deflevi, obsolevi.* Post *obsoletum* MSS. Luth. Heidelb. Erl. 2. ponunt *aboletum.*

ipsa res, quae delet. Expunxi post *delet* auctoritate MSS. Heidelb Luth. Lips. 2. 3. Erl. 1. 2. *vitam. quasi a leo.* Ita Codd. MSS. Vulgo, *leor.*

calleo callui. Vulgo *caleo calui.* Receptam lectionem praestant MSS. Luth. Heidelb.

Ovid. in IV. Metam. vs. 253. Hoc quoque loco, ut supra, pro *delicuit* scripsi *dilicuit* auctoritate MSS. Heidelb. Luth.

jussi, sorbeo vel etiam sorbo, ut Probo placet, sorpsi vel sorbui. Lucanus in IIII. *Absorpsit penitus rupes et tecta ferarum.* Cicero in II. Philipp. *Sanguinem civilem exhausit, vel potius exorbuit.* Idem pro Muraena: *Difficultatem exorbuit.* Mulceo mulsi, maneo mansi, neo nevi, haereo haesi, luceo luxi, polluceo polluxi. Plautus in Sticho: *Ut decumam partem Herculi polluceam.* Naevius in Colace: *Qui decumas partes quantum alieni fuit polluxit, tibi a publicando epulo Herculis decumas.* Supino in ui quidem divisas facientia praeteritum neutra deficiunt, sicut supra diximus, ut canui, stupui, tepui, horrui, parui, egui. Deficit etiam metui, timui. Nam a carui vel caritum vel cassum videtur posse dici, quia futuri participium cariturus, praeteriti cassus invenitur. Juvenalis in secundo, quomodo ante latum est: *Tollere dulcem cogitat haeredem cariturus turture magno.* Virgilius in II. Aeneidos: *Demisere neci, nunc*
57 *cassum lumine lugent.* Activa vero plerumque ui vocales in i correptam convertentia assumunt tum, ut habeo habui habitum, inhibeo inhibui inhibitum, praebeo praebui praebitum, moneo monui monitum. Pauca autem ui in tum convertunt, nisi consonantium natura prohibeat, ut teneo tenui tentum, doceo docui doctum, censui vero censum, quia in simplici dictione n antecedente s et t sine r sequi non possunt. Jussi vero et mulsi et mansi et haesi secundum praenuntiatam regulam in si proferentium praeteritum i in um convertentia faciunt supinum, jussi jussum, mulsi mulsum, mansi mansum, haesi haesum. A sorbui sorbitum, a

---

§. 56. *Lucanus in IV.* vs. 100. *Cic. in II. Phil.* Cap. 29. *In* ante *sanguinem* auctoritate MS. Luth. expunxi. Locus hic parum accurate redditus est. Pro *potius* MS. Lips. 2. *penitus. exorbuit.* Haec est orthographia Prisciani.

Cic. pro Muraena. Cap. 9. *Plautus in Sticho.* Act. I. Sc. 3. vs. 80. secundum ed. Both. II, 1. 80. *decumam partem.* Addunt Edd. *ex voto.* Omisi haec auctoritate MSS. Luth. Heidelb. Lips. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Zwicc. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2.

Naevius in Colace. Unus meorum Codd. *quid* pro *qui;* alius *et publicando.*

Supino. Codd. *supina.* Retinui vulgatam lectionem ex Edd. Ven. *ante latum est.* Haec est lectio Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. Vulgo, *dictum est.* E glossemate hanc lectionem ortam esse docet MS. Heidelb. in quo superscripta his sunt: *ante dictum est.*

sorpsi vero sorptum debet fieri supinum, ut ab habeo habitum, et praebui praebitum, scripsi scriptum, nupsi nuptum, quorum neutrum adhuc in usu non inveni, id est, nec sorbitum, nec sorptum. A luxi quoque luctum et a polluxi polluctum exigit ratio in xi terminantis praeteriti, sed auctoritas deficit. Nevi vero in vi terminantium servat regulam, in supino convertens vi in tum, nevi netum.

---

§. 57. *in tum convertunt.* Ita plures Codd. Vulgo, *vertunt*, *censui vero censum.* Sic MSS. Luth. Heidelb. Lips. 2. aliique. Vulgo, *censeo vero censui censum.*
in si proferentium. Edd. *proferentia.* Mox ante *scripsi* et *nupsi* auctoritate Codd. expunxi bis positam praepositionem *a*.

LIBER DECIMUS.

1 In io a antecedente unum invenitur, aio, quod in pri-
1 ma quidem persona i loco consonantis habet duplicis, quae et geminabatur a vetustissimis, aiio. In secunda vero et tertia transit in vocalem necessario, quia consonans sequitur, ais ait. Itaque pares habet in tribus personis syllabas, cum omnia in io desinentia tertiae vel quartae conjugationis una syllaba minores habent prima persona secundam et tertiam, ut facio facis facit, audio audis audit. Sed in hoc primae personae penultima positione producitur, secundae vero et tertiae corripitur, et, sicut quibusdam videtur, tertiae est conjugationis, nec per totam in usu invenitur declinationem. Cujus praeteritum, cum ait in tertia inveniatur persona, debuit ai primam facere, quae in usu non est. Potest tamen ait quoque praesens intelligi pro praeterito. Sed cum imperativus in i terminans reperiatur, quartae

---

Lib. X. §. 1. *habent* secundum Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. scripsi pro *habeant*. *Naevius.* Si sequentia, ut videtur, desumpta sunt ex fabula Atellana *Virgo praegnans*, tum Novii nomen ponendum erat, nec tamen sine auctoritate Codd. sollicitare vulgatam ausus sum.

Juvenalis I. vs. 131. *Pers.* Sat. I. vs. 113. Mirum profecto, quod plurimi, optimique etiam Codd. *pingue* proferunt. Pro *mejite* plures *meite.*

in usu est. E MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Erl. 1. 2. Lips. 2. adjeci *est.*

Horatius. Serm. I, 2. vs. 44. Edd. Ven. 1. 2. Ald. Bas. Colon. Putsch. *perminxere.* Falsum hoc esse vel prosodia vocis *calones* docet. Equidem e MSS. Luth. Heidelb. unice veram lectionem restitui. Ne fieri quidem potuit, ut Priscianus, Grammaticus scilicet, *perminxere* scriberet.

in ctum nascitur. Vulgo, *nascitur in ctum.*

magis ostenditur esse conjugationis. Naevius: *An nata est sponsa praegnans? vel ai, vel nega.* E quoque antecedente in io unum invenio mejo tertiae conjugationis, in quo similiter i loco consonantis est. Juvenalis ejus infinitum profert in primo: *Cujus ad effigiem non tantum mejere fas est.* Persius: *Pinge duos angues, pueri, sacer est locus, extra mejite.* Quidam tamen etiam mejo mejas dici putaverunt. Sed mingo quoque dicitur, ex quo praeteritum in usu est minxi. Unde Horatius: *Hunc perminxerunt calones.* Ex quo secundum regulam in ctum nascitur supinum mictum. Horatius in primo Sermonum: *Mentior, at si quid merdis caput inquiner albis corvorum, atque in me veniant mictum atque cacatum.* Unde etiam meditativum micturio, ut lectum lecturio, partum parturio, esum esurio, a supinis enim meditativa solent fieri. In io quoque u antece- 2
dente unum invenio, inquio: quod plerique artium scriptores putant in usu non esse. Sed Cicero ponit hoc in II. de Oratore: *Attendere et aucupari verba oportebit, inquio, ut ea quae sunt frigidiora vitemus.* In eodem: *Tu vero, inquisti, molestus non eris.* Idem in Verrem de Signis: *Qui me ubi viderunt, ubi sunt, Pamphile, inquiunt, scyphi?* Idem in IIII. ad Herennium: *Quid enim tibi vis? aliquis inquiat.* Ex quo apparet, secundum analogiam inquiam quoque debere dici. Idem ad eundem in IIII. *At non Africani nepotes, inquit, istiusmodi fuerunt.* In eodem: *Videte nunc, inquis, judices, quemadmodum me Plagioxippus iste tractarit.* Persius: *Hoc*

Horatius in I. Serm. 8. vs. 38.

§. 2. *Cic in II. de Oratore.* Cap. 63. Putschius cum Ald. Bas. Colon. *oportebat.* Perperam sic scribi docent MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 2. 3. Dresd.

In eodem. Cic de Or. II. Cap. 64. *Cic. de Signis.* Or. Verr. IV. Cap. 14. *Idem in IV. ad Her.* v. Ind. *Idem ad eundem in IV.* Cap. 31 Pro *nepotes* aliquot Codd. *nepotis.* Edd. Ven. 1. 2. cum nonnullis Codd. *inquit* pro *inquiet.*

In eodem. Cap. 31. *inquis* pro *inquit* edidi secundum MSS. Luth. Heidelb. Lips. 2. 3. Erl. 2. Zwicc. 1. 2. Dresd.

Plagioxippus. Ita Codices mei omnes et Edd. Ven. 1. 2. Schütz. et Ern. ediderunt *Plagiosippus*, quae forma duorum a me collatorum Codicum, qui in bibliotheca Dresd. asservantur, auctoritate commendatur. Nec hi consentiunt cum Priscia ni membrana *inquis* exhibentibus. MS. Heidelb. *Plagiosippus. Persius.* Sat. I. vs. 112.

juvat, hic, inquis, veto quisquam faxit oletum. Terentius quoque imperativum ejus inque in Phormione posuit: *Tum autem Antiphonem video ab sese amittere invitum eam, inque.* Ergo secundum analogiam tertiae conjugationis invenitur ejus tota fere declinatio verbi. Supinum vero ab eo non inveni, nec quae solent ab eo
3 nasci. In cio a antecedente mutant eam in e productam, et abjecta o productaque i faciunt praeteritum perfectum, ut facio feci, jacio jeci. Ex his composita cum praepositione quamvis in praesenti mutant a in i, tamen praeteriti regulam servant, quae est in simplicibus, ut efficio effeci, perficio perfeci. Ideo autem dixi, cum praepositione composita mutare a in i, quia, si cum alia parte componuntur, servant a, ut calefacio calefeci, tepefacio tepefeci, tremefacio tremefeci, stupefacio stupefeci. Abjicio quoque abjeci facit, conjicio conjeci, injicio injeci, projicio projeci. Invenitur tamen etiam simplex, icio icis. Unde Virgilius in XII. *Ictum jam foedus, et omnes compositae leges.* Alia vero i ante cio habentia eandem i in e convertunt, et cio in xi, ut aspicio aspexi, conspicio conspexi, illicio illexi, pellicio pellexi. Excipitur elicio elicui. Livius ab Urbe condita lib. V. *Ad colloquium vatem elicuit.* Et puto ideo, ne, si elexi diceremus, necessario participium electus fieret, et esset dubitatio significationis. Pellicui quoque pro pellexi veteres protulerunt. Laevius in Laudamia: *Aut nunc quaepiam alia te illo Asiatico ornatu affluens, aut Sardiano ac Lydio fulgens decore, et gloria pellicuit.* Sed Terentius in Phormione: *Is senem per epistolas pellexit, modo non montes auri pollicens.* Invenitur etiam allicuit et pellicuit. Piso Historiarum primo: *Cujus unius praemio multorum allicuit animos.* P.

Terentius in Phormione. Act. V. Sc. 7. vs. 25. *autem,* quod omiserunt editiones, Putschiana etiam, inserui e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 2. Unus meorum *ad sese admittere* pro *ab sese amittere.*

§. 3. *mutant a in i. mutant* secundum MS. Zwicc. 1. posui pro *mutent.* Mox *componuntur* secundum MS. Lips. 2. et Edd. Ven. 1. 2. pro *componantur.*

Virg. in XII. vs. 314.

Livius ab urbe cond. v. Ind.

Laevius in Laudamia. Editiones, ne Putschiana quidem excepta, *Livius.* Erl. 2. *Naevius.* Heidelb. *Lavius,* e corr. *Livius.*

Varro belli Sequanici libro secundo: *Deinde ubi pellicuit dulcis levis unda saporis.* Supina ex illis quidem, 4
quae a habent ante cio, fiunt a praesenti, io conversa in tum, ut facio factum, jacio jactum. In omni enim verbo, sive penultima, sive antepenultima sit, a servatur etiam in supino, quamvis mutetur in praeterito perfecto, ut facio feci factum, jacio jeci jactum, capio cepi captum, ago egi actum, frango fregi fractum, cado cecidi casum. Ex his composita, quae in praesenti mutant a in i, ut facio inficio, capio incipio, et in supino a in e convertunt, ut factum infectum, captum inceptum. Illa vero, quae componuntur a verbis in go desinentibus, quamvis mutent a in i, tamen in supino immutabilem servant eam, ut ago exigo exactum, frango infringo infractum, tango contingo contactum, pango impingo impactum. Quae vero in xi terminant praeteritum secundum praemonstratam regulam, xi in ctum convertentia faciunt supinum, aspexi aspectum, illexi illectum: elicui vero elicitum fecit. Unde Lucanus in IX. *Virus et elicitum jussumque exire repugnat.* Et Statius in quarto Thebaidos: *Durae quam mortis limite Manes elicitos.* In 5
dio desinens unum invenio, fodio fodi, et ex eo composita perfodio perfodi, effodio effodi. Quod penultimam praeteriti produxit necessario secundum praedictam regulam, quam ostendimus. Quod si minuantur praesentis syllabae, in praeterito producitur penultima, nisi per syncopam vel apocopam proferatur. Supinum in sum facit geminata s, ut fodi fossum. Omnia enim verba, quae in di finiunt praeteritum perfectum, in sum faciunt supinum, ut prandi pransum, momordi morsum, tetendi tensum, pandi pansum, defendi defensum, ascendi ascensum, sedi sessum, excepto dedi, quia pri-

---

Equidem secundum hunc Cod. et Luth. posui *Laevius.* Caeterum hi ipsi Codices, v. c. Erl. 2, qui hoc loco falsum nomen proferunt, supra verum nomen prodiderunt. Igitur, ut sibi constent, vel inviti cogendi sunt. *Laudamia.* Vulgo *Laodamia.* Ego secutus sum MSS. Heidelb. Erl. 1. 2. Luth. alioque et rudiorem formam, antiquissimo Romanorum scriptori, puto, convenientiorem, praetuli.

Terentius in Pharm. Act I. Sc. 2. vs. 17. 18.

§. 4. *elicitum fecit* Pro vulgato *facit* e MS. Luth. dedi *fecit.* *Lucanus in IX.* vs 932. *Statius in IV.* vs. 314.

mae est conjugationis, quae nunquam in sum facit supinum, et ex eo compositis. Quae in tertiam transeunt conjugationem, et a penultimam simplicis supini in i convertunt, ut do dedi datum, reddo reddidi redditum, perdo perdidi perditum, vendo vendidi venditum. credo credidi creditum, condo condidi conditum. In dior quoque deponentia in sum faciunt supinum, ordior orsum, ingredior ingressum. In gio similiter producta antepenultima et ablata o extrema faciunt praeteritum perfectum, ut fugio fugi, confugio confugi, perfugio perfugi, refugio refugi. Supinum o in tum convertit, fugio fugitum, confugio confugitum, perfugio perfugi-
II tum, refugio refugitum. In pio, ca antecedente, mu-
6 tant a correptam in e productam, et abjecta o productaque i faciunt praeteritum perfectum, ut capio cepi. Ab eo composita, in praesenti quidem mutant a correptam simplicis in i brevem, praeteritum vero integrum manet, ut incipio incepi, recipio recepi, suscipio suscepi. Supinum tam ejus quam omnium in pi vel psi vel mi terminantium praeteritum per ptum profertur, ut cepi captum, incepi inceptum, concepi conceptum, rupi ruptum, scalpsi scalptum, compsi comptum, prompsi promptum, dempsi demptum, scripsi scriptum, nupsi nuptum, emi emptum, ademi ademptum. Rapui quoque raptum facit. Similiter ex eo composita, corripui correptum, arripui arreptum. Cu vero ante pio habentia o in i convertunt, et producunt penultimam in praeterito, ut cupio cupivi vel cupii, et ex eo composita, ut concupio concupivi vel concupii. Vetustissimi

---

§. 6. *mutant a correptam.* E MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Lips. 2. Erl. 1. 2. Dresd. adjeci *correptam.*

in pi vel psi vel mi. Binis his locis omisi *in* auctoritate Codd.

Similiter ex eo. Post *similiter* expunxi *et* Codicum suasu.

Lucret. Lib. I. vs. 72. *effringere.* Hoc dedi pro *confringere* e MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. *terrarum* pro *portarum* scribendum mihi fuit propter consensum Codicum Luth. Heidelb. Zwicc. 1. Erl. 1. 2. Lips. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. Denique *arta* secundum MSS. Heidelb. Luth. Edd. Ven. 1. 2. edidi pro *arcta.*

§. 7. *Horatius in IV. Carm.* 13. vs. 20.

Nonius Marcellus. Erl. 2. et Edd. Ven. vitiosissime *Naevius.* Alius *Marcellius.*

Novius Virgine praegnante. Vulgo *Naevius.* Paene inextri-

autem etiam secundum quartam conjugationem solebant proferre hoc verbum. Lucretius libro I. *Effringere ut arta naturae primus terrarum claustra cupiret.* In ui 7
divisas faciens praeteritum unum invenio supradictae terminationis, rapio rapui. Et ex hoc composita eripio eripui, surripio surripui. Nam surpui per syncopam protulerunt quidam poetarum, ut Horatius in IIII. Carminum: *Quae me surpuerat mihi felix post Cinaram.* Sapio tam sapivi vel sapii quam sapui protulisse auctores inveniuntur. Probo tamen sapui placet dici, Charisio sapui vel sapivi, Aspro sapivi et sapii secundum Varronem, quod Diomedes etiam approbat. Nonius tamen Marcellus de mutatis conjugationibus sic ponit sapivi pro sapui. Novius Virgine praegnante: *Quando ego plus sapivi, qui fullonem compressi quinquatribus.* Terentius similiter: *Cum intelligo resipiisse,* pro resipuisse. Caper utrumque in usu esse ostendit. Afranius in Brundusinis: *Equidem nunc resipui, postquam pectus est laetitia onustum.* Plautus in Rudente: *Pol magis sapuisset, si dormisset domi.* Coepio, quod in usu non est, coepi facit praeteritum. Terentius tamen in Adelphis praeteritum imperfectum subjunctivi ejus verbi, quod nascitur ex praesenti, profert: *Sinerem ego illum? ac non sex totis mensibus prius olfecissem, quam ille quidquam coeperet?* Supinum a cupivi et sapivi secundum supradictam analogiam mutata ui in tum profertur, cupitum et sapitum. In rio unum inveni, pario peperi. Vetustissimi tamen 8
et secundum quartam conjugationem hoc protulisse inveniuntur. Ennius: *Ova parire solet genus pennis con-*

---

cabilis est error Codicum in nominibus Naevii, Laevii, Livii, Novii. Hoc quidem loco MSS. Lips. 2. Luth. Dresd. *Novii* nomen recte tuentur. Is enim fuit Atellanarum scriptor, qualis fuit *Virgo praegnans.* Hoc ergo nomen vel invitis Codicibus restituendum est, ubicunque hujus fabulae mentio fit. Praepositionem *in* ante *Virgine* omisi Codicum plurimorum auctoritate. Citare sic solet Priscianus.

Terentius similiter. Heaut. Act. IV. Sc. 8. vs. 5.

Plautus in Rudente. Act. IV. Sc. 1. vs. 8.

Terentius in Adelphis. Act. III. Sc. 4. vs. 32. Pro vulgato *aut* scribere debui *ac.* Hanc enim lectionem tuetur Codicum consensus. Nescio igitur, qua auctoritate libri Veneti suum *aut* ediderint. Zwicc. *totis sex.* Zwicc. 1. *sineremne.*

decoratum. Sed Terentius in Adelphis: *Neque parere jam diu haec per aetatem potest.* Idem in Andria: *Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.* Supinum partum debet esse, unde et partus et parturio meditativum. Plerumque enim regulam supini sequuntur tam meditativa quam frequentativa, exceptis quibusdam, de quibus in significatione verbi diximus, ut lectum lecturio et lectito, mictum micturio et mictito, dictum dicturio et dictito. Sic ergo partum parturio et partito. Statius tamen in XII. Thebaidos participio futuri addidit i: *Atque hosti veniat paritura marito.* Deponentia in rior desinentia, orior et morior, tam secundum tertiam quam secundum quartam conjugationem declinaverunt auctores, orior oreris et oriris, morior moreris et moriris. Lucanus in IIII. *Non gratis moritur jugulo, qui provocat hostem.* Ennius in XIIII. Annali: *Nunc est ille dies, cum gloria maxima sese nobis ostentat, si vivimus, sive morimur.* Terentius in Eunucho: *Risu emoriri omnes denique.* Virgilius in II. Aeneidos: *Telis nostrorum obruimur oriturque miserrima caedes.* Lucilius in III. *Conturbare animam potis est, quicunque adoritur.* Eorum supina ortum et moritum, quamvis oriturus, non orturus, inveniatur participium futuri, sed praeteriti ortus, non oritus, dicitur. Horatius Epistolarum libro II. *Nil orituram alias, nil ortum tale fatentes.* A morior quoque notandum, quod, cum moriturus secundum analogiam faciat participium futuri, mortuus fecit praeteritum geminata u, quod in nullo alio participio invenies, pro mortus vel moritus, quod proportio magis exigebat. In tio desinens per si facit praeteritum geminata s, quatio quassi, quod, teste Charisio, in usu non est. Percutio

---

§. 8. *Terentius in Adelph.* V, 8, 8. Vulgo legitur, *in Phormione. Ter. in Andria.* Act. III. Sc. 1. vs. 14. *Statius in XII.* vs. 549.

Lucanus in IV. 275.

Ennius in XIV. Ann. Pro vulgato *ostendat* reposui e Cod. Zwicc. 2. *ostentat.* Dresd. *ostendit.* Duo meorum Codd. pro priore *si* exhibent *sive.*

Terentius in Eunucho. Act. III. Sc. 1. vs. 52. Pro *emoriri* Zwicc. 2. *emori.* Post *denique* addit MS. Heidelb. *metuebant.* Mihi quidem Priscianus *denique* ad antecedentia traxisse videtur.

Virg. in II. vs. 411. In proxime sequente Lucilii loco unus meorum Codicum exhibet *conturbari.*

percussi, incutio incussi. Supinum secundum regulam in si terminantium praeteritum exit, quassum, unde frequentativum quasso quassas. Similiter percussum, incussum. Nam ussi ustum, gessi gestum, torsi torsum vel tortum excipiuntur, et quae quartae conjugationis in si terminant praeteritum perfectum, farcio farsi fartum, sarcio sarsi sartum, fulcio fulsi fultum, haurio hausi haustum. P vero ante si posita, sicut supra dictum est, per ptum faciunt supinum, demo dempsi demptum, promo prompsi promptum, nubo nupsi nuptum, scribo scripsi scriptum. In tior deponens tam tertiae quam quartae conjugationis unum invenitur, potior. Virgilius in III. Aeneidos: *Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat et auro vi potitur.* I secundum tertiam conjugationem corripuit penultimam. Lucilius vero in V. *Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur.* Secundum quartam conjugationem producta penultima protulit similiter Naevius in Iliados II. *Foecundo penetrat penitus thalamoque potitur.* Infinitum tamen secundum quartam semper invenitur. Cicero in III. Invectivarum: *Rerum potiri volunt.* Supinum in itum desinit penultima producta, potitum. In uo divisas quacunque antecedente consonante desinentia mutant o in i, ut acuo acui, imbuo imbui, induo indui, diluo dilui, annuo annui, spuo spui, suo sui, metuo metui, arguo argui. Virgilius in IX. *Euryalus me nulla dies tam fortibus ausis dissimilem arguerit, tantum fortuna secunda.* Idem in XI. *Verba redarguerit.* Excipiuntur struo struxi, fluo fluxi, pluo pluvi. Livius in II. ab urbe condita, et in XXI. et in XXII. *Lapidibus pluvisse.* Et in XXIII. *Sanguine pluvit.* Nam unguo Nisus quidem et Papyrianus et Probus tam

---

§. 9. *Horatius Epp. libro II.* 1. vs. 17. Pro vulgato *nihil* Codd. Luth. et Lips. 1. *nil*, quod mihi probatum recepi.

§. 10. *Virg. in Aen. III.* vs. 55.

Naevius in Iliados secundo. Ger. Io. Vossius de Anal. Libro III. p. 318. b. *Laevius* legi vult. Equidem non puto recte hoc visum esse Viro praeclaro. *foecundo* plurimi Codd., inter quos MSS. Lips. 1. Zwicc. 1. Luth. Erl. 1. 2. Dresd. Heidelb., omittunt. Equidem retinui auctoritate MS. Lips. 2. Facile enim fieri potuit, ut haec vox ab antecedente *secundo* haurietur.

Virg. in IX. vs. 280.

§. 11. *Nisus quidem.* Vulgo. *quidem Nisus.* Ego Codices meos secutus sum.

ungui quam unxi dicunt facere praeteritum; Charisius vero unxi tantum. Coquo vel, ut alii, coco coxi, linquo liqui, tinguo vel tingo tinxi. Haec tamen non videntur in uo divisas terminare, in quibus u vim literae amittit. Unde in guo quidem syllabam terminantia hujuscemodi servant regulam in go terminatorum, sicut et quae in quo finiuntur, rationem sequuntur in co desinentium. Dicimus enim unguo unxi, et linguo linxi, ut pingo pinxi, et linquo liqui, ut vinco vici. Ninguo quoque ninxi, unde et nix, sicut a duxi dux, a rexi rex. Virgilius in III. Georgicon: *Interea toto non secius aequore ninguit.* Attius in Andromeda: *Cum ninxerint caelestium molem mihi.* Extinguo etiam extinxi, cujus simplex stinguo in raro est usu. Virgilius in IIII. Aeneid. *Cum genere extinxem memet super ipsa dedissem,* pro extinxissem protulit. Cicero tamen in Arato stinguens participio usus est, quod a verbo stinguo nascitur: *Quem neque tempestas perimet, neque longa vetustas interimet stinguens praeclara insignia caeli.* Idem passivum ejus verbi in Prognosticis protulit: *Ut cum luna means Hyperionis officit orbi, stinguuntur radii caeca caligine tecti.*

12 Illud quoque sciendum, quod in ui divisas terminantia praeteritum perfectum, cum soleant corripere penultimam, tamen vetustissimi inveniuntur etiam produxisse eandem penultimam, in his maxime, quae a praesenti in uo divisas desinente proficiscuntur, ut eruo erui, arguo argui, annuo annui. Ennius in II. *Annuit sese mecum decernere ferro.* Supina eorum i praeteriti in tum convertunt, et producunt u penultimam, acui acutum, imbui imbutum, indui indutum, annui annutum, innui innutum, argui argutum, unde et participium argutus,

---

Dicimus igitur unguo unxi et linguo linxi, ut pingo pinxi. igitur pro vulgato *enim* recepi e MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Zwicc. Quae post *igitur* sequuntur, apud Putschium leguntur ita: *ungo unxi, ut lingo linxi et pingo pinxi.* Quantum nostra praestet lectio, non longa eget oratione; nititur auctoritate MSS. Heidelb. Luth. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2.

Virg. in III. Georg. vs. 367.

Attius in Andromeda. Codd. *Accius* vel *Actius. ninxerint.* Vulgo legitur *ninxerit*, qua auctoritate, nescio. Receptam lectionem praestant MSS. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Dresd. Reliqui *ninxerunt.*

id est convictus. Plautus in Pseudolo: *Argutus malorum facinorum.* et futurum arguturus, et derivativum ex hoc verbum argutor argutaris. Invenitur tamen in usu etiam arguiturus pro arguturus. Salustius in II. Historiarum: *Quos adversum multi ex Bithynia volentes accurrere, falsum filium arguituri.* Plautus iterum in Pseudolo de sycophanta: *Ecquid argutus es?* pro convictus. Excipitur rutum vel ruitum, quod u corripuit, vel quod i servavit. Nam secundum futuri participium, id est ruiturus, debet ruitum esse. Lucanus in IIII. *Ruituraque semper stat mirum moles.* Secundum praeteritum vero debet rutum dici penultima correpta. Virgilius in XI. *Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum Pergama.* Et videtur hoc per syncopam i vocalis in praeterito prolatum erutus pro eruitus, ideoque tempus praeteriti perfecti simplex, quod habuit u ante i, servasse. A spuo et metuo et pluo secundum analogiam sputum et metutum vel metuitum, et plutum a pluvi, velut adjutum ab adjuvi, debent facere, sed in usu ea non inveni. Alia vero supradictae terminationis verba 13 extremam syllabam praeteriti in ctum convertunt, ut struxi structum, unxi unctum, liqui lictum. Excipitur fluxum, ut jam supra dictum est. Deponentia in quor mutant eam in cu, et assumentia tum faciunt supinum, loquor locutum, sequor secutum, fruor vero fructum facit, sicut struo structum. Cicero in Hortensio: *Et amoenitate summa perfructus est.* Ulpianus tamen ad Sabinum futurum *fruiturum* dixit, non fructurum, quomodo ortum oriturum, erutum eruiturum, mortuum moriturum. Quae cum in praeterito non habeant i, in futuro habent. In vo, u loco consonantis posita, in l

---

Virg. in IV. Aen. vs. 606.

§. 12. *Ennius in II.* MS. Luth. *adnuit.* Unus meorum *discernere*

Plautus in Pseudolo. Act. II. Sc. 4. vs. 56. Mox pro vulg. *occurrere* MSS. Luth. Lips. 1. *accurrere*, quos secutus sum.

Plautus in Pseud. de sycophanta. Act. II. Sc. 4. vs. 56.

Lucanus in IV. v. Ind. *Virg. in XI.* vs. 279.

§. 13. *Ulpianus ad Sabinum.* Vulgo *Sauinum.* Codices variant. Plures referunt vulgatam. alii *Favinum*, alii *Suavinum.* Nos lectionem Erl. 2. exprimendam curavimus.

quidem desinente penultima, o extremam in i convertunt, et faciunt praeteritum, ut solvo solvi, volvo volvi, calvo calvi. Unde Salustius in III. Historiarum infinitum passivi protulit: *Contra ille calvi ratus*, calvi pro decipi. Vocali vero natura longa antecedente vo in xi convertitur in praeterito, ut vivo vixi. Supinum i in tum convertentia faciunt, u necessario in vocalem redeunte, solvi solutum, volvi volutum. Sic debet etiam calvi calutum facere, quod tamen in usu non inveni: et puto calumniam ex hoc esse derivatum. Vixi autem in xi terminantium regulam servat in supino vi-
III ctum. In bo desinentia verba, vocali longa antecedente, bo in psi convertentia faciunt praeteritum perfectum, ut scribo scripsi, nubo nupsi. Nunquam enim b ante s in principio syllabae potest inveniri, ut Pseudolus, ipse. Alia vero o in i mutant in praeterito, ut bibo bibi. Cicero in Verrem secundo: *An unquam iste de se bonam spem habuisset, nisi de vobis malam opinionem animo imbibisset?* Ovidius in VI. Metamorphoseon: *Uberaque ebiberant avidi lactantia nati.* Lambo quoque lambi. Lucilius in XXIII. *Jocundasque puer qui lamberat ore placentas.* Similiter scabo scabi. Idem Lucilius in IX. *Scaberat ut porcus contritis arbore costis.* Excipitur unum, incumbo incumbis, quod etiam incubo incubas secundum primam conjugationem profertur, quod incubui facit praeteritum, et omnia a cubo composita, sive primae, sive tertiae sint conjugationis, ut accumbo vel accubo accubui, incumbo vel incubo incubui. Et nunc quidem simplex eorum, id est cubo cubas, primae est conjugationis. Vetustissimi tamen et haec et omnia, quae in ui divisas faciunt praeteritum perfectum in prima conjugatione, etiam secundum ter-
15 tiam solebant declinare. Supina vero in psi quidem terminantium praeteritum psi in ptum convertunt, ut scripsi scriptum, nupsi nuptum. In bi vero assumunt tum, bibitum, lambitum, accubitum, unde et accubitus dicitur. Et notandum, quod, cum omnia in si terminantia praeteritum, sicut supra docuimus, in sum terminent

---

§. 14. *Cic. in Verrem secundo.* Act. I. 14. Secundum MS. Zwicc. 2. pro *iste unquam* scripsi *unquam iste.*
Ovidius in VI. Metam. vs. 342.
Lucilius in XXIII. MS. Heidelb. XXIV. Pro *jucundas* restitui

supinum, exceptis quartae conjugationis verbis, haec quoque, quae p vel m ante si habuerint, si in tum convertunt, ut nupsi nuptum, scalpsi scalptum, scripsi scriptum, demsi demptum, sumsi sumptum. In quibus etiam p euphoniae causa interponitur, quod etiam in praeterito quibusdam placuit adscribere. In bor deponentia mutant bor in psum et faciunt supinum, ut labor lapsum. Nulla autem causa alia est mutandae b in p ante s vel t in principio syllabae positae, nisi euphoniae, cujus ratio apud Graecos quoque observantissimos ejus servata est in supradictarum consonantium scriptura, ut κρύβω ἔκρυψα κέκρυπται, λείβω ἔλειψα λέλειπται. Pro ψ enim Graeca nos in principio syllabae ps scribimus, ut nubo nupsi nuptum, scribo scripsi scriptum, scalpo scalpsi scalptum. In co, n antecedente, abjecta n, et o in i conversa, faciunt praeteritum, penultima quoque producta, ut vinco vici, convinco convici, linquo quoque, quod consimilem videtur habere terminationem, liqui facit praeteritum, abjecta n, sicut supra quoque docuimus. S vero praecedente mutant sco in vi, nisi sint inchoativa, (illa enim carent praeterito perfecto) quiesco quievi, pasco pavi, cresco crevi, adescisco adscivi, consuesco consuevi vel consuetus sum. Charisius tamen etiam consueo ponit. Omnia tamen, quae 16
praeteritum perfectum in vi terminant adjectam, frequenter invenimus per secundas et tertias personas syncopam penultimae pati syllabae, cum ab u loco consonantis incipit, ut amavi amavisti vel amasti amavit, amavimus amavistis vel amastis amaverunt vel amarunt. Neo nevi nevisti vel nesti nevit, nevimus nevistis vel nestis, neverunt vel nerunt. Ideo autem addidimus adjectam, quoniam, si in positione sit u consonans, syncopam pati non potest, ut lavo lavi lavisti, non possumus dicere lasti pro lavisti, nec pro lavistis lastis, nec pro laverunt larunt. Similiter faveo favi favisti, nemo dicit fasti, nec pro fovisti fosti, nec pro solvisti solsti. Sed invenio, Horatium auctoritate fecisse in quibusdam concisionem, quamvis positio verbi

---

e MSS. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. alique *jocundas*. *Idem Lucilius in IX.* Unus alterve meorum Codd. *X.*

§. 16. *omnia tamen, quae.* Post *tamen* expunxi Codicibus jubentibus *ea.*

habeat u consonantem, moveo movi movisti, ex quo summosses posuit Horatius pro summovisses in I. Sermonum: *Hunc hominem velles si tradere, dispeream, ni summosses omnes. Non isto vivimus illic, quo tu rere modo.* Item commorit pro commoverit idem Horatius ponit in II. Sermonum: *At ille, qui me commorit, melius*
17 *non tangere clamo flebit.* Unum invenitur in sco desinens verbum apud vetustissimos, cujus praeteritum perfectum in xi protulerunt, teste Capro, conquinisco conquexi. Est autem conquinisco, caput inclino. Pomponius in Vacca vel Marsupio ait: *Simul introveni, accessi ad patrem, prendi manum in terra, ut cubabat nuda, ad eum ut conquexi, interim mulieres conspiciunt.* Excipiuntur praeterea ejusdem terminationis, compesco compescui, dispesco dispescui, quod ponit Apulejus in dialogo, qui est de deo Socratis: *Cum et habitacula summa ab infimis tanta intercapedine fastigii dispescant,* pro distent. Excipiuntur praeterea disco didici, posco poposci et ex eis composita, quae similiter faciunt praeteritum, dedisco dedidici, deposco depoposci. Vocali vero natura longa antecedente in co desinentia in xi syllaba finiunt praeteritum, ut duco duxi, dico dixi. R antecedente unum inveni, parco, quod et peperci, et parsi facit praeteritum. Lucanus in II. *Parvum sed fessa senectus, sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.* Terentius in Hecyra: *Heu me infelicem, hanccine ego vitam parsi perdere.* Ico praeterea penultima brevi profertur in praesenti, teste Capro, sed producit eam in praeterito perfecto, et mutat o finalem in i, ico ici, unde ictus. Cato Censorius de Veturio: *Hostem Nu-*

Horatius in II. Serm. I. vs. 45.

§. 17. *Pomponius in Vacca.* Pro *Vacca* tres meorum Codd. *bacha.* Lips. 3. omisit.

Excipiuntur e MSS. restitui pro *excipitur.*

Apulejus de Deo Socratis. p. 44. Ed. Elm. Cod. Zwicc. 2. *Et cum* pro *Cum et.*

Lucanus II. 129. Pro *flammis* unus meorum Codd. *flammas. Terentius in Hecyra.* Act. III. Sc. 1. vs. 2.

Cato Censorius de Veturio. In hoc exiguo fragmento admodum variant Codices. Libri editi *numum icit,* quae lectio mihi quidam male sana esse videtur. Zwicc. 2. Dresd. *nimium.* Erl. 1. Heidelb. *numum.* Lips. 2. *non.* Edd. Ven. *nunc.* Equidem praetuli lectionem Codd. Luth. Lips. 1. et posui *Numium.*

mium icit. Coelius in I. *Qui cum iis ita foedus icistis.* Lucretius tamen etiam in praesenti producit penultimam: *Exin corpus propellit et icit.* Supina in ci quidem terminantium praeteritum i in tum convertunt, ut vici victum, convici convictum. Eandem servant 18
regulam liqui lictum, et ex eo composita, reliqui relictum, deliqui delictum. Nec mirum est, cum post q u posita vim literae amittat, in ci desinentium regulam sequi. Quae vero in vi syllabam proferunt praeteritum perfectum, mutant eam in tum, et faciunt supinum, requievi requietum, unde participium fit futuri requieturus. Cicero contra Metellum: *Nisi eorum exitio non requieturam.* Cresco crevi cretum, adscisco adscivi adscitum, descisco descivi descitum. Livius in XXV. ab urbe condita: *Descitum ab Romanis.* Et notandum, quod ab inchoativo scisco composita primitivi, id est scio, habuerunt praeteritum, secundum rectam vero proportionem debent eorum quoque perfecta a scio et descio esse. Nosco novi notum. Similiter ex eo composita, ignosco ignovi ignotum. Terentius in Adelphis: *Ignotum est, tacitum est, creditum est.* unde et participium futuri ignoturus. Cicero in Catone majore: *Ignoturum alteri, quod patrem, alteri, quod tutorem secutus esset.* Cato in V. Originum: *Quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est.* Quidam tamen contra regulam a praesenti tempore hoc derivatum protulerunt, ignosco ignosciturum. Piso Frugi in II. Annalium: *Quodcunque deliquisset, ignosciturum affirmabat.* Notan- 19
dum tamen, quod cognosco cognovi cognitum et agnosco agnovi agnitum in frequentiori usu faciunt pro o

---

Coelius in I. Ita Codd. Lips. 2. Erl. 2. Dresd. Heidelb. Perperam Ed. Bas. obtrusit *Caecilii* nomen. Pro vulg. *icitis* e Codd. Erl. 1. Lips. 2 Zwicc. 2. scripsi *icistis.*

Lucretius tamen. III. vs. 161. Vitiose Putschius *exhinc.* Nos MSS. Zwicc. 2. Dresd. Lips. 1. Heidelb. secuti restituimus *exin.*

§. 18. *Terentius in Adelphis.* Act. III. Sc. 5. vs. 28.

Cic. in Catone majore. *Ignoturum* pro *ignoturus* propter Codicum praestantissimorum consensum scribendum mihi fuit. MS. Lips. 2. post *alteri* ponit *quidem* et omittit, *quod patrem, alteri.* Haec et Edd. Ven. omittunt.

Cato in V. Orig. MS. Luth. *in II.*

Piso Frugi in II. Ann. MS. Zwicc. 2. pro *quodcunque* posuit *quod cum.*

penultima producta, quam vetustissimi servabant analogiam sequentes, i correptam adhibentia. Unde Juvenalis in primo: *Agnitus accipies, jubet a praecone vocari ipsos Trojugenas.* Lucanus in secundo: *Calida mihi cognitus axis Aegypto atque umbras nunquam flectente Syene.* Salustius tamen secundum analogiam in II. Historiarum: *Neque inermes ex praelio viros quenquam agnoturum.* Pacuvius secundum utrumque protulit: *In turba Oresti cognita, agnota est soror.* Pasco pavi servavit in supino s solum pastum. Compesco compescui, et depesco depescui, et posco poposci, et disco didici, a praesenti tempore faciunt supinum mutatione o in i correptam et additione tum, compesco compescitum, posco poscitum, disco discitum. Unde Apulejus participium futuri protulit in Phaedone de anima: *Sic auditurum, sic disciturum, quod melius sit, haec omnia et singula sic agere aut pati, ut patiuntur atque agunt.* In xi finientia praeteritum perfectum faciunt supinum secundum supradictam regulam, dixi dictum, duxi ductum. Peperci vero vel parsi parsum facit supinum secundum in si terminantium regulam, unde parsurus participium futuri. Varro in Laterensi: *Parsurus pecuniis bene partis.* Livius in XXV. ab urbe condita: *Neeo dum eos Capuae parsuros credam.* Senesco inchoativum

---

§. 19. *Juvenalis in I.* vs. 99. 100.

Lucanus in II. vs. 587. Putschius cum Ald. Bas. Colon. post *calida* posuit *medius*, quod Codices ignorant. Deinde *nunquam* pro *nusquam* e MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Erl. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. eo libentius recepi, quod equidem persuasus sum, lectionem *nusquam* nec in Lucano ferri ullo pacto posse.

depesco depescui. Haec est lectio Codd. Luth. Heidelb. Erl. 1. Lips. 1. 2. Dresd. pro vulg. *dispesco dispescui.* Erl. 2. *tepesco.* Post *compesco compescitum* legitur in Putschiana caeterisque editionibus, *dispesco dispescitum*, quod cum absit a MSS. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd., omittendum duxi.

Apulejus in Phaedone de anima. Pro *Phaedone* plures Codd. *phaedrone. de anima* traxi ad antecedentia, cum vulgo ad sequentia pertinere putentur. Pro *qui* Edd. Ven. 1. 2. *quid.* Equidem ex MS. Erl. 1. recepi *quod.* Pro vulgato *scit* e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Dresd. Edd. Ven. scripsi *sit.* Pro *haec* MSS. Lips. 1. Erl. 1. *et.* Pro vulgato *ut* plures Codd.

est: nam positivum ejus seneo invenitur in usu. Attius in Telepho: *Jam jam stupido Thessala somno pectora languentque senentque.* Pacuvius in Periboea: *Quamquam aetas senet, satis habeam tamen virium, ut te ara arceam.* A seneo igitur, non a senesco, fit praeteritum senui. Salustius in I. Historiarum: *Nisi cum ira belli desenuisset.* Idem etiam participium praeteriti temporis ex eo protulit, quamvis sit neutrale, in IIII. *Omnis, quibus aetas senecto corpore animus militaris erat.* Nec mirum, cum in aliis quoque plurimis ejusdem significationis verbis inveniantur veteres praeteriti temporis participia proferentes, ut prandeo pransus, coeno coenatus, placeo placitus, mereo meritus, pateo passus, careo cassus, poto potus pro potatus, titubo titubatus. Juro quoque juratus tam in activa quam in passiva invenitur significatione. Et haec quidem etiam junioribus in usu manserunt. Illa vero obsoluerunt, discedo discessus, hoc est qui discessit. Similiter intereo interitus, occido occasus. Sed eorum usus in libro, qui inscriptus est a nobis de participio, invenies. Deponentia vero in scor IV
desinentia, in antepenultima quidem syllaba a vel i vel 21
e correptas habentia, in ctum faciunt supinum, ut paciscor pactum, proficiscor profectum. Expergiscor, quia a rego est, experrectum facit. Quamvis vetustissimi

---

imo plurimi *aut*. Et denique pro *atque* nonnulli *aut*. In tantis tenebris, mea quidem acies, hebetior fortasse illa, quid verum sit, dispicere non valet.

Liv. XXV. a. U. c. Edd. Bas. Colon. *parsurus*, pro quo, Putschio praeeunte, ex Edd. Ven. 1. 2. MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. recepi *parsuros*.

§. 20. *Pacuvius in Periboea.* Putschius cum caeteris editoribus *ab ara*. Nos auctoritate MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. illud *ab* expulimus. *tamen*. Ita pro Putschiano *rem*, quod caeterae etiam editiones inepte dant, e MS. Heidelb. recepi. Fatendum tamen est, illud *rem* a frequentibus etiam praeberi Codd.

obsoluerunt. Ita MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Vulgo, *obsoleverunt*.

§. 21. *quia a rego est.* Vulgo *quia a pergo est*. Equidem *a rego* praetuli, non solum quia Codd. Lips. 2. Erl. 1. 2. hanc lectionem praestant, sed etiam quod eandem sententiam Noster infra §. 31. tradit, *a regendo scilicet composita supinum facere in ctum*.

etiam expergitus dicebant. Lucilius in III. *E somno pueros cum mane expergitus clamas.* Caecilius vero secundum analogiam protulit in Umbris: *Mihi sordida dormitum suadet, ut eam quisque moechetur; et si ego obdormivero, tute idem, ubi eris experrectus.* Nanciscor etiam nactum facit absque n, ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet. Sicut et pangor pactum, et fingor fictum, et tangor tactum. Sciendum tamen, quod sunt verba, quae servant n in participiis praeteriti, sive in supinis, ut jungor junctus, pungor punctus, fungor functus, emungor emunctus, extingor extinctus, tingor tinctus, plangor planctus, angor anctus. Quae autem servant n, vel quae non, de participio tractatum reperies. Quod autem corripitur antepenultima, paciscor, et nanciscor, et proficiscor, et expergiscor, ex compositis sive primitivis eorum potest dignosci. Paciscor et depeciscor, proficiscor a facio, expergiscor a pergo pergis, nanciscor vero a nancio est, quod in usu fuit vetustissimis. Gracchus pro se: *Si nanciam populi desi-*
22 *derium, comprobo reipublicae commoda.* Alia vero absque c in tum faciunt supina, ut irascor iratum, ulciscor ultum, nascor natum, obliviscor oblitum. Excipitur defetiscor defessum faciens supinum, et participium praeteriti defessus, ut Terentius in Adelphis: *Defessus sum ambulando.* Idem in Phormione: *Neque defetiscar usque adeo experirier.* Nam ab eo quod est defi-

---

Lucilius in III. E somno. Vitiose Putschius, Colon. et Bas. secutus, edidit *et somno.* Receptam lectionem tuentur MSS. Lips. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Heidelb. et Lutherius etiam, quamvis hic habet, *e sono.*

Caecilius in Umbris. Recte sic Putschius. Perperam Bas. Colon. *Caelius in imbribus.* Nec genuinam lectionem deficiunt Codicum auctoritates, velut Zwicc. 2. Erl. 2. Dresd. Lips. 1. Alii *imbris.* *u* et *i* sono non multum distant.

mihi sordida suadet dormitum, ut eam quisque moechetur. Hanc lectionem sine ulla mutatione recepi e Cod. Lips. 1. Vulgo, *sordido — quisquam*, omissa voce *moechetur.* Plures Codices *sordi* vel *sordo.* Pro vulg. *obdormiero* e Codd. reposui *obdormivero.* Pro vulgato *ibi* e Codd. Heidelb. Dresd. Luth. Lips. 2. aliisque restitui *ubi.*

§. 22. *defetiscor.* Ita plurimi Codd. inter quos Heidelb. Erl. 2. Vulgo *defeciscor.*

Terentius in Adelphis. IV, 6, 11. *Idem in Phorm.* Act. IV. Sc. 1. vs. 23. *Virg. in I. Aen.* vs. 201.

cior defectus fit participium praeteriti. Excipiuntur etiam duo composita, quae quamvis antepenultimam i habeant correptam, in tum tamen, non in ctum, faciunt supinum, comminiscor commentum, adipiscor adeptum. Nam a reminiscor supinum vel participium praeteriti vel futuri in usu non inveni, quamvis ratio hoc quoque rementum, quomodo commentum, exigat dici. In do desinentia, si penultimam naturaliter longam habuerint, do in si convertentia faciunt praeteritum perfectum, ut ludo lusi, rado rasi, laedo laesi, rodo rosi, vado vasi, evado evasi, illido illisi, claudo vel cludo clausi vel clusi. Invenitur tamen etiam claudeo, sed et claudo pro claudico. Salust. in III. Historiarum: *Conjuratione claudit.* Caecilius in Epiclero: *An, ubi vos sitis, ibi consilium claudeat?* Cedo cessi geminavit s in praeterito. Ex quo Virgilius accestis pro accessistis posuit in I. Aeneidos: *Penitusque sonantes accestis scopulos.* Excipitur caedo cecidi. Lucanus in IIII. *Donec vetuerunt, castra cecidit.* Pedo pepedi. Horatius in I. Sermonum: *Vin tu curtis Judaeis oppedere? Nulla mihi unquam relligio est.* Idem in eodem: *Nam displosa sonat quantum vesica, pepedit.* Ab eo quod est sido praeteritum non inveni. Lucanus in III. *Sidentia pessum corpora caesa tenent.* Virgilius ex eo compositum in quinto: *Subsidunt undae tumidumque sub axe tonanti sternitur aequor aquis.* Ejus passivum Statius protulit in

---

§. 23. *Horat. in I. Serm.* 9. vs. 70. *unquam* pro *inquam* recepi e MS. Erl. 1. Haec mihi lectio tantopere praestare videtur vulgatae, ut et in Horatio ita scribendum censeam. Primum enim toto hoc colloquio, quod poeta cum Fusco Aristio se habuisse narrat, brevitatis causa, in qua ipsa inest permultum leporis, nusquam interponit vel *inquit* vel *inquam*. Deinde habet illud *unquam* hoc quidem loco magnum pondus. Cupit enim Horatius liberari ab isto malo, quod facete describit; cum vero amicus religionem opponat, respondet, dolore scilicet oppressus et ira simul incensus, *nulla mihi unquam relligio est.*

Idem in eodem. Serm. I, 8, 48. *pepedit* dedi e Codd. eamque lectionem etiam in textum Horatii recipiendam existimo. Vulgo *pepedi.*

Lucanus in III. vs. 674. Correxi numerum libri

Virgilius in V. vs. 820.

V. Theb. *Summisque insiditur astris.* Cudo secundum Diomedem et Charisium et Phocam cusi, secundum alios cudi. Et videtur etiam Virgilius sic protulisse in primo Aeneidos: *Ac primum silicis scintillam excudit Achates, suscepitque ignem foliis,* Excudit enim tam praesens quam praeteritum potest intelligi, sed quia suscepit subjunxit, melius praeteritum intelligitur. Idque etiam Servius in commentario Aeneidos comprobat his verbis: *Excudit autem, id est feriendo ejecit, quia cudere est ferire. Unde et incus dicitur, quod illic aliquid cudamus, id est feriamus.* Sciendum tamen, quod ejus frequentativum cuso cusas est, ex quo composita incuso incusas, et recuso recusas, et accuso accusas, et excuso excusas. A do verbo, quod simplex primae est conjugationis, composita cum praepositione tertiae sunt, et primitivi servant praeteritum perfectum duplicantia di, quamvis in illo penultimam e habeat, ut do dedi, reddo reddidi, prodo prodidi, perdo perdidi. Credo quoque ab eo componitur, quasi cretum do, et vendo venum do, et condo compositum a do, et ex eo abscondo. Itaque omnia praeteritum idem perfectum servant, credidi, vendidi, condidi, abscondidi. Plautus in Carbonaria: *Secundum ipsam aram aurum abscondidi.* N vero ante do habentia o in i mutant in praeterito perfecto, et si ante n u vel i habuerit, amittunt n, ut fundo fudi, et scindo scidi. Vetustissimi tamen etiam scicidi proferebant, quod solum quoque in usu esse putat Asmonius in arte, quam ad Constantium imperatorem scribit, sed erat. Nam Lucanus in III. scidit ponit: *Qua mare tellu-*

24

Virg. in I. Aen. vs. 174.

excudit autem, id est. Inseruí e Codd. *id est,*

§. 24. *compositum a do.* Ita Codd. Vulgo *ex con compositum et do.*

tamen etiam scicidi. Vitiosissime nonnulli Codd. et editiones *sciscidi.* Hoc enim rationi Prisciani vel maxime repugnat. Cf. Lib. I. Cap. VI. §. 30. „Antiquissimi etiam scindo *scicidi* dicebant, quod juniores scidi dixerunt.“ Nec tamen video, quomodo Noster cum Agellio N. A. 7, 9. conciliari possit. Illud exhibent MSS. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. Luth.

ad Constantium. Haec est lectio MSS. Luth. Dresd. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Vulgo *Constantinum. scribit.* Recte hoc. Erl. 2. *scripsit.*

Lucanus III. vs. 60.

Martialis in III. Epigrammaton. XII. vss. 1. 2. Duo meorum Codd. *heri.*

rem subitis aut obruit undis, aut scidit et medias fecit sibi littora terras. Statius in IX. Thebaidos: *Oraque pectoraque et viridem scidit horrida vestem.* Idem in XI. *Alloquio scidit ipsa novo terrore cruenta Eumenis.* Martialis in III. Epigrammaton: *Unguentum, fateor, bonum dedisti convivis, here, sed nihil scidisti.* Sed Afranius more antiquo dixit in Homine: *Satis fortiter paulo vestras scicidistis colus.* Attius Sotadicorum I. *Non ergo aquila ita, ut praedicant, sciciderat pectus.* Naevius in Testicularia: *Immo quos scicidimus, conscindam atque abjiciam.* Ennius in Menalippa: *Cum saxum sciciderit.* Et videntur hi rationabilius protulisse, ne minorum temporum sit praeteritum quam praesens, quod rarissime invenies. Findo quoque fidi facit, licet quidam fissi putaverunt. Sed Virgilius in IX. *Et media adversi liquefacto tempora plumbo diffidit ac multa porrectum extendit arena.* Horatius in IIII. Carm. *Demersas exitio diffidit urbium portas vir Macedo et subruit aemulos.* Caetera vero servant n, ut pando pandi, defendo defendi, scando scandi, accendo accendi. Excipiuntur duplicantia principalem syllabam, pendo pependi, tendo tetendi, tundo tutudi, penultima a plerisque correpta, a quibusdam autem etiam producta propter supradictam rationem, id est ne vincatur in compositis ab eo temporibus syllabarum a praesenti praeteritum. Horatius in IIII. Carminum correpte protulit: *Quod regum tumidas contuderit minas.* Est enim contuderit choriambus. Idem in tertio: *Non auspicatos contudit impetus nostros.* Est enim dactylus contudit. Virgilius in VIII. 25

Naevius in Testicularia. *quos* e MSS. Dresd. Zwicc. 2. Lips. 1. Erl. 2. Heidelb. edidi pro *quo.*

ne minorum temporum sit. Pro vulgato *esset* dedi e Codd. Heidelb. Erl. 2. *sit.* Mox *fissi* e MSS. Heidelb. Erl. 1. Lips. 1. recepi pro *fisi.*

§. 25. *Virgilius in IX.* vs. 589. *Horatius in III. Carm.* Oda XVI. vss. 13. 14. *demersas.* Falsum hoc esse, vel metrum arguit. Relinquere tamen debui, cum Codicum auctoritas hanc lectionem tueatur. Lips. 2. *dimersas.* Alius *diversas.*

Horatius in IV. Carm. Od. 3. vs. 8.

correpte protulit. *correpte* pro vulgato *correptam* reposui e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd.

Idem in III. 6, 10. Putschius cum Ven. Ald. Bas. Colon. edidit *nostros.* Equidem e MSS. Zwicc. 2. Erl. 2. Luth. restitui *nostros.*

Virg. in VIII. vs. 664.

V *Et lapsa ancilia coelo extuderat.* Solent autem compo-
26 sita servare simplicium tempora, cado cecidi, concido concidi, penultima correpta, caedo cecidi, concido concidi, penultima producta. Vetustissimi tamen tam producebant quam corripiebant supradicti verbi, id est tutudi, penultimam. Ennius in XIIII. *Infit, o cives, quae me fortuna fero, sic contudit, indigno bello confecit acerbo.* Ecce hic corripuit. Idem in XVI. *Ingenio forti dextra latus pertudit hasta.* Idem in Annalibus: *Viresque valentes contudit crudelis hiems.* Hic produxit penultimam. Cado quoque cecidi facit, ne, si cadi dicamus, nomen esse putetur. Composita tamen non duplicant penultimam syllabam, ut perpendo perpendi, extendo extendi, pertundo pertudi, incido incidi, concido concidi, exceptis a do et sto compositis, et a disco et posco, ut prodo prodidi, resto restiti, dedisco dedidici, deposco depoposci. A curro composita utroque modo prolata inveniuntur ab auctoribus, ut decurro decurri vel decucurri. Excipitur etiam divido, quod praeteritum divisi facit. Supina illa quidem, quae a do componuntur, mutant o in i correptam, et assumuut tum, ut reddo redditum, credo cre-
27 ditum, perdo perditum. Alia vero omnia do in sum convertunt, ut ludo lusum, rado rasum, caedo caesum, defendo defensum, tundo tunsum. Virgilius in IIII. Georgicon: *Profuit et tunsum gallae admiscere saporem.* Idem in I. eorundem: *Durum procudit arator vomeris obtunsi dentem, cavat arbore lintres.* Cudo similiter cusum. Idem in eodem: *Lapidemque revertens incusum aut atrae massam picis urbe reportat.* Cado quoque casum facit, ca tamen penultima producta. In omni enim

---

§. 26. *Ennius in XIV.* Pro *acervo,* quod occupavit Edd. Bas. Colon. cum Putschio ego e MSS. Heidelb. Zwicc. 2. Erl. 1. 2. Dresd. posui *acerbo.*

Idem in Annalibus: Viresque valentes. Putschius cum caeteris edidit *Virosque.* Equidem secutus sum auctoritatem MSS. Lips/ 1. 2. Erl. 1. 2. Heidelb.

a do et sto. Vulgo, *a do, a sto.* Illud Codices praestant.

§. 27. *Virg. in IV. Georg.* vs. 267. *Profuit* pro vulgato *proderit* dedi e MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Nec hanc lectionem a Virgilii editoribus plane spernendam esse puto, si modo et in Virgilii Codicibus reperiatur. Nam perfectum significat, tradi praeceptum aliquod experientia confirmatum. Ed. Ven. 1. *profugit.*

Idem in I. vs. 261. 62. *obtunsi* pro *obtusi* dant MSS. Luth. Hei-

supino sive participio praeteriti producitur a penultima, exceptis datum et satum et ratum et statum. Illud etiam sciendum, quod n ante do habentia, quae amittunt n in praeterito, amittunt eandem in supino, et geminant s, si sit penultima brevis in praeterito, ut findo fidi fissum, scindo scidi scissum. Sin producitur, unam s habet, fundo fudi fusum. Composita simplicium terminationes sequuntur. Cedo cessum et pando passum faciunt. Quamvis etiam a patior et a pateo passum dicimus. Unde Virgilius in III. Aeneidos: *At pater Anchises passis de litore palmis.* Idem in primo: *Crinibus Iliades passis peplumque ferebant.* Ab eo quod est pedo 28
supinum in usu non inveni. A comedo, quod est anomalum, comesum et comestum invenitur. Cicero pro Cluentio: *Abditum aliqua in parte panis, quam si totum colliquefactum in potione esset, celerius potius comestum quam epotum in venas atque in omnes partes corporis permanare.* Virgilius autem ab eo quod est adedor adesus protulit in IX. *Et hostibus haesit adesis.* Tendo praeterea et tentum et tensum facit. Virgilius in VII. *Audiit et si quem tellus extenta plagarum quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui.* Lucanus in primo: *Et varias ignis tenso dedit aere formas.* Idem in secundo: *Tensisque rudentibus actae.* Ostendo quoque ab eo compositum similiter facit ostentum et ostensum. Lucanus in II. *Ut scelus hoc Syllae caedesque ostensa placeret, agnoscendus erat.* Apulejus in Phaedone: *Et causam gignendi ostensurum et immortalitatem animae reperturum.* Varro Rerum Rustic. I. *Ostensus sol.* Idem Divinarum III. *Salute ostenta.* Cato pro L. Caesare ad populum: *Quod*

---

delb. Zwicc. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. Reposui ergo. *Idem in eodem.* vs. 275.

unam s habet. Pro *habent* Codices mei singularem poni imperaverunt.

Virg. in III. Aen. vs. 263. *Idem in I.* vs. 480.

§. 28. *Cic. pro Cluentio.* Cap. 62. Nonnulli Codd. *permanere.* *Virg. in IX.* vs. 537. *Virg. in VII.* vs. 226.

Lucanus in I. vs. 531. *Lucanus in II.* vs. 683. *Lucanus in II.* vs. 192.

Idem Divinarum III. Nonnulli Codd., inter quos Heidelb. Erl. 1., *in salute ostenta.* Illud *in* ortum est e perperam intellecto numero III. *Quod ego me.* Duo meorum Codd. *quem.* Edd. Ven. 1. 2. pro *me* exhibent *non.*

ego me spero ostenturum. Ostentum quoque, quando monstrum significat, nomen est participiale, quomodo factum et dictum et visum, ab ostendendo futura dictum.
29 Strido et strideo tam tertiae quam secundae conjugationis invenitur. Virgilius in VIII. *Striduntque cavernis stricturae chalybum et fornacibus ignis anhelat.* Lucanus in VI. *Auribus incertum feralis strideat umbra.* Juvenalis in IIII. *Jam strident ignes, jam follibus atque caminis.* Horatius Sermonum II. *Stridere secreta divisos aure susurros,* correpta penultima. Statius vero eandem productam protulit in VIII. *Nil stridere domi.* Idem in nono: *Stridebit vestros Tydeus inhumatus ad ignes.* Praeteritum perfectum ejus debet secundum analogiam in do vel in deo desinentium et penultimam vel antepenultimam naturaliter longam habentium in si terminari, ut rado rasi, trudo trusi, ludo lusi, rideo risi, strideo strisi, sed puto, euphoniae causa non esse in usu strisi, sed stridi: quod, ut superius diximus, usus quoque comprobat. Statius in IIII. *Hujus inaspectae luco stridere sagittae.* Attius in Alcestide: *Cum striderat retracta rursus inferis.* Sido praeterea sidi facit. Cujus etiam passivum sidor sideris invenitur. Lucanus in III. *Sidentia pessum corpora caesa tenent.* Statius in II. Thebaidos: *Summisque insiditur astris.* Cujus praeteritum in usu non est, dubitationis vel alternitatis causa: debuit enim sisi esse. Sed utimur praeterito sedeo verbi,
30 id est sedi, pro supradicti quoque verbi praeterito. In do unum anomalum invenitur, edo es est. Vetustissimi tamen edo edis edit dicebant, correpta prima syllaba. Naevius in Carbonaria: *Tibi servi multi apud mensam astant, ille ipse astat, quando edit.* Non potest enim in hoc iambo penultima syllaba longa esse, ut intelligatur praeteritum, ne sit σκάζων. Plautus in Lipargo: *Nihil moror mihi fucum in alvo apibus qui pere-*

---

§. 29. *Lucanus in VI.* Cf. ad Lib. VIII. §. 95. vel Ind.
Juvenalis in IV. Sat. X. vs. 61. *strident* pro vulgato *stridunt* reposui e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd.
Statius in VIII. vs. 140. *Idem in nono.* vs. 301.
Statius in IV. vs. 378. *Lucanus in III.* vs. 675. *Statius in II.* v. Ind.
§. 30. *Plautus in Lipargo.* Codd. Erl. 1. Lips. 1. *Ligurgo*, vel *Lycurgo.* Pro *mihi* MS. Zwicc. 2. *nisi.*

dit cibum: corripitur enim penultima. Lucilius in IIII. *Qui edit se, hic comedit me.* Supinum ejus tam esum, ut supra dictum est, quam estum usus exigit, ut possit dici. Virgilius in IX. *Et postibus haesit adesis.* Idem in III. Aeneidos: *Ambesus subigat malis consumere mensas.* Cicero pro Cluentio: *Additum aliqua in parte panis, quam si totum colliquefactum in potione esset celerius, potius comestum quam epotum in venas, atque in omnes partes corporis permanare.* In go, r antecedente, si non sint a regendo composita, go in si convertentia faciunt praeteritum perfectum, ut mergo mersi, spargo sparsi, tergo tersi. Dicitur tamen et tergeo. Alia vero in xi convertunt go praesentis, et faciunt supradictum tempus, ut rego rexi, cingo cinxi, ango anxi, tingo tinxi, pingo pinxi. A regendo composita, quamvis in praesenti syncopam penultimae e patiantur, tamen in praeterito perfecto eam euphoniae causa servant, ut porrigo porrexi, pergo perrexi, surgo surrexi. Nam porrigo et corrigo et arrigo e in i convertentia aptissime secundum proportionem servant simplicis declinationem. Excipiuntur frango fregi, ago egi, lego legi, quorum composita sequuntur simplicium declinationem, confringo confregi, perfringo perfregi, exigo exegi, subigo subegi, cogo coegi, perlego perlegi, relego relegi. Excipiuntur ex hoc composita, neglego neglexi, et intellego intellexi, quod antiqui interlego proferebant intellexi, et diligo dilexi. Pango quoque pegi, et ex eo compositum impingo impegi facit. Pacuvius in Medo: *Tonsilla pegi laevo in littore.* Lucan. in V. *Sufficit ad fatum belli favor iste laborque fortunae, quod te nostris impegit arenis.* Simplex tamen pango etiam pepigi facit secundum Charisium, et panxi. Sed antiqui pago quoque dicebant pro paciscor. Cicero in II. ad Herennium: *Pacta sunt, quae legibus observanda sunt, hoc mo-*

---

edit se, hic comedit. MS. Zwicc. 2. omisit *hic.*

Virg. in III. vs. 257. *Virg. in IX.* vs. 537. *Cic. pro Cluentio.* 64. Hoc quoque loco plerique Codd. *permanere* pro *permanare.*

§. 32. *Pacuvius in Medo.* Nonnulli Codd. *medio. tonsilla.* MS. Heidelb. *tonsillam.* Pro *laevo* MS. Erl. 1. *clivo.*

Lucanus in V. vs. 696. *ad fatum belli.* Ita edidi e MSS. Dresd. Lips. Erl. Putschius *factum.*

Cic. in II. ad Her. Cap. 13. *orato, ni.* Putschius cum caeteris

do, rem ubi pagunt, orato, ni pagunt. Tango praeteritum tetigi facit, et pungo pupugi vel punxi. Varro in primo Humanarum: *Ut habent Pharii, qui vocantur ὀφιογενεῖς, et in Africa Psylli, quorum ophiogenistum arbitrantur suppositum esse in stirpe aliquem, si admoveant, ut pungat colubra, cum pupugerit, si de genere sit, vivere, si non sit, mori.* In eodem: *Admota aspis, cum pupugerit, si non occidat, sciat, ex Psyllorum esse stirpe.* Naevius in Glaucoma: *Quod de obsonio stilo mihi in manu pupugit.* Expungo vero expunxi dicimus, at repungo repupugi et repunxi, ut Capro videtur. Cum ei, qui nos pupugit, talionem, id est vicem a nobis redditam ostendimus, repupugi dicimus. Quando vero de ratio-
VI ne vel Kalendario loquimur, repunxi dicimus. A tan-
53 go composita non duplicant primam syllabam, contingo contigi, attingo attigi. In quibus notandum, quod penultima praeteriti corripitur, praesentis vero producitur. Ab ago et frango et lego composita servant simplicium praeteritum, ut exigo exegi, prodigo prodegi, dego degi, abigo abegi, infringo infregi, perfringo perfregi, colligo collegi, relego relegi. Quod differentiae causa non mutavit le in li, quamvis etiam perago a immutabilem servavit, et dego per syncopam a euphoniae causa protulit. Excipiuntur mutantia simplicis significationem, quae superius posuimus, negligo neglexi, diligo dilexi, intelligo intellexi, quamvis Aemilius Macer in sextodecimo Annalium: *Omnium nostrum neglegerit auctoritatem*, pro neglexerit ait. Supina in si quidem facientia praeteritum per sum proferunt secundum supradictam regulam, ut mergo mersi mersum, tergo vel tergeo tersi tersum, spargo sparsi sparsum. Alia vero omnia go in ctum convertunt, ut rego rectum, jungo

---

oratione. Falsum hoc esse patet. Syllabam *ni* Codices mei omnes. Reliqua ex scripturae compendio sic: *ortō.* Intelligi haud dubie voluerunt *oratio*, ita ut adjuncto *ni* dativus sit. Nec tamen puto nefas esse, recte intelligere.

admota aspis. Haud pauci Codd. *ammota.*

quod de obsonio. Ante *obsonio* Codicum meorum jussu omisi *eo.* Lips. 2. omittit *de*, exhibet vero *eo. in manu.* Vulgo *in manum.* Equidem e MSS. Heidelb. Erl. 1. *manu.* Pro *quod de* Edd. Ven. *Et cum eo.* Vocem *obsonium* explicat nota interlinearis in MS. Heidelb. ita: *generali vocabulo omne epulum, quod apponitur ad manducandum, obsonium dicitur.*

junctum, tingo tinctum, lego lectum, pungo punctum, ago actum. Abjiciunt tamen n euphoniae causa haec, quae penultimam a habent, vel i, ut frango fractum, pango pactum, tango tactum, fingo fictum, pingo pictum, stringo strictum, ringo rictum. Excipiuntur cingo cinctum, tingo tinctum, et stingo stinctum, et ex eis composita, succingo succinctum, extingo extinctum. Ango quoque differentiae causa servavit n in supino anctum. Nam ab ago actum fit. Quidam tamen etiam anxus ejus participium protulerunt. Et omnia in com- 34
positione integras servant simplicis literas, quamvis in alii modis mutentur, ut rego rectum, pergo et porrigo perrectum et porrectum, ago actum, cogo coactum, abigo abactum, tango tactum, contingo contactum, frango fractum, defringo defractum, pango pactum, impingo impactum. Et possumus hoc existimare differentiae causa in plerisque fieri, ne, si perictum et abictum et defrictum et impictum diceremus, alias significationes monstrare putarentur. Lucanus in quinto: *Impactae cessere fores.* In gor deponentia mutant eam in ctum, et faciunt supinum, ut fungor functum. In ho desinentia mutant ho in xi et faciunt praeteritum, ut veho vexi, traho traxi, et secundum supradictam regulam in xi terminantium praeteritum perfectum per ctum proferunt supinum, ut vectum, tractum. In lo finientia praesens per lui exeunt in praeterito, ut alo alui, colo colui, molo molui, consulo consului, occulo occului. Statius in quinto Thebaidos: *Raptum quae sola parentem occului.* Excipiuntur duplicantia l, quae si a muta incipiant, geminant principalem syllabam, etsi non servent ubique eandem vocalem, ut pello pepuli, fallo fefelli, tollo tetuli. Pro quo nunc in usu frequenti est

---

de ratione vel Kalendario. Aliquot Codd. *de ratione Kalendaria.* Kalendarium scripsi per *k* auctoritate Codicum.

§. 34. *putarentur.* Vulgo *putaremur.* Alii Codd. *putaretur.* Nos Cod. Heidelb. secuti sumus.

Lucanus in V. v. Ind. *Statius in V.* v. Ind.

etsi non servent ubique. Pro vulg. *et si* scripsi *etsi.* In locum indicativi *servant* substitui e Codd. subjunctivum. Et ex MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. inserui *ubique.*

35 sustuli. A tulo quoque, quod veteribus in usu fuit, tetuli dicebantur. In compositione tamen non geminant principalem syllabam, ut refello refelli, compello compuli. Alia quoque ejusdem terminationis o in i convertunt, ut vello velli, sed et vulsi dicitur, percello quoque perculi, et excello vel excelleo exculi, vel, ut alii, excellui, quorum simplex in usu non est. Psallo etiam psalli facit praeteritum. Cicero de suppliciis: *Revellistis atque in profundum abjecistis.* Virgilius in Bucolicis: *Cum canerem silvas et praelia, Cynthius aurem vellit et admonuit.* Lucanus in IIII. *Castrorum siccas de cespite vulserat herbas.* Idem in VI. *Percussaque viscera membris vulsit.* Idem in eodem: *Illa genae florem primaevo corpore vulsit.* Idem in IX. *Avulsitque manu telumque*
36 *affixit arenae.* Lucretius ab excello excellis infinitum protulit excellere penultima correpta: *Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.* Cicero vero in primo Epistolarum ad filium: *Quare effice et elabora, ut excelleas,* quod est ab excelleo excelles, cujus praeteritum excellui debet esse, ut calleo callui, secundum proportionem secundae conjugationis. Idem tamen Cicero in Verrinis percellunt protulit secundum tertiam conjugationem. Et in primo pro Cornelio: *Qui eloquentia caeteris antecellit.* Ex quo debet exculi quoque esse praeteritum perfectum, sicuti percello perculi. Virgilius in quinto: *Perculit et fulva moribundum extendit arena.* Bassus in II. Lyricorum: *Calliope princeps sapienti psallerat ore.* Supina in tum quidem exeunt, quae nascuntur ab unam l habentibus, ut occulo occultum, colo cultum, consulo consultum. Quae vero duplicant l, per sum, ut fallo falsum, pello pulsum, vello vulsum, excello excelsum, percello perculsum. A psallo supinum non legi. Ab alo vero tam altus quam alitus dicitur. Cicero pro Plancio: *Ubi altus est.* Similiter Salustius in Jugurtino: *Et*

---

§. 35. *Cic. de suppliciis.* Est oratio de signis. IV, 11.

Virg. in Buc. Ecl. VI, 4. *Lucanus in IV.* vs. 414.

Idem in VI. vs. 545. *Idem in eodem.* 562. *Idem in IX.* vs. 765. *telum* Priscianus posuit pro *pilo.*

§. 36. *Lucretius.* v. Ind. Mox *calleo callui* secundum Codices reposui pro *caleo calui.* *Virg. in V.* vs. 374.

Cic. pro Plancio. v. Ind. *Salust. in Jug.* Cap. 63, 3.

omnem aetatem Arpini altus. In quibusdam autem codicibus etiam alitus invenitur. A tollo quoque supinum deficit, sed pro eo utimur sublatum. Volo quoque anomalum facit praeteritum volui, ex quo nomen participiale nascitur vultus, quomodo ex colo cultus, et ex occulo occultus. In mo desinentia, si vocalis longa antecedat, o in psi conversa proferunt praeteritum, ut sumo sumpsi, promo prompsi, demo dempsi, como compsi. Haec autem si in tum convertentia faciunt supinum, ut sumo sumpsi sumptum, promo prompsi promptum, demo dempsi demptum, como compsi comptum. Alia vero in mo desinentia per ui divisas exeunt in praeterito, ut vomo vomui, gemo gemui, fremo fremui, tremo tremui. Excipiuntur emo emi, et premo pressi. Et in ui quidem divisas terminantium supina fiunt, ui in tum conversis, correpta penultima, quomodo in omnibus, quae ex hujusmodi praeteritis nascentia i habent ante tum, ut vomui vomitum, gemui gemitum, fremui fremitum, tremui tremitum. Emi vero emptum facit, quod ideo assumpsit p, quia non potest m ante t sine p inveniri euphoniae causa, ut sumptus, promptus, comptus. Pressi vero secundum in si terminantium regulam i in um convertens facit supinum, ut pressi pressum. In no, o vel g antecedentibus, per ui divisas faciunt praeteritum, ut pono posui, et ab eo composita, suppono supposui, compono composui. Antiqui tamen et posivi protulisse inveniuntur. Plautus in Vidularia: *Nunc apud sequestrum vidulum posivimus.* Apulejus in I. Hermagorae: *Et cibatum, quem jocundum esse nobis animadverterant ante, eum apposiverunt.* Gigno genui, pro quo geno vetustissimi protulisse inveniuntur. Varro in Andabata: *Sed quod haec loca aliquid genunt.* Cujus infinitum passivum Lucretius in quarto protulit, geni: *Tanto magis infitiandum, totum*

VII 37

38

---

§. 37. *Nunc apud sequestrum.* Ante *apud* expuli *ut* auctoritate Codd. Heidelb. Luth. Erl. 1. 2. Lips. 1.

jocundum dedi secundum Codd. pro *jucundum.* Post *animadverterant* ponunt MSS. Erl. 2. Lips. 2. *ante.* Hos Codices, cum praestantissimi sint, secutus *ante* inserui. Unus meorum Codd. *animadverterent.*

§. 38. *Lucretius in III.* vs. 798. Putschius pro III. exhibet vitiose IV. Pro *infitiandum* plures Codd. *infitiendum est.*

posse extra corpus durare genique. A canendo quoque composita similiter praeteritum in ui divisas faciunt, succino succinui, occino occinui. Quidam et occano occanui protulerunt, ut Salustius in I. Historiarum: *Jussu Metelli cornicines occanuere.* Sed Probus occini quoque existimat posse dici, cum simplex cano cecini faciat, quomodo a cado cecidi, incido incidi, et a tango tetigi, contingo contigi. M antecedente no in psi conversa, facit praeteritum perfectum, ut temno tempsi. Alia omnia per vi conjunctas proferunt praeteritum, sine sivi, sterno stravi, cerno crevi. Non solum enim τὸ κοσκινίζων κρίνω sic facit praeteritum, sed etiam cum pro video accipitur. Titinnius in Gemina: *Simul ut pueras has nocte suspirare crevi,* pro vidi. Plautus in Cistellaria: *Cum ego te amavi, mea Antiphila, et mihi amicam esse crevi,* similiter pro vidi. Sperno quoque sprevi facit, et lino livi, vel magis differentiae causa ad nomen Livi, levi, quod a leo quoque simplici nascitur, quod in usu non est. Ex quo deleo delevi. Unde et letum dicitur, quod delet vitam. Juvenalis in tertio: *Nam quis plura linit victuro dolia musto?* Terentius in Heautontimorumeno: *Relevi dolia omnia, omnes serias.*
39 Vetustissimi tamen etiam lini in praeterito protulisse inveniuntur. Ut Varro Rerum Rusticarum: *Cum oblinerunt vasa.* Supina in ui quidem divisas terminantium praeteritum subtracta u et addita tum proferuntur, correpta tamen penultima, ut posui positum, genui genitum. A cano tamen composita primitivi servant in supino terminationem: cantum enim et succentum dicimus, quamvis in ipso verbo a in i convertunt ex eo composita. Sed in supino iterum i in e transferunt, succino succentum, occino occentum. Temno vero tempsi temptum facit, sicut omnia in psi per praeteritum exeuntia. In vi vero syllabam desinentia mutant eam in tum secundum praedictam regulam, ut sivi si-

---

puellas has nocte. Nonnulli Codd. *hac,* quod placet.
Juven. in III. Sat. IX. vs. 58. *Terentius in Heaut.* v. Ind. *dolia omnia* sec. Codd. dedi pro *omnia dolia.*
§. 39. *oblinerunt vasa.* Lips. 2. *oblinerint.*
correpta tamen penultima. Inserui e Codd. *tamen.*
Virg. in IV. v. Ind. *Salustius in Jugurtino.* Cap. 101. 6.
§. 40. *Cic. pro Corn.* v. Ind. *Virg. in VIII.* vs. 560. *Idem in*

tum, stravi stratum, crevi cretum, sprevi spretum. Ergo livi quoque vel lini litum. Unde Virgilius in quarto Georgicorum: *Et paribus lita corpora guttis.* Salustius in Jugurtino: *Simul gladium sanguine oblitum ostentans.* Et sciendum, quod tam litum quam situm, 40
et itum, quitum, citum, satum, corripiunt penultimas, quod in aliis supinis, quae a praeteritis in vi terminantibus nascuntur, non invenitur, ut amavi amatum, movi motum, nevi netum, favi fautum, cupivi cupitum, munivi munitum. Caper, ut sino situs, sic nequeo nequitus corripuit penultimam, quod usus ubique approbat. Cicero pro Cornelio: *Coeptum igitur per eos qui volebant, desitum est per hunc qui decessit.* Ecce hic manifestissime ostendit orator, a desinor esse desitum. Sic ergo et a sinor situs. Quod autem penultimae supradictorum supinorum corripiuntur, poetarum exempla docebunt. Virgilius a praetereor in VIII. *O mihi praeteritos referat si Jupiter annos.* Idem in X. ab obeor: *Morte obita quales fama est volitare figuras.* Ovidius in Fastis: *Sol aditus, quam quaeris, ait, ne vana labores, nupta Jovis fratri tertia regna tenet.* Terentius in Hecyra: *Nam cum compressa est nata, forma in tenebris noscí non quita est.* Est enim quaternarius iambicus. Lucanus in VIII. *Hic situs est Magnus, placet hoc fortuna sepulcrum.* In eodem: *Illita tela dolis, nec Martem cominus unquam.* Virgilius in quarto Georgicorum, ut praedictum est: *Et paribus lita corpora guttis.* A citum 41
composita tam corripientia quam producentia penultimam inveniuntur. In po desinens m antecedente unum invenio rumpo, quod subtracta m et o in i conversa facit praeteritum penultima producta, tam in simplici quam in compositis ab eo, rumpo rupi, abrumpo abrupi, corrumpo corrupi. E vero brevem penultimam habentia mutant o in ui divisas in praeterito, ut strepo strepui, obstrepo obstrepui. R vero vel l vel e pro-

---

X. vs. 641. *Ov. in Fast.* v. Ind. *Terentius in Hecyra.* Act. IV. Sc. I. vs. 57. *Lucanus in VIII.* vs. 793. *In eodem,* vs. 582. Pro *unquam* Codices aliquot *uni.* Zwicc. 1. Heidelb. *unum.*

Virg. in IV. Georg. v. Ind.

§. 41. *A citum composita.* Recepi e MS. Lips. 2. *citum* pro vulg. *cio.* Erl. *civi.* MS. Heidelb. *ciso.*

ductam ante po habentia, o in si convertentia faciunt praeteritum, ut scalpo scalpsi, sculpo sculpsi, carpo carpsi, repo repsi, serpo serpsi, sarpo sarpsi. Lucanus in tertio: *Sed per iter longum causa repsere latenti.* Supina in pi quidem terminatorum fiunt mutata i in tum, ut rupi ruptum. In ui vero separatas, subtracta u et addita tum, strepui strepitum. In psi autem exeuntia secundum supradictam regulam, mutata si in tum, ut scalpsi scalpsum, sculpsi sculptum, repsi reptum, carpsi carptum. In ro finita per vi syllabam terminant praeteritum, ut tero trivi, quaero quaesivi, sero seris sevi; nam sero seras, a sera obdita natum, seravi facit.

42 A sero seris sevi tamen composita, quando mutant simplicis significationem, per ui separatas proferunt praeteritum, o in ui conversa. Desero pro derelinquo deserui. Insero pro immitto inserui. Si enim de arbore dicam, insero insevi facit, et participium insitus, non insertus. Virgilius in Bucolicis: *Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vites.* Idem in secundo Georgicorum: *Mutatamque insita mala ferre pirum.* Vetustissimi tamen etiam in simplici serui protulisse inveniuntur, pro ordinavi et pro sevi. Ennius in Praeceptis: *Ubi videt avenam lolium crescere inter triticum, seligit, secernit, aufert sedulo, ubi operam addidit quam tanto studio seruit.* Duo inveniuntur supradictae terminationis verba, quae duplicant ss ante i in praeterito, gero gessi, et uro ussi. Verro enim secundum Servium versi facit, secundum Charisium autem verri: quod et usus comprobat. Licinius Macer pro Tuscis: *Quos oportuit amissa restituere, hisce etiam reliquias averrerunt.* Publius in Murmun-

VIII thone: *Cellas servorum converri.* Curro etiam repetita

43

Lucanus in tertio. vs. 458.

§. 42. *Virg. in Buc.* IX, 50. *Idem in II. Georg.* vs. 33.

seligit. Vulgo *selegit.* Recte hoc, si *intellegis, collegis* scribitur. Codices etiam *seligit. Licinius.* MS. Lips. 2. *Lucilius. Publius in Murmunthone.* Edidi *Murmunthone* pro vulg. *muro Mutone* secundum Cod. Zwicc. 1. Alii *muro munthone* vel *muntone.* Heidelb. *Murmuthone.* Ger. Io. Vossius etiam de A. G. Cap. 30. p. 312. a. incertus fuit, quomodo hoc nomen fabulae vel mimi scribendum esset, notavitque, in suo Codice legi *muntone.* Edd. Ven. 1. 2. *muro munthone.* Recepta lectio nititur certe auctoritate bonorum Codicum, quamquam in ejus generis causis nullus fere Codex tam bonus est, quin melior esse possit.

priore syllaba cucurri facit praeteritum: quod in compositione invenitur apud quosdam auctorum geminationem primae syllabae servans, apud alios minime, ut Virg. in IIII. Aeneidos: *Decurrere jugis, alia de parte patentes transmittunt cursu campos.* Livius in vicesimo secundo ab urbe condita: *Qua cuique proximum fuit, decucurrerunt.* Idem in vicesimo: *Et si ferocius procucurrissent.* Cato contra C. Pisonem: *Video hac tempestate concucurrisse omnes adversarios.* Terentius in Hecyra: *Una illarum interea propere praecucurrit.* Caesar ad Virgilium: *Excucurristi a Neapoli.* Plautus in Sticho: *Praecucurri, ut nuntiarem nuntium exoptabilem.* Supina eorum, quae in vi syllabam terminant praeteritum, mutatione vi in tum proferuntur secundum supradictam regulam, ut trivi tritum, quaesivi quaesitum. Sevi vero secundum analogiam setum debuit facere, sed differentiae causa veteres setum pro zetum dicentes, hoc satum proferre tradiderunt. Et sciendum, quod in nullo alio supino sive participio seu nomine participiali a penultima corripitur, nisi in supradicto, et aliis tribus, id est, satus, ratus, datus, status. Reor quoque ratus facit 44
participium, ut puto, differentiae causa, quia ritus aliud significat, et retus pro retitus dicebant, quomodo saucius pro sauciatus, et lassus pro lassatus, et lacerus pro laceratus, et potus pro potatus. Difficile enim invenies verbi in a converti per participium, sive supinum, nisi in supradictis. In compositione vero a supradictorum supinorum sive participiorum in i convertitur correptam, satus, insitus, obsitus. Virgilius in II. Georgicon: *Mutatamque insita mala ferre pirum.* Cicero in Frumentaria: *Ut cum obsitum Leontinum agrum vidis-*

---

§. 43. *Virg. in IV. Aen.* vs. 154. *Liv. in XXII.* v. Ind. *decucurrerunt* e Codd. repositi pro vulgato *decurrere.*

Terentius in Hecyra. Act. III. Sc. 3. vs. 11.

Plautus in Stycho. Act. II. Sc. 2. vs. 67.

quae in vi terminant. Vulgo, *in vi terminantium.* Nos Codices secuti sumus.

et aliis tribus, id est. E quatuor Codd. adjeci *id est.*

§. 44. *nisi in supradictis.* Codicum jussu delevi *verbis*, quae vox in editis libris addita reperitur.

Virg. in II. Georg. v. Ind. vel supra §. 42. *Cic. in Frument.* v. Ind.

ses. Deserui vero desertum, et inserui insertum, et exerui exertum faciunt supina. Quae vero duplicant ss ante i, mutant si in tum in supino, gessi gestum, ussi ustum. Duplicantia vero r ante o in praesenti, ro in sum convertentia faciunt supinum, ut curro cursum,
45 verro versum. In so desinentia o in i convertentia assumunt vi et faciunt praeteritum, ut accerso, accersivi. Salustius in primo Historiarum: *Domitium proconsulem ex citeriore Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, accersivit.* Idem in II. Historiarum: *Argentum mutuum accersivit.* Cicero pro Roscio: *Accersivit aliquem?* Lacesso lacessivi. Sic Probus: et videtur mihi melius dicere. Participium enim passivum lacessitus. Caper tamen lacessi dicit esse, ut facessi: et profert exemplum Lucilii, quo usus est, XIIII. *Nam vetus ille Cato lacessisse appellari, quod conscius non erat ipse sibi.* Sed potest lacessisse per syncopam esse prolatum vi syllabae, ut cupisse, petisse dicimus pro cupivisse, petivisse. Salustius in secundo Historiarum: *Diversa, uti solet, rebus perditis lacessivit.* Idem in IIII. *Igitur legiones pridie in*
46 *monte positas lacessivit.* Facesso quoque et capesso et viso, quae possumus desiderativa dicere. Significat enim facesso desidero facere, et capesso desidero capere, et viso desidero videre. (Frequentativa enim esse non possunt, cum primae conjugationis non sunt.) Haec eadem secundum Diomedem et Charisium o in i converten-

---

duplicant ss. Delevi *in praeterito*, quod addunt libri editi, scripti ignorant.

§. 45. *accerso accersivi.* Vulgo *arcesso arcessivi.* Praetuli plurimorum Codicum lectionem, quae rationi Prisciani convenientior est. Ante has dictiones delevi Codicum auctoritate nonnullorum *lacesso lacessivi*; nam de hoc paulo infra exponitur.

Idem in II. Hist. Pro *mutuum* Cod. Luth. *multum*, quae lectio arridet.

Cic. pro Roscio. v. Ind. Codicum Zwicc. 2. Lips. 2. auctoritate expunxi *quem aut quando* post *aliquem.*

melius dicere. Addunt his libri editi, *lacessivi quam lacessi.* Omittunt haec MSS. Heidelb. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 2. Luth.

non erat ipse sibi. Ita struunt verba MSS. Heidelb. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Vulgo, *ipse non erat sibi.* Unus meorum Codd. pro *non erat* exhibet *onerat.*

perditis lacessivit. MSS. Luth. Heidelb. *capessivit.*

tia faciunt praeteritum perfectum, facesso facessi, capesso capessi, viso visi. Similiter quaeso quaesi. Probus tamen quaesivi dicit, et melius, quamvis primitivum quoque ejus, id est quaero, quaesivi facit praeteritum. Sed Salustius in primo Historiarum: *Curionem quaesivit, uti adulescentior et a populi suffragiis integer aetati concederet Mamerci.* Cicero in Divinatione: *Ipse profecto metuere incipies, ne innocenti periculum facesseris.* Invenitur tamen in quibusdam codicibus facessieris. Pinso pinsui facit praeteritum, quod Probus usu Pomponii comprobat: *Neque molis molui, neque pilis pinsui.* Supina eorum in situm exeunt, arcessitum, lacessitum, capessitum, secundum in vi desinentium regulam, de qua saepe in superioribus diximus. A pinso autem pistum debet esse, unde pistor nomen verbale, ut pastum pastor, ustum ustor, gestum gestor. In to c antecedente invenio pecto, cujus praeteritum plerique pexui, Asper tamen pectivi, Charisius pexi protulerunt. Maecenas in Octaviam: *Pexisti capillum naturae muneribus gratum.* Similiter necto nexui et nexi. Virg. in V. *Et paribus palmas amborum innexuit armis.* Salustius in I. Historiarum: *Nexuit catenae modo.* Lucilius in V. *Hic solus vigilavit, opinor: et cum id mihi visus est facere, tum retia nexit.* Propertius: *At tibi, qui nostro nexisti retia lecto.* Flecto vero flexi facit, et plecto plexi, antique. Laevius in sexto Erotopaegnion: *Te Andromacha per-* 47

---

positas lacessivit. Ita MSS. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. Vulgo, *arcessivit*, quod huic quidem loco minime aptum est.

§. 46. *facesso quoque.* Pro *vero*, quod Codices tantum non omnes et libri editi exhibent, reposui e MS. Erl. 2. *quoque.*

et a populi suffragiis. E MSS. Lips. 1. Erl. 2. Heidelb. inserui praepositionem *a.* Item ante *Salustius* e MSS. Zwicc. 2. Luth. Dresd. Erl. 2. Lips. 2. inserui *sed.*

Cic. in Divinatione. v. Ind.

§. 47. *in Octaviam.* Ita Codd. Heidelb. Lips. 3. Erl. 1. 2. Luth. Vulgo *in Octavia.* Lips. 1. *in VIIII.* Pro *gratum* unus meorum Codd. *datum.*

Virg. in V. vs. 425. Apud Virg. legitur *intexuit.*

catenae modo. Erl. 1. *nodo. Propertius.* v. Ind.

Laevius. Vulgo *Livius.* Equidem Codici Lips. 2. receptam lectionem deheo. Ante *Andromacha* inserui *te* e Cod. Erl. 1. Reliquorum multi *Erotopaegnionte.* Lips. 1. *de* Pro VI. plures Codd. V. *lasciviola.* Vulgo *lasciviola. plexi* pro *plexit* scribere debui propter consensum Codicum. Ergo et *inso-*

dudum manu lascivola ac tenellula, capiti meo trepidans, libens insolito plexi munere. Nunc enim plector et amplector dicimus. Sed plector passivum esse Terentius ostendit in Phormione: *Ego plectar pendens.* E brevi antecedente in to desinentia duo inveni, peto petivi, et meto messui. Cato in secundo Originum: *In campo Tiburti ubi hordeum demessuit, idem in montibus serit; ibidem iterum metit.* Cassius Hemina in tertio Annalium: *In campo Tiburti ubi hordeum demessuerunt.* R antecedente similiter duo inveni, verto verti, sterto stertui. Persius: *Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse Maeonides quintus pavone ex Pythagoraeo.* Geminata vero t ante o unum, mitto misi: et in sto unum, sisto. Cujus praeteritum quando activam habet significationem, tam in simplici, quam in composito deficit: quando vero absolutam et similem sto verbo, commune cum eo habet praeteritum, ut resisto vel resto restiti, consisto et consto constiti, persisto et persto perstiti. Supina eorum, quae in xui vel in xi praeteritum terminant, per xum exeunt, ut nexui nexum, pexui vel pexi pexum, flexi flexum. Similiter faciunt supinum, quae in ctor desinunt deponentia, amplector amplexum. Petivi vero secundum analogiam in vi terminantium praeteritum petitum facit penultima producta. Similiter messui messum, sicut censui censum. Misi duplicavit

48

---

lito munere retinendum mihi fuit, quamquam teneo, Ger. Io. Vossium de Arte Gr. V. p. 313. a. praeeunte Grotio accusativum *insolita munera* legi jubere.

Ter. in Phorm. v. Ind. *Cato in II. Orig.* Dresd. *V.* Sequentem Catonis locum aliter constitui, ac in libris editis legitur. In his enim, qui nunc unus est, divisim legitur, ita ut verba *in montibus* loci alterius initium faciant, et vox *idem* allegationis significatio sit. Equidem, ut ab hac ratione discederem, eo potissimum commotus sum, quod *metit*, pro quo libri editi *messuit* exhibent, in omnibus Codicibus inveniebam. Jam vero si haec lectio genuina est, de quo Codicum consensus dubitare vetat, hoc *metit* non potest pertinere ad locum diversum a priore. Nam tum nulla esset ratio, ob quam haec verba a Nostro allegarentur. Ergo semicolon posui post *serit* et τῷ *idem* ante *in montibus* significari censeo eum, qui hordeum demessuit. Jam varietas lectionis notanda est. *in campo Tiburti.* Duo meorum Codd. *tiburte. ubi.* Erl. 2. *ibi.* MS. Lips. 2. *dimessuit. idem in montibus.* Perperam Edd. Bas. Colon. *in montibus* pro titulo libri habent. *serit.* Put-

ss in supino missum. A stertui enim supinum non inveni nec a sisto. Deponentia in tor desinentia, nulla antecedente consonante, tor in sum convertunt, utor usum, nitor nisum. Invenitur tamen etiam nixum. In xo duo inveniuntur o in ui convertentia in praeterito, texo texui, et nexo nexas vel nexis nexui. Ovidius in VII. Metamorphoseon: *Luna quater plenum tenuata retexuit orbem.* Cicero in II. de Oratore: *Sic omnia, quae fiunt, quaeque aguntur, lenioribus principiis natura ipsa retexuit.* Virgilius in quinto: *Nexantem nodis seque in sua membra plicantem.* Idem in eodem: *Et paribus palmas amborum innexuit armis.* Livius: *Nexabant multa inter se flevu nodorum dubio.* Attius in Deiphobo: *Nos continuo ferrum eripimus, omnibus manicas neximus.* Supina alterum per tum, alterum per sum finiunt, textum, nexum. Unde Virgilius in VIII. *Et clipei non enarrabile textum.* Idem in quinto: *Qui primus nodos et vincula linea rupit, quis innexa pedem malo pendebat ab alto.*

Quartae conjugationis verba omnia activa vel neu- IX
tra in io desinunt, exceptis eo, et queo, et veneo, et ex 49
eis compositis. In cio igitur desinentia duarum excedentia numerum syllabarum simplicia n antecedente cio in xi conversa faciunt praeteritum perfectum, ut vincio vinxi, sancio sanxi. Vetustissimi tamen etiam sancivi vel sancii proferebant. Pomponius Secundus ad Thra-

---

schius cum caeteris *seruit*. Codices mei omnes *serit*. *ibidem*. Vulgo *ibi hordeum idem*. E glossemate *hordeum* additum esse puto. Recepi ergo lectionem Cod. Lips. 3. *metit*. Libri editi, ut dictum est, *messui* nulla, puto, Codicum auctoritate.

Cassius Hemina. Hoc quoque loco nonnulli Codd. *tiburte*. Pro *ubi* Erl. 2. *ibi*. Lips. 2. *dimessuit*.

§. 48. *Persius*. Sat. VI. vs. 10.

a stertui. Vulgo *a sterto*. Recepi lectionem, quam MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. praestant.

Ovidius in VII. Metam. vs. 531. Equidem e Cod. Heidelb. emendavi numerum libri, quem Putschius cum caeteris perperam edidit, IV.

Cic. in II. de Oratore. lenioribus. Vulgo *levioribus*. Equidem recentus MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. *lenioribus* recepi, quam genuinam esse censeo lectionem. MS. Dresd. omisit hunc locum.

Virg. in V. vs. 279. *Idem in eodem.* vs. 425.

Attius. Codd. *accius* vel *actius*. Erl. 1. *omnes manicis*.

Virg. in VIII. vs. 625. *Idem in V.* vs. 510. 11.

seam: *Sancierat jus utile civitati.* Sin autem n non habuerint, cio in si mutata faciunt praeteritum, sarcio sarsi, farcio farsi, raucio rausi, fulcio fulsi: quod Probo placet. Quamvis alii differentiae causa fulxi posuerunt. Cicero in primo de Oratore: *At Aesopum, si paulum inrauserit, explodi.* In eodem: *Peranguste refersit in oratione sua.* Idem pro Cornelio lib. II. *Qui eis rebus urbem Italiamque referserunt.* Idem in II. Tusculanarum: *Ex quibus verbis etiam omnia referserunt.* Alia vero omnia supradictae conjugationis verba secundae personae praesentis, abjecta finali s, et addita vi faciunt praeteritum perfectum: quod tamen etiam subtracta v consonante, et correpta penultima i licet proferre, ut scio scis scivi vel scii, et ab eo composita, adscio adscivi vel adscii. Similiter cio cis, quod et cieo cies dicitur, civi vel cii, et ab eo composita, concio concis concivi vel concii, audio audivi vel audii, mollio mollivi vel mollii, munio munivi vel munii, saevio saevivi vel saevii, eo ivi vel ii, queo quivi vel quii, veneo venivi vel venii. Solinus in Collectaneis: *Tatius in arce, ubi nunc aedis est Junonis Monetae, qui anno quinto quam ingressus urbem fuerat a Laurentibus interemptus est, septima et vicesima Olympiade hominem exivit.* Salustius in Catilinario: *Sed neq. pretio neque gratia impelli quivit.* Idem

---

§. 49. *jus utile.* Retinui vulgatam lectionem auctoritate MS. Erl. 2. qui non paucis locis saniora dat caeteris. Hoc enim loco reliqui Codices fere omnes exhibent *uti legi.* Lips. 3. omissa *uti* particula *legi.* MS. Luth. e corr. nunc quidem scriptum refert *utile*, olim vero habuit eandem lectionem, quam caeteri.

quod Probo placet. Omisi ante *Probo* conjunctionem *et* complurium Codicum jussu.

Cic. in I. Orat. Cap. 61. *inrauserit* pro *irrauserit* edidi e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. aliisque.

In eodem. Cap. 35. *Idem in II. Tuscul.* Cap. 2. Locus negligentissime redditus.

§. 50. *anno quinto quam.* Vulgo, *postquam.* Praetulisse recte mihi videor lectionem simpliciorem, quam MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. tuentur. Addere lubet glossema Codicis Heidelb. quo explicatur, cur Juno dicta sit Moneta: *officina fabrorum ubi signabatur pecunia et inde dicta moneta, quia monebat, ne fraus fieret aut in pondere aut in metallo.*

Salustius in Catil. Equidem puto respicere Priscianum Cap. 49, 1. ubi apud Cortium haec leguntur: *neque gratia neque precibus*

in I. Historiarum: *Neque se recipere aut instruere praelio quivere.* Suffio suffivi vel suffii, quod quamvis a neutro passivo componatur, tamen, quia significationem mutavit, mutavit etiam declinationem. Unde Virgilius in IIII. Georgicon: *At suffire thymo cerasque recidere inanes,* suffire dixit secundum rectam rationis declinationem, cum simplex ejus fieri est. Excipiuntur haurio hausi. Invenitur tamen etiam haurivi vel haurii. Varro in XXIIII. ad Ciceronem: *Quum indidem haurierint.* Sepio sepsi, sentio sensi, venio veni, aperio aperui, quod videtur a pario compositum, quod vetustissimi non solum secundum tertiam, sed etiam secundum quartam conjugationem declinabant. Unde Ennius: *Ova parire solet genus pennis condecoratum.* Igitur ex eo composita, si prin- 51
cipalem syllabam puram, nec ex integra praepositione habuerint, io in ui convertunt in praeterito, ut aperio aperui, cooperio cooperui. Reperio vero duplicavit p in praeterito, quippe diminuta una syllaba, reperio repperi. Simile est praeteritum a comperio comperi. Sunt alia ex hoc ipso composita deponentia, experior, operior, quorum participia expertus et opertus ostendunt a pario esse composita, cujus participium partus est. Salio salivi vel salii et salui. Virgilius in Bucolicis: *Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.* Idem praeteri-

---

neque pretio Ciceronem impellere potuere. Notat enim Cortius, in caeteris editionibus legi *quivere.* Quod si recte, puto, vides, quam indiligenter Priscianus reddat veterum scriptorum locos.

mutavit etiam declinationem. Addunt libri editi plerique *in praeterito et infinito.* Omisi haec Codicum auctoritate Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Edd. Ven. 1. 2.

Virg. in IV. Georg. vs. 241. Post *fieri* e Codd. reposui *est* pro *sit.*

Varro in XXIV. ad Cic. indidem pro vulgato *inde* edidi e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Hanc enim referre lectionem illos quoque censeo, qui per errorem librarii nunc quidem exhibeant *in diem,* ut Lips. 2., vel *id idem,* ut Erl. 2. Ed. Ven 1. *idem.*

genus pennis. Cod. Luth. *pinnis.*

§. 51. *reperio repperi.* Quod abundare videtur *reperio,* consensus Codicum Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. invitum me inserere coegit.

Sunt alia. Ante *alia* omisi *et* Codd. jubentibus.

Virg. in Buc. Ecl. V. vs. 47. *Idem in II. Georg.* vs. 384.

tum in secundo Georgicon: *Mollibus in pratis unctos saliere per utres.* In quibusdam tamen invenitur codicibus etiam saluere scriptum. Idem in XI. Aeneid. *Portisque ab equo regina sub ipsis desiluit.* Idem in quinto: *Haud mora, prosiluere omnes, ferit aurea clamor sidera.* Lucanus in tertio: *Insiluit solo nociturus pondere puppim.* Statius tamen in IX. Thebaidos: *Excussi salierunt cuspide dentes.* In eodem: *Insiliere vadis magnoque fragore solutus agger.* Ovidius in XI. Metamorphoseon: *Cum saepe assiluit defensae moenibus urbis.* Idem in IIII. Fastorum: *Per flammam saluisse pecus, saluisse colonos.* Quadrigarius in sexto Annali: *Artorius taurae dextrum*
52 *humerum sauciat atque ita resiluit.* Cambio, ἀμείβω, ponit Charisius, et ejus praeteritum campsi, quod ἀπὸ τοῦ κάμπτω ἔκαμψα Graeco esse videtur. Unde et campso campsas solebant vetustissimi dicere. Ennius in decimo: *Leucaten campsant.* Aio, cujus declinatio in usu frequenti non est, quartae conjugationis esse ostenditur ab imperativo in i terminante. Sic enim Probus de dubio perfecto tractans ostendit Naevium protulisse: *An nata est sponsa praegnans, vel ai, vel nega.* Attius in Ioe: *Quibusnam te aibant ortum locis,* pro aiebant, quod in hac conjugatione fieri solet. Et est notandum in hoc verbo, quod pares habent syllabas tres personae, aio ais ait, quod in alio hujus conjugationis verbo non invenis, et quod penultima primae solius personae producitur, quae sola i habet loco consonantis. Unde tertia quoque pluralis, quae solet a prima fieri, similiter i consonantem habens producit penultimam. Quod autem in aliis cor-

---

Idem in XI. vs. 500. E Codicibus meis adjeci *idem.*

Idem in V. vs. 140. *Lucanus in III.* vs. 626.

Statius in IX. Theb. v. Ind. *In eodem.* vs. 231. Putschius edidit *insiluere.* Nos Codicum Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. Erl. 1. 2. Dresd. praetulimus lectionem, *insiliere* unanimi quidem consensu exhibentium.

Ovid. in XI. Metam. vs. 526. *Idem in IV. Fast.* vs. 805. *flammam* scripsi pro *flammas* secundum Codices.

Artorius taurae. Pro *Taureae* e Codd. Lips. 2. Erl. 1. recepi *taurae.* Non enim est nomen proprium, sed appellativum. Heidelb. Erl. 2. *taurea. resiluit* edidi e Codd. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Heidelb. pro *resiliit.* MS. Luth. *resilivit.*

§. 52. *ἀμείβω* pro vulgato *ἀμείβομαι* recepi e Codd. Luth. Zwicc. 1. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd.

ripitur, ostendit usus. Virgilius in primo Aeneidos: *Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat.* Et Naevius: *An nata est sponsa praegnans, vel ai vel nega.* Nam nisi corripiatur a, iambus stare non potest. Invenimus tamen tertiam personam praeteriti ait, quasi a prima ai aisti ait, quae in usu non sunt. Unde neque perfecti neque plusquamperfecti, nec futuri subjunctivi in hoc verbo declinatio invenitur. Potest igitur etiam ait praesens pro praeterito accipi. Supina in xi quidem terminantium secundum supradictam regulam in ctum exeunt, vinxi vinctum, et sanxi sanctum, sancivi vero sancitum. Unde Lucretius: *Quod porro nequeas sancitum quandoquidem extat.* In si vero praeteritum finientia, l vel r antecedentibus, mutant eam in tum in hac conjugatione et faciunt supinum, ut fulsi fultum, farsi fartum, sarsi sartum, unde et sartores et fartores, et ex his composita, confercio confertum, refercio refertum. Cicero in II. Tusculanarum: *Tum jecore opimo farta et satiata.* Alia vero in si desinentia supradictam regulam servant, id est generalem in si desinentium, sensi sensum, rausi rausum. Unde Lucilius in XIX. *Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste.* Haurio hausi haustum differentiae causa assumpsit t, quamvis et aspiratione differat. Sepsi vero septum secundum proportionem in supradictis expositam facit. Veni ventum, et aperui apertum faciunt, sicut pario partum, et ex eis omnia composita, advenio adventum, convenio conventum, comperio compertum, experior expertum. Alia vero omnia, quae tam in vi quam in ii terminant 54

Leucaten campsant. Pro vulgato *Leucatem* secundum Codd. Luth. Heidelb. reposui *Leucaten.* Unus meorum Codd. *Leucatum.* Erl. 2. *Leucatan.*

Attius in Ioc. Vulgo *Ione*, quod Codices mei omnes iterum iterumque damnant.

Virg. in I. Aen. vs. 142.

potest igitur etiam. Adjeci e Codicibus Heidelb. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. Luth. Erl. 1. 2. *igitur.*

§. 53. *Unde Lucretius.* Lib. I. vs. 588. Mox post *praeteritum* Codicum jussu delevi *perfectum.*

Cicero in II. Tusc. Cap. 10. Vitiosissime Putschius Edd. Ald. Bas. Colon. secutus edidit *optimo.* Equidem e Codd. Zwicc. 2. Heidelb. aliisque reposui *opimo.*

praeteritum perfectum, in itum faciunt supinum penultima producta, tam in hac quam in aliis conjugationibus, ut audivi vel audii auditum, munivi vel munii munitum, scivi vel scii scitum, accersivi vel accersii accersitum, cupivi vel cupii cupitum. Excipiuntur in eo desinentia, et dissyllaba aliarum conjugationum, quae penultimam supini corripiunt, ut eo ivi vel ii itum, adeo adivi vel adii aditum, praetereo praeterivi vel praeterii praeteritum, queo quivi vel quii quitum, sino sivi vel sii situm, lino livi vel lii, quod rarissimo in usu est, litum. Cieo quoque civi vel cii citum corripit penultimam, quando vero a cio cis, quod quartae conjugationis est, producit eam. Pono quoque, quod antique posivi, in frequenti autem usu posui facit praeteritum, corripit penultimam in supino positum. Veneo quoque secundum analogiam venitum debet facere supinum, pro quo magis est venum in usu. Et supradicta omnia auctoritate veterum comprobantur, sicut jam superius ostendimus, rursusque referamus in memoriam. Virgilius in VIII. *O mihi praeteritos referat si Juppiter annos.* In eodem: *Amphitryoniades armenta abitumque pararet.* In quinto: *Nunc hos, nunc illos aditus omnemque pererrat.* In decimo: *Morte obita quales fama est volitare figuras.* Ovidius in IIII. Fastorum: *Sol aditus, quam quaeris, ait, ne vana labores, nupta Jovis fratri tertia regna tenet.* Idem in Heroidibus: *Tempore quo nobis inita est Cerealis Eleusin.* Terentius in Hecyra: *Nam cum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est.* Juvenalis in IIII. *Nam coitus jam longa oblivio, vel, si coneris, jacet exiguus cum ramice nervus.* Antepenultima quoque in futuri temporis participio corripitur. Idem comprobat Virgilius in II. Aeneidos: *Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum.* Lucanus in V. *Tum lurida pallens ora tulit, vultu sub nubem tristis ituro.* Cieo citus correpta penultima, ut diximus, facit. Statius in III. Thebaidos:

---

§. 54. *Virg. in VIII.* vs. 560. *In eodem.* vs. 214. *In quinto.* vs. 441. *In decimo.* vs. 641. *Ovid. in IV. Fast.* v. Ind. *Idem in Heroid.* IV. vs. 67. *Eleusin* e Codd. dedi pro *Eleusis.* *Terent. in Hec.* v. Ind. *Juvenalis in IV.* Sat. X. vss. 204. 5.

§. 55. *Virg. in II. Aen.* vs. 675. *Lucanus in V.* vss. 549. 50. *Statius in III. Theb.* v. Ind.

Virg. in III. Vulgo, *in quarto.* Putsch. sustulit vitium. vs. 675.

Atque hic ingenti Capaneus Mavortis amore excitus, et longum pridem indignantia pacem corda tumens. A cio vero citus penultima producta, ut Virgilius in tertio Aeneidos: *At genus e silvis Cyclopum et montibus altis excitum ruit ad portus et littora complet.* Sinor situs, et desinor desitus penultima correpta Cicero pro Cornelio in I. *Coeptum igitur per eos qui agi volebant, desitum est per hunc qui decessit.* Idem in I. Rhetoricorum: *Et si non ab eo quod in proximo desitum erit, deinceps incipietur.* Inde etiam situs dicitur pro negligentia. Virgilius in VII. *Sed te victa situ verique effoeta senectus.* Idem in II. Georgicon: *Mutataque insita mala ferre pirum.* Et in IIII. eorundem: *Et paribus lita corpora guttis.* Ideo 56
autem diximus dissyllaba in vi desinentia secundae vel tertiae conjugationis in supinis vel participiis praeteriti corripere penultimam, quia, sive dissyllaba sint quartae, ut scio scitus, sive ultra duas syllabas alterius quoque conjugationis, producunt, arcessivi arcessitus, cupivi cupitus, nisi sint a dissyllabis composita, ut insitus, incitus, illitus. Lucanus in VIII. *Illita tela dolis, nec Martem cominus usquam ausa pati virtus.* Virgilius in XII. *Crebro super ungula pulsu incita, nec domini memorum proculcat equorum.* Similiter impositus et propositus. Juvenalis in I. *Si te propositi nondum pudet atque eadem est mens.* Virgilius in III. *Impositis auro dapibus.* Praeterea notandum, quod sepelio sepelivi vel sepelii, sepultum in frequentiori usu est supinum. Antiquissimi etiam sepelitum dicebant. Unde Cato in Thermum: *Mortuus est, sepelitus est.* Salio quoque salivi vel salii saltum facit. Unde Virg. in VI. *Cum fatalis equus saltu super ardua venit Pergama.* Idem in XI. *At medias inter caedes exultat Amazon.* Solent enim frequentativa plerumque a supinis vel a participiis praeteritis nasci. Sallio sallitum facit, sallo salsum, quomodo 57
vello vulsum. Sisenna: *Sic in eam paludem multi pi-*

Cic. in I. Rhet. v. Ind. *Virg. in VII.* vs. 440. Pro *veri* tres Codd. *veteri* et pro *effoeta* duo *effecta*. *Idem in II. Georg.* v. Ind. *In IV. eorundem.* v. Ind. *Lucanus in VIII.* v. Ind. Pro vulgato *usquam* e Codd. reposui *unquam*.

§. 56. *Virg. in XII.* vs. 534. *Juvenalis in I.* v. Ind. *Virg. in III.* vs. 365. *Virg. in VI.* vs. 515. *Idem in XI.* vs. 648.

§. 57. *Sic in eam.* Ita Codd. Erl. 2. Heidelb. Erl. 1. edidi pro *meam*. Zwicc. 2. *in eadem*. Luth. *in eandem*.

scium salliendorum causa a navibus semionustis commeant. A sallio salliendorum dixit, non sallendorum. Salustius in III. Histor. *Parte consumpta reliqua cadaverum ad diuturnitatem usus sallerent.* sallerent dixit a sallo, non a sallio. Similiter Lucilius in VIII. *Sallere muraenas, mercem in frigidaria ferre.* Inde etiam futuri participia sallaturus et salsurus. Novius: *Sallaturus istaec mittam salem.* Mumius: *Istaec sum multo sale salsurus.* Sed etiam praeteriti participium sallitus et salsus. Cornelius Severus in VIII. De Statu suo: *Ad quem salliti pumiliones afferebantur.* Ambio ab eo compositum solum mutavit penultimam e in i: itaque in io quidem desinentium regulam servavit in supino et participio, quippe producta penultima, ambitus ambita ambitum. In nomine autem sive vocabulo rei, differentiae causa in eo terminantium regulam servans, corripuit penultimam ambitus, ut Ovidius in I. Metamorphoseon: *Jussit et ambitae circumdare littora terrae.* Lucanus in I. *Letalisque ambitus urbi, annua venali referens certamina campo.* Quamvis Scaurus in utroque similem esse tenorem putavit. Sed Vellejus Celer respondens Adriano imperatori per epistolam de hoc interroganti, declinatione et tenore ambitus nomen a participio ostendit discerni, quod usu quoque, ut ostendimus, confirmatur.

Novius. Ita Codicis Dresd. *novimus* exhibentis vestigia secutus edidi pro *Naevius.* Plures Codd. *Livius.* Ita et Edd. Ven.
pumiliones afferebantur. Duo Codd. *efferebantur.*
Ovid. in I. Metam. vs. 37. *Lucanus in I.* vs. 179.
Vellejus Celer. Plerique Codices *Velius.* Ita et Edd. Ven. 1. 2.

LIBER VNDECIMVS.

Qui tertio loco participium posuerunt, rectius fecisse videntur. Cum enim nomen et verbum primum et secundum tenuerunt locum, participium, quod ex utroque nascitur, sequentem jure exigit. Quaesitum est tamen, an bene separaverint id ab aliis partibus grammatici. Et primus Trypho, quem Apollonius quoque sequitur, maximus auctor artis grammaticae. Stoici enim quomodo articulum et pronomen unam partem orationis accipiebant, infinitum articulum vocantes, quem grammatici articulum, ei quoque adjungentes, etiam infinita nomina vel relativa: quod etiam Didymus facit, tractans de Latinitate. Finitum autem articulum dicebant idem Stoici, quod nunc pronomen vocamus finitum, quod et vera ratione solum pronomen est dicendum. Ergo Romani quoque artium scriptores Stoicorum secuti magis traditionem, pronomina finita dixerunt et infinita: nam articulos non habent. Sic igitur supradicti philosophi etiam participium ajebant appellationem esse reciprocam, id est, ἀντανάκλαστον προσηγορίαν, hoc modo, legens est lector, et lector est legens, cursor est currens, et currens est cursor, amator est amans, et amans est amator; vel nomen verbale vel modum verbi casualem. Unde videntur nostri adscivisse inter verba

---

Cap. XI. §. 1. *quaesitum est tamen* e Codd. posui pro *quaesitum tamen est*. Mox post *Stoici enim* e MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. inserui *quomodo*.

lector est legens. Inserui *est* e Codicibus; item post *currens*. Ante *cursor* expunxi *et*. *participialia* secundum Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. scripsi pro *partitiva*.

gerundia vel participialia, cum videantur ea diversos
2 assumere casus. Ideo autem participium separatim non tradebant partem orationis, quod nulla alia pars orationis semper in derivatione est, nullam propriam positionem habens, nisi participium. Caeterae enim partes prima impositione inventae sunt, ad quam derivativa etiam aptantur. Omnis enim pars orationis quocunque modo derivativa vel in eadem notione sive definitione primitivi sui accipitur, et eandem habet ei divisionem et eadem accidentia; vel in aliud quod jam ante erat ei suppositum in propria naturali positione. Unde etiam derivativum propter similitudinem ejus quod jam erat ante ex se ortum, ei addebatur, ut pater nomen, et paternus nomen. Similiter rex et regalis, taurus et taurinus nomina. Quicquid enim accidit primitivo, accidit etiam derivativo. Ferveo verbum et fervesco verbum. Similiter facio et facesso, video et viso, verba sunt ab eodem in idem. Sed etiam bene, male, derivativa adverbia a nominibus ab alio ad aliud ad similitudinem nata sunt ante in propria positione inventorum, ut pene, nempe, fere: haec enim a se orta sunt. Quicquid enim accidit his, accidit etiam illis, et quod suum
3 est adverbiorum, per omnia verba currunt. Quantum ergo ad hoc, id est quod in primitivis et in sua positione non inveniuntur participia, videntur Stoici bene fecisse. Sed rursus prohibet ea esse nomina temporum diversorum assumptio, quae fit in propriis transfigurationibus ad similitudinem verborum. Sed si quis dicat, quod nomina quoque multa inveniuntur tempus significantia, respondebimus, quod hoc interest inter partici-

---

§. 2. *semper in derivatione est.* Rejeci *est*, quod in libris vulgatis post *semper* legitur ad finem.

quocunque modo derivativa. Vulgo, *derivata.* Illud praestant Codd. Zwicc. 2. Lips. 2. Heidelb. aliique.

in eadem notione sive definitione. Libri vulgati pro recepto ablativo exhibent accusativum, quem damnant Codd. Luth. Heidelb. Erl. 2. Dresd. Lips. 1. 3. Edd. Ven. 1. 2. Erl. 1. ante correctionem eandem praestabat lectionem.

propria naturali. Interponitur his vulgo conjunctio *et*, quam, cum omissa sit in MSS. Erl. 1. 2. Lips. 1. Heidelb., ego etiam praetermittendam esse duxi.

ab eodem in idem. MS. Lips. 2. *ergo ab eodem in idem.* Post *nata sunt* e Codd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Heidelb. adjeci *ante.*

pia, et nomina temporalia: quod nomina illa nihil aliud significant nisi ipsum tempus per se, ut annus, mensis, dies, meridies, hodiernus, hesternus, crastinus, nec in propriis sunt transfigurationibus; participia vero actionem vel passionem aliquam in diverso fieri tempore demonstrant, non tempus ipsum per se, et quod eos sequuntur casus, quos et verba, ex quibus nascuntur, et quod verborum significationes habent, et quod pro verbo ponuntur, quorum nihil est suum nominis. Omne enim nomen a quocunque verbo natum vel genitivum sequitur casum vel dativum figurate per compassionem, quam Graeci *συμπάθειαν* vocant, ut amicus illius, speculator illius, auditor illius, victor illius, et dativum, ut amicus illi est, lector illi est, speculator illi est, victor illi est. Et nota, quod plerumque substantivum verbum, quod Graeci *ὑπαρκτικὸν* vocant, solet adjungi hujuscemodi figurae. Inveniuntur tamen pauca etiam 4
ablativum sequentia, ut dignus illa re, mactus virtute: accusativum vero figurate, ut exosus bella, praescius futura. Participiorum enim loco videntur posita illorum constructionem servasse. Verba autem et participia genitivo, vel dativo, vel accusativo, vel ablativo solent associari, ut misereor illius, miserens illius, parco illi, parcens illi, oro illum, orans illum, careo illo, carens illo. Et activa quidem plerumque accusativum sequuntur, passiva vero ablativum vel dativum figurate, genitivum vero admodum pauca. Sed de his, si deus annuerit, cum de dispositione vel constructione partium orationis scripserimus, id est *περὶ συντάξεως*, exponere latius conabimur. Ergo si verborum servaverint conse- 5

---

per omnia verba currunt. Vulgo, *percurrunt.* Simplex tuentur MSS. Erl. 2. Heidelb. Lips. 1.

§. 3. *Quantum ergo.* Pro vulgato *igitur* libens reposui e Codd. Lips. 1. 2. Heidelb. Luth. Erl. 1. 2. Dresd. *ergo.* Post *transfigurationibus* inserunt Codd. Dresd. Lips. 3. Erl. 1. 2. *ad similitudinem verborum.*

amicus illius. Codicum jussu omisi *est*, quod in vulgatis libris appositum legitur. Item *lector illius est* Codicum jussu expunxi.

speculator illi est. Subnectunt libri editi *auditor illi est*, quod cum a MSSis Codicibus meis omnibus absit, in textu relinquere dubitasse recte mihi videor. Caeterum in his omnibus turbant Codices, nunc hoc nunc illud omittentes. Quae nos edi jussimus, e Cod. Heidelb. hausimus.

quentiam participia sunt: sin, amissis temporibus, casus quoque, quos nomina solent verbalia sequi, attrahant, transeunt in ea, ut amans illum participium est, amo enim illum dicimus, amans autem illius nomen est, ut amator illius. Itaque et tempus amittit, et comparationem assumit, ut amantior amantissimus. Acceptus ab illo participium est, quia et accipior ab illo dicimus, acceptus illi nomen, ut amicus illi. Ideoque tempore quidem caret, comparationem vero adsciscit, ut acceptior acceptissimus. Et ea quidem sunt, quibus ostenditur participium aliud esse quam nomen. Verbum autem id esse non potest, cum casus habeat et declinationes et genera ad nominum formam. Nullum enim verbum haec habere potest. Itaque cum et verbi quaedam sua prohibent hoc esse nomen, id est tempora, et significationes, et nominis propria prohibent esse verbum, id est genera et casus, (quaecunque enim pars orationis habet genera apud Graecos vel Latinos, habet et casus: et quaecunque habet casus, habet et genera, exceptis paucis indeclinabilibus) mansit participium medium inter nomen et verbum. Unde rationabiliter hoc nomen est ei a grammaticis inditum, per confirmationem duarum partium orationis principalium. Nec solum participium, non ab aliqua propria vi, sed ab affinitate nominis et verbi nominatum est, sed aliae quoque quinque partes orationis, non ab sua vi, sed ab adjunctione, quam habent ad nomen vel verbum, vocabulum acceperunt. II Pronomen enim dicitur, quod pro 6 nomine ponitur, et adverbium, quod verbo adjungitur, et praepositio, quae tam nomini quam verbo praeponitur, et conjunctio, quae conjungit ea, et interjectio, quae his interjacet. Unde est dicendum, quod, si non sit nomen, nec verbum, nec alia pars orationis constare poterit. Itaque quibusdam philosophis placuit nomen

---

§. 5. *haec habere potest.* Vulgo, *potest haec habere.* Receptum ordinem tuentur Codices.

sua prohibent — propria prohibent. Binis his locis indicativum pro vulgato subjunctivo Codicum auctoritate reposui. Mox *habet et casus* eadem ratione edidi pro *et habet casus.*

§. 6. *caetera autem, id est stuppa et clavi.* Ante *stuppa* legitur in libris editis *cera*, quod cum e sequentibus insertum esse videatur, absitque a Codicibus, omittendum esse equidem existimavi.

et verbum solas esse partes orationis: caetera vero adminicula vel juncturas earum, quomodo navium partes sunt tabulae et trabes, caetera autem, id est stuppa, et clavi, et similia, vincula et conglutinationes partium navis, hoc est tabularum et trabium, non partes navis dicuntur. Sed est objiciendum ad hoc, quod cera et stuppa non ex eadem constat materia, ex qua tabulae et trabes; conjunctiones autem et praepositiones et similia ex eadem sunt materia, ex qua nomen et verbum constat, hoc est literis et syllabis et accentibus et intellectu. Itaque etiam per se prolatae, quod partes sunt 7
orationis, ostendunt. Quid enim est aliud pars orationis, nisi vox indicans mentis conceptum, hoc est cogitationem? Quaecunque igitur vox literata proferatur significans aliquid, jure pars orationis est dicenda. Quod si non essent partes, nunquam loco earum nomina ponerentur, cum loco cerae vel stuppae in navi tabula fungi non potest. Invenimus enim loco adverbii nomen una, multum, falso, quam: et pronomen similiter eo, illo: et loco conjunctionis tam nomen quam pronomen, quare, ideo: et adverbium loco nominis, ut mane novum, et sponte sua, et euge tuum, et belle tuum, et cras alterum. Sed si ideo, quia compaginem videntur praestare nomini et verbo, non sunt partes orationis dicendae, ergo nec partes corporis debemus accipere nervos, quia ligant membra et articulos, quod penitus videtur absurdum. Multo melius igitur quam principales et egregias partes nomen dicunt et verbum, alias autem his appendices. Quod autem participium nomen accepit a confirmatione nominis et verbi, nihil mirum, cum inveniuntur quaedam nominationes etiam ex abnegatione nascentes, ut neutrum genus, quod nec masculinum est, nec femininum, et infinitum verbum, quod personam non habet. Participium est igitur pars 8

---

constat. Sic Codd. Vulgo, *constant*.

ex eadem sunt materia. Inserui e Codd. *sunt*.

§. 7 *proferatur.* Subjunctivum pro indicativo poni jusserunt Codices tantum non omnes.

fungi non potest. Vulgo *possit*. Equidem Codices secutus sum. Ergo et mox *enim* pro *autem* reposui.

belle tuum. Adjeci e MSS. *tuum*.

orationis, quae pro verbo accipitur, ex quo et derivatur naturaliter, genus et casum habens ad similitudinem nominis, et accidentia verbo absque discretione personarum et modorum. Ideo autem repertum est participium, quod nomini verbum adjungitur, sed non aliter, nisi sit nominativus casus ei personae adjunctus, secundum quam profertur verbum, ut facio ego bonus, facis tu bonus, facit ille bonus. Cum igitur flectas nomen in obliquos casus, verbum ei adjungi non potest intransitivum, id est ἀμετάβατον, hoc est in sua manens persona. Nam μεταβατικὰ dicuntur, id est transitiva, quae ab alia ad aliam transeunt personam, in quibus solent obliqui casus adjungi verbis, ut misereor tui, moderatur imperator militibus. Hic enim, quia ab alia persona ad aliam transit verbi significatio, utimur obliquis. Cum igitur sunt intransitiva, quia non possunt obliqui casus his adjungi, loco verbi subit participium, ut bonus homo loquebatur, boni hominis loquentis orationem audivi, bono homini loquenti dedi, bonum hominem loquentem audivi, bono homine loquente delectatus sum. Ubique enim participium loco verbi intransitivi accipitur. Vocativus quoque, quomodo nominativus, intransitivis adjungitur, ut doctus loquens proficis, et docte loquens proficis vel profice. Sicut igitur pronomen ideo est inventum, ut adjungi primae et secundae verbi personae possit, (nomina enim tertiae personae conjungi volunt absque vocativo casu, qui semper secundae adjungitur personae) sic participia inventa sunt, ut quod deest verbis, id est casus compleant, conjuncta nominibus. Nec solum per obliquos casus utile est participium, sed etiam per nominativum. Diversa enim verba absque conjunctione adjungere non potes, ut lego disco, vel doceo discis, non est dicendum, sed lego et disco, vel doceo et discis. Nam hoc proprium est tam transitivorum quam intransitivorum. Participium autem si proferas pro aliquo verbo, et adjungas ei verbum, bene sine conjunctione profers, ut

9

---

§. 10. *geminabuntur* secundum Codices edidi pro *geminentur*. *currens fecit*. Vulgo, *facit*. Illud Codices tuentur. *generalem vel specialem*. *vel* pro *et* e Codd. reposui.

§. 11. *suppositae*. Ita Codd. pro vulgato *superpositae* exhibent.

legens disco, pro lego et disco, et docente me discis, pro doceo et discis. Contra autem nomina diversa, si 10
ad unum referantur, sine conjunctione oportet ea proferre, nisi adjectiva geminentur, ut pius Aeneas, Marcus Tullius Cicero. Si enim dicas pius et Aeneas, vel Marcus et Tullius et Cicero, quasi de alio et alio dicis. Accidentia vero sive adjectiva, si geminabuntur, necesse est interponi conjunctionem, ut bonus et pius et justus et fortis Aeneas. Verba quoque et participia si sequantur sese, conjunctione egent, ut legit et scribit doctor, loquens et currens fecit. Nec mirum, propria, quae insecabilem substantiam demonstrant, ut Socrates, Scipio, nec appellativa, quae secabilem, id est generalem vel specialem, quae dividi potest, substantiam indicant, ut animal, corpus, homo, taurus, equus, aurum, lapis, non egere conjunctione. Diversae enim substantiae in uno conjungi non possunt. Itaque cum dicam Publius Cornelius Scipio Africanus, non egeo conjunctionibus: unam enim his indico esse omnibus substantiam. Similiter homo est animal rationale mortale disciplinae capax, cum unam significo substantiam, quamvis multorum communem, non egeo conjunctionibus, quae diversas res solent conjungere. Diversae autem substantiae in eodem esse non possunt. Accidentia autem, quae substantiae jam ante suppositae 11
accidunt, possunt esse diversa in eadem substantia, ut si dicam Marcus Tullius Cicero, quia una est substantia, non eget conjunctionibus. Si autem dicam, sapiens et eloquens et felix Cicero, diversa ostendo accidentia in eadem substantia; itaque egent conjunctione. Illud quoque admonendum, quod, quemadmodum conjungitur adverbium verbo, sic etiam participio. Nec mirum, cum pro verbo ponitur, ut bene legens delectat, pro bene legit et delectat. Et quamvis ab indicativis deriventur verbis participia, potestate tamen et vi significationis omnes continent modos: hoc pacto exponens doce, pro expone et doce, utinam exponens docerem, pro utinam exponerem et

---

Si autem. Vulgo *sin autem.* Mox *in eadem substantia* secundum aliquot Codd posui pro *in una.*

exponens doce pro expone et doce. Vulgo, *doceo — expono — doceo.* Equidem Codices secutus hoc loco imperativum in

docerem, cum exponens doceam, pro cum exponam et doceam, exponens docere volo, pro exponere et docere volo. Ejus ergo obtinet vim modi, cujus verbo conjungitur. Et in hoc quoque quantam habeat cum infinito conjunctionem ostenditur. Infinita enim similiter cum ab indicativo nascuntur, pro omni accipiuntur modo. Dico enim scribere me indico, pro scribo: scribere te impero, pro scribe: scribere me opto, pro utinam scribam: scribere me volo, tum legere, pro cum scribam legere. Nec mirum in his una voce tam diversas inveniri significationes, cum in multis aliis quoque dictionibus hoc invenitur, ut circum nomen, et adverbium, eo pronomen, et verbum, et adverbium, et conjunctio. Similiter in aliis plurimis hoc invenis (sicut supra dictum est). Igitur participium inventum est, ut in nominativo quidem sine conjunctione proferatur cum alio verbo, ut legens doceo, pro lego et doceo. Quae constructio vel compositio intransitiva est, hoc est ipsam in se ostendit manere personam. Obliqui vero casus participiorum ad hoc sunt utiles, quod non solum sine conjunctione proferuntur cum obliquis casibus nominum, sed etiam ad alias transeunt personas, ut docentis potior, et docenti respondeo, et docentem audio, et illo docente didici. Ergo nominativus et vocativus intransitivus solet esse, ut legens ego homo facio, pro lego ego homo et facio. Et similiter vocativus, o homo bene legens fac, id est o homo bene lege et fac. Caeteri vero magis transitivi sunt, ut praedictum est, ut bellantis hominis misereor, pro bellat homo et ejus misereor, imperanti homini obedio, pro imperat homo et ei obedio, docentem hominem audio, pro docet homo et eum audio, lucente sole video, pro lucet sol et video. Nisi ipsa in sese faciat, id est *κατὰ ἰδιοπάθειαν* proferatur: tunc enim utimur consuetudine transitivorum,

12

---

textum recepi et expunxi, quae in libris vulgatis sequuntur: *exponens doce pro expone et doce,*

Ejus ergo. Vulgo *igitur.* Illud Codices tuentur.

tum legere. *tum* pro *cum* recepi e Codd.

§. 12. *maxime conjunguntur.* Vulgo, *referuntur,* ex correctione, puto. Nam MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. receptam tuentur lectionem. Unus Dresd. *adjunguntur,* quod praeferrem, nisi praestantissimorum Codicum auctoritas obstaret.

quae ἀλλοπάθειαν significant, ut misereor mei legentis, praebeo mihi legenti, accuso me legentem, fruor me legente, et ad eum casum maxime conjunguntur, quem verba desiderant, ut supra dictum est, misereor tui, miserens tui, invideo tibi, invidens tibi, accuso te, accusans te, dignor te illa re, dignans te illa re.

III 13 Accidunt autem participio sex, genus, casus, tempus, significatio, numerus, figura. Genus masculinum, ut amatus; foemininum, ut amata; neutrum, ut amatum; commune trium generum, ut hic et haec et hoc amans. Nam commune duum generum et ἐπίκοινον in participio invenire natura ipsa prohibet. Cum enim verba, ex quibus nascuntur participia, pariter omnibus adjunguntur generibus, ut legit vir, legit mulier, legit mancipium, necessario participium, quod ex eo proficiscitur, eisdem generibus associatur. Et siquidem in ns desinat, quod fit in praesenti tempore, quod est etiam praeteritum imperfectum, sine dubio trium est generum commune ad formam nominum adjectivorum: quae cum in duas desinunt consonantes, trium sunt generum communia. Sin vero in us finiantur masculina, pariter ad similitudinem adjectivorum in a finiunt foeminina, et in um neutra, quod fit in omni praeterito tempore et futuro. Nec mirum ad formam adjectivorum haec dirigi, cum pene vim habeant participia quoque nominum adjectivorum: accidentia enim propriis vel appellativis nominibus significant, velut illa, bonus homo, scribens homo, et illud accidit, et hoc accidit, fortis Scipio, scribens Scipio. Nec nos moveat, quod 14 sunt quaedam verba, quae naturaliter ad mares pertinent vel ad foeminas, quae videntur exigere, ut participia vel masculina sint solum vel foeminina, ut futuo, nubo, futuens, nubens: nam illud ad mares, hoc ad foeminas pertinet solum. Sed illud attendamus, quod adeo

---

§. 13. *in participio invenire.* Vulgo *inveniri in participio*, quam lectionem Heidelb. Cod. confirmat. Nihilo tamen minus reliquorum Codicum lectionem praeferre dubitavi, quamvis minus latine dictum videri possit. Mox *adjunguntur* pro *adjungantur* secundum Codices praestantissimos scripsi.

quod ex eo proficiscitur. Ita potiores Codices omnes. Vulgo, *ex ipso*, haud dubie e corr. Paulo post *desinat* Codicum auctoritate edidi pro *desinit*.

§. 14. *Nec nos moveat.* Erl. 2. *nec te moveat.*

natura ipsius verbi et participii communis est trium generum, quod sive vituperationis causa, sive figurate, licet maribus aptum verbum vel participium foemininis quoque adjungere, et contra facere, utputa bona anima futuit illam foeminam, pro bonae animae vir. Ergo et bona anima futuens foeminam gignit bonam animam, et bonum corpus futuens gignit bonum corpus. Nec vitiosam facio orationem, adjungens et foeminino et neutro generi hoc verbum et participium, quod ad mares solos videtur attinere. Et contra vituperationis causa possum dicere, ut Juvenalis in II. *Nubit amicus,* et nuptus vir. Et figurate bonus animus mulieris nubit mihi, et nuptus est mihi. Ergo sine dubio omne participium vel in duas desinens consonantes, trium est generum: vel mobile, in us masculinum, in a foemininum, in um neutrum terminat.

IV Tempora conjuncta habent praesentis et praeteriti imperfecti, praeteriti perfecti et plusquamperfecti, tam participia quam infinita verba ad similitudinem optativorum. Nascitur autem participium praesentis et praeteriti imperfecti a prima praeteriti imperfecti persona in omni conjugatione. Nec mirum, cum prima persona honestior est caeteris. Ipsa enim sine illis esse potest, illae autem sine hac esse non possunt: et ea illas sibi conjungere potest, illae autem minime. Ego enim et tu et ille facimus licet dicere, tu autem et ego facitis, vel ille et ego faciunt, nemo dicit. Virgilius in II. Aeneid. *Divellimur inde Iphitus et Pelias mecum.* Fit autem participium mutatione extremae syllabae supradicti temporis et personae, id est, bam in ns, ut amabam amans, docebam docens, legebam legens, faciebam faciens, muniebam muniens: exceptis in eo desinenbus quartae conjugationis verbis, quae contra aliorum regulam i habent ante bam productam: quam tamen antiqui diphthongum scribentes, transmutationem vocalium factam ostendebant, ut adeibam pro adiebam, queibam pro quiebam: quod etiam in aliis verbis saepe solet fieri, ut poleibam pro poliebam, insigneibam pro

---

Juvenalis in II. vs. 134.

in duas desinens consonantes trium est. Recte ita Codices mei omnes pro vulgato *desinit in consonantes et trium est generum.*

insigniebam. Nec tamen id prohibuit participia ad perfectorum regulam nasci; dicimus enim iens, adiens, quiens, poliens, insigniens. Haec tamen eadem parti- 16
cipia, quae a verbis in eo desinentibus quartae conjugationis nascuntur, anomale per obliquos casus pro ie eu habuerunt, iens euntis, quiens queuntis. Futuri vero temporis participia, si sint a verbis activis vel neutris vel deponentibus, fiunt ab extremo supinorum, addita rus, amatu amaturus, doctu docturus, lectu lecturus, auditu auditurus, statu staturus, locutu locuturus. A communi quoque verbo, quod in futuro tempore habet duo participia, unum quidem activum in rus, alterum vero passivum in dus, illud, quod in rus desinit, secundum praedictam fit regulam, criminatu criminaturus, osculatu osculaturus. Passiva vero ejusdem temporis participia fiunt a genitivo participii praesentis temporis, tis finali in dus conversa, ut amans amantis amandus, docens docentis docendus, legens legentis legendus, audiens audientis audiendus, praeteriens praetereuntis praetereundus, transiens transeuntis transeundus. Praeteriti vero temporis participia, quae in tus vel in sus vel in xus desinunt, similiter a supino extremo fiunt, addita s et correpta u. Nascuntur autem a verbis pas- 17
sivis et communibus et deponentibus et neutropassivis, et quibusdam neutris. A passivis, ut amatu amatus, domitu domitus, doctu doctus, deletu deletus, mersu mersus, pexu pexus, auditu auditus. A communibus, criminatu criminatus, osculatu osculatus. A deponentibus, for fatu fatus, reor ratu ratus, vereor veritu veritus, loquor locutu locutus, molior molitu molitus. A neutropassivis, gavisu gavisus, factu factus. A neutris vero paucis praeteritum nascitur, coenatu coenatus, pransu pransus, placitu placitus, nuptu nuptus. Excipitur mortuus a morior, cujus supinum cum secundum analogiam moritu et hinc moriturus facere futurum debeat, et praeteritum moritus, mortuus, non moritus, facit. Praeterea dubitatur, utrum potatu potaturus et

---

§. 15. *honestior est caeteris.* *est* pro *sit* Codicum auctoritate restitui.

illae autem minime. Post *autem* in vulgatis libris insertum *legis eam*, quod, cum absit a Codd., omisi.

Virg. in II. Aen. vs. 434.

potatus secundum analogiam, an potu potus poturus per syncopam melius dicatur, quae in usu sunt. Virgilius in Bucolicis: *Huc ipsi potum venient per prata juvenci.* Idem in IIII. Georgicon: *Quoque modo potis gauderent intuba rivis.* Lucanus in V. *Strymona sic gelidum bruma pellente relinquunt poturae te, Nile, grues.* Ex quo ostenditur potus quoque participium esse. Nec mirum, cum lautus et lauturus pro lavatus et lavaturus in usu est. Nam secundum Terentium lavatus et lavaturus debet proferri, qui supinum lavatum protulit in Eunucho: *Vix elocuta 'st hoc, foras simul omnes proruunt se, abeunt lavatum, perstrepunt.* Unde Ovidius in III. Fastorum: *Sylvia Vestalis, quid enim vetat inde moveri? sacra lavaturas mane petebat aquas.* Quaeritur, ortum ortu, unde ortus, an oritum oritu, unde oriturus. Horatius in II. Epist. *Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.* Partum partu, unde partus, an paritum paritu, unde pariturus: rutum rutu, unde erutus, an ruitum ruitu, unde ruiturus. Lucanus in IIII. *Ruituraque semper stat mirum moles.* Cassum cassu, unde cassus, an caritum caritu, unde cariturus. Juvenalis in II. *Tollere dulcem cogitat haeredem cariturus turture magno.* Virgilius in II. Aeneidos: *Demisere neci, nunc cassum lumine lugent.* Quibusdam tamen hoc, id est cassus, magis nomen esse videtur, ut lassus. In anomalis quoque supradictae regulae servantur, latu laturus latus, ferens ferentis ferendus, esu esurus esus, edens edentis edendus. Et sciendum, quod, si deficiant supina, deficiunt

---

§. 17. *potu potus poturus.* Inserui e Codd. *potus.*

Virg. in Bucolicis. Ecl. 7, 11. *Idem in IV. Georg.* vs. 120. *intuba* e Cod. Luth. reposui pro *intyba.* Caeteri Codd. *intiba.* Nonnulli *fibris* pro *rivis.* Hoc tamen tuentur plerique.

Lucanus in V. vs. 711.

§. 18. *Terent. in Eun.* Act. III. Sc. 5. vs. 51. 52. *Ovidius in III. Fast.* vss. 11. 12. *Horatius in II. Epp.* I. vs. 17: *nil ortum.* Pro *nihil* secundum Codices nonnullos edidi *nil.*

rutum rutu e Codice Lips. 1. sic edidi pro *erutum erutu.* Item in sequentibus *ruitum ruitu ruiturus* dedi ejusdem Codicis auctoritate pro *eruitum eruitu eruiturus.*

Lucanus in IV. 455. 56. *Juvenalis in II.* Sat. 6. vs. 39. *Virg. in II. Aen.* vs. 85. Plures Codices pro *demisere* exhibent *dimisere.*

etiam participia, tam futuri temporis in rus desinentia, quam praeteriti, quae ex ipsis nascuntur; quod invenis in omnibus meditativis et inchoativis, in quibus deficiunt supina duo extrema, quibus deficientibus supradictorum quoque temporum deficiunt participia. Rarissime inveniuntur supradicta supina in usu a neutris secundae conjugationis vel tertiae in uo desinentibus, quae in ui divisas faciunt praeteritum perfectum, ut lecturio, parturio, esurio, horresco, calesco, fervesco, amasco, misereseo, labasco, hisco, horreo, tepeo, algeo, egeo, caleo, ferveo, stupeo, lateo, candeo, niteo, albeo, renuo, luo. Rarissime tamen, ut diximus, inveniuntur ex quibusdam hujuscemodi verbis supina, vel futuri temporis participia, ut doleo doliturus, careo cariturus. Et alia tamen multa inveniuntur deficientia, in aliis quoque significationibus vel generibus verborum, tam supina quam ex eis nascentia, ut urgeo, spuo, metuo, timeo, medeor, disco, posco, compesco, cresco. Et quocunque tempore defectiva sint verba, deficiunt etiam participia, ut ambigo, scando, niteo, vergo, arceo, mando mandis, strideo: quamvis apud vetustissimos eorum quoque praeterita inveniuntur. Ferio quoque et vescor, quia praeteritum tempus non habent, deficiunt etiam in participiis ejusdem temporis. Coepi non habet praesens et futurum, nec participium, sed tantummodo praeteriti coeptus. Similiter odi, novi, osus, ex quo perosus et exosus, notus. Plautus in Amphitruone: *Inimicos semper osa sum obtuerier.* Et verbale

---

§. 19. Pro *labasco* Codices praestantissimi omnes *lavasco*. Non tamen recipere ausus sum, cum error facillimus sit.

defectiva sint. Subjunctivum pro indicativo *sunt* recepi e Codd.

arceo. Vulgo *areo*, quod damnant Codd. Lips. 1. 2. 3. Heidelb. Erl. 2. Dresd. Mox *inveniuntur* Codicum meorum omnium auctoritate scripsi pro *inveniantur*.

Ferio. Vulgo *ferior*. Equidem secutus sum Codicum praestantissimorum auctoritatem.

praesens et futurum. Vulgo *nec futurum*. Equidem expressi Codicum Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. lectionem.

sed tantummodo praeteriti. Ita secundum MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. Erl. 1. 2. Dresd scripsi pro vulgato *praeteritum*.

Plautus in Amphitruone. Act. III. Sc. 2. vs. 19.

tamen nomen ex eo protulit idem Plautus in Asinaria: *Madidum nihil in continentem, atque osorem uxoris suae.* Et memini meminens. Laevius Erotopaegnion IIII. *Meminens Varro corde volutat.* quia memini tam praesentis quam praeteriti vim habet, quomodo odi. Unde et osus pro praesenti, et meminens pro praeterito licet
V accipere; nam novi praesens nosco noscens facit. Si-
20 militer impersonalia deficiunt in supinis et participiis, quae ex supinis nascuntur, ut piget, pudet, quamvis quidam puditum posuerunt, ut Plautus in Bacchidibus: *Neque mei, neque tui te intus puditum est factis, quae facis.* Taedet, poenitet, piget, liquet, licet, libet, oportet. Sed compositum pertaesum invenitur, et poenitens, unde poenitentia, et libens et licens, unde licentia, et licitus. Virgilius in VIII. *Et licito tandem sermone fruuntur.* Horatius: *Licentum Satyrorum greges.* Sciendum tamen, quod haec omnia inveniuntur perfectorum declinationem habentia in usu veterum, teste Capro, pigeo, pudeo, taedeo, poeniteo, liqueo, liceo, libeo, oporteo, quomodo placeo, contingo, evenio, vaco, attineo, accido, juvo, delecto, quorum tertiae personae impersonalium vice funguntur, placet, contingit, evenit, vacat, accidit, attinet, juvat, delectat. Non tamen etiam si participia deficiant, deficiunt et verba: illa
21 enim ex eis, non ista ex illis nascuntur. Sunt tamen quaedam participia, quorum quamvis deficiant verba in usu, ratio tamen analogiae, quod dici possunt, ostendit, ut triumphatus, erratus, regnatus, laboratus, de-

---

idem Plautus. Adjeci e Codicibus meis *Plautus. in Asinaria.* Act. V. Sc. 2. vs. 9.

Laevius. Vulgo, *Livius.* Equidem Laevii nomen e Codd. Erl. 1. 2. recepi.

§. 20. *Plautus in Bacchid.* Act. III. Sc. 1. vs. 12. *mei* pro *me* recepi e Cod. Zwicc. 2.

poenitet, piget. Hoc ultimum inserui e Cod. Lips. 2.

Virgilius in VIII. vs. 468.

§. 21. *Virg. in VI.* vs. 836. *Idem in VI.* vs. 794. 95. Vulgo, *VII. Et in I. Aen.* vs. 639. *Idem in III.* vs. 690.

quid enim prohiberet. Hanc, puto, lectionem exhibet Cod. Lips. 1. scribens *prohibet et.* Vulgo, *prohibeat.* Plures Codd. *prohibet.*

hoc fieri. Vulgo *haec*, quod damant Codices mei omnes.

in nominibus quoque. Ante *in* delevi *cum* auctoritate Cod. Heidelb.

cursus. Virgilius in VI. *Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho.* Idem in VI. *Regnata per arva Saturno quondam.* Et in I. Aeneidos: *Arte laboratae vestes.* Idem in III. *Errata retrorsus litora Achaemenides comes infelicis Ulixis.* Terentius in Adelphis: *Decurso jam spatio.* Quid enim prohiberet verbis quoque eorum uti, nisi auctoritas deficeret? Nec mirum hoc fieri in participiis: in nominibus quoque inveniuntur, et in verbis quaedam derivativa vel composita, quorum primitiva vel simplicia in usu non sunt, ut dicimus puella diminutivum, quod videtur a puera nasci: ut enim tener tenera tenella, sic puer puera puella debuit dici. Quo tamen, quia auctores, quorum maxime usus regnavit, non sunt usi, nec nos utimur, licet inveniantur vetustissimi protulisse, et haec puera, et hic et haec puer. Ocior quasi ab oco, quod in usu non est, licet a Graeco est ὠκέως. Offendo quasi a verbo fendo componitur, quod non est lectum, sicut aspicio, inspicio, despicio, conspicio, respicio, suspicio, a verbo spicio, quod in usu non est. Similiter hoc idem in plurimis aliis invenies. Sunt quaedam, quae cum formam habeant participiorum, tamen carentia tempore nomina esse ostenduntur, ut galeatus, scutatus, pilatus, tunicatus, manuleatus, caligatus, bacatus, paludatus, togatus, praetextatus, trabeatus, comatus, braccatus, paenulatus, soleatus, cristatus, hastatus, lunatus, stellatus, literatus, turritus, cerritus, pellitus, cornutus, astutus, hirsutus. Quaedam enim primae conjugationis participiorum formam 22

---

a Graeco est ὠκέως. Pro vulgato *sit* dedi e Codd. meis *est*, et pro ὠκέος recepi ὠκέως, quod praestant Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd.

a verbo fendo. Vulgo, *a fendo verbo.* Nos in omnibus, quantum licuit, vestigiis Codicum insistendum esse censuimus.

§. 22. *pilatus.* Vulgo *pileatus.* Nos Codicum praestantissimorum Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Heidelb. Dresd. Luth. Zwicc. lectionem expressimus, quae quam commoda sit, neminem praeterire potest.

bacatus. Vulgo *bacchatus* vitiosissime. Quod praefigitur in libris editis *gemmatus*, delevimus, cum absit a Codd. tantum non omnibus, et glossema τοῦ *bacatus* esse appareat. Cod. Erl. 1. *qui habet bacas i. e. gemmas.*

soleatus, cristatus. Insertum legitur vulgo, *ocreatus*, quod auctoritate Codd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Heidelb. expunximus.

obtinent, id est, in atus desinentia. Quaedam vero tertiae, id est in itus vel in utus terminantia. Sunt alia eadem et nomina et participia, ut armatus ὁ ὁπλισθεὶς καὶ ὁ ὁπλιστής; doctus ὁ παιδευθεὶς καὶ ὁ εὐπαίδευτος; sanctus ὁ θεσπισθεὶς καὶ ὁ θεσπέσιος; acutus ὁ ὀξυνθεὶς καὶ ὁ ὀξύς; sapiens ὁ φρονῶν καὶ ὁ φρόνιμος; monitus ὁ ὑπομνησθεὶς καὶ ἡ ὑπόμνησις; judicatus ὁ κριθεὶς καὶ ἡ κρίσις; armatura ἡ ὁπλίσουσα καὶ ἡ ὅπλισις; scriptura ἡ γράψουσα καὶ ἡ γραφή; usura ἡ χρησομένη καὶ ὁ τόκος; litura ἡ ἀπαλείψουσα καὶ ἡ ἀπαλιφή; factum τὸ γενόμενον καὶ τὸ ἔργον; dictum τὸ λεχθὲν καὶ ὁ λόγος; visum τὸ ὀραθὲν καὶ τὸ ὅραμα; legendus ὁ ἀναγνωσθησόμενος καὶ ὁ ἀναγνωστέος; amandus ὁ φιληθησόμενος καὶ ὁ φιλητέος. Sic et alia plura, quae cum temporibus participia sunt, absque his nomina. Illud quoque attende, quod, cum a nominibus nomina, et verba, et adverbia, et conjunctiones soleant per derivationes vel compositiones proficisci, ut ab Aenea Aeneius, a patre patrisso, a claro clare, a qua et re quare, et a verbis similiter nomina et verba et participia et adverbia, ut a lego lector et lecturio et legens, a curro cursim, ab adverbiis nomina et adverbia, ut ultra ulterior ulterius, a participiis participia non possunt nasci, nec verba, sed vel nomina, ut indulgens, indulgentia, vel adverbia, indulgenter.

23

VI Casus quoque participia sex habent, quomodo no-
24 mina, nec sunt in ipsis deficientia aliquo casu. Nec mirum: nam in eo quoque imitantur adjectiva, quae nullo deficiunt casu, sive sint mobilia, sive in duas consonantes desinentia. Quae enim deficiunt, fixa sunt, ut fas, ditione, Jupiter, Jovis, iter, preci et prece, vicem et vice, tabi et tabo, maria, aera. Nam frugi, et nihili, et mancipi, et hujuscemodi, et similia non deficiunt aliquo casu certo, sed pro omni casu eadem terminatione funguntur. Quamvis possunt haec eadem figurate magis prolata, ut dictum est, per genitivum et dativum, quam indeclinabilia esse videri, ut si dicam cordi homo

---

ὁ εὐπαίδευτος. Adjicitur vulgo, ἤτοι ὁ παιδευτός. Codd. ignorant hoc additamentum. Item ἤτοι ἅγιος post θεσπέσιος. Item ἤτοι ὁ σοφός post φρόνιμος. Item ἤτοι ἡ χρῆσις post τόκος.

§. 23. *Sic et alia plura.* Ita Codices. Vulgo, *plurima.* *absque his.* Vulgo, *iis.* Nos Codices secuti sumus.

est mihi, cordi hominis, hoc est hominis qui mihi est cordi, cordi homini, cordi hominem: et possum cum omnibus casibus figurate jungere dativum. Sic frugi homo, id est qui frugi est, hoc est utilitati. Similiter omnibus casibus adjungitur figurate, et est magis dativus. Sed haec etiam de nomine latius tractavimus. Declinantur autem participia ad similitudinem et regulam nominum in ns desinentium, vel in us mobilium, exceptis, ut supra dictum est, illis, quae nascuntur a verbis quartae conjugationis in eo desinentibus, quorum genitivus vocales nominativi ie mutat in eu, iens euntis, quiens queuntis. Quamvis Plautus gerundium ejus abiendi dixit pro abeundi in Amphitruone: *Abiendi nunc tibi etiam occasio est.*

VII 25 Tempora participiis accidunt eadem, quae et verbis infinitis, id est praesens, quod est etiam praeteritum imperfectum, ut osculari et osculans, praeteritum perfectum, quod est etiam praeteritum plusquamperfectum, ut osculatum esse vel fuisse, et osculatus, futurum, osculatum iri, et osculaturus. Et sciendum, quod non ex omni significatione omnia tempora inveniuntur. Nam cum quinque sint significationes, id est activa, passiva, neutra, communis, deponens, ab activa quidem et neutra praesentis et futuri veniunt participia, ut amans, amaturus. In quibus quia praeteritum deficit, loco participii verbo utimur et nomine infinito, ut qui amavit, ὃς ἐφίλησεν, id est ὁ φιλήσας. Quomodo enim loco verbi participium accipitur necessitatis causa cum verbo substantivo, sic etiam, ubi participium deficit, necessario verbum infinito nomini substantivo junctum participii officio fungitur. Passivum quoque praeteritum et futurum habet, amatus, amandus. In praesenti autem deficit, pro quo similiter verbum cum praedicto nomine proferimus dicentes, qui amatur, ὃς φιλεῖται, pro ὁ φιλούμενος. Ex quo quoque ostenditur significatio participii, quod tam nominis quam verbi vim obtinet, quod et

---

§. 24. *qui mihi est cordi.* Sic Codd. Vulgo, *qui est mihi cordi.* *nunc tibi etiam.* Ita structa verba referunt MSS. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Vulgo, *etiam nunc tibi.*

§. 25. *communis, deponens.* Omittunt Codd. *et*, quod libri editi contra usum Nostri interponunt.

hoc pro illis, et illa pro hoc ponuntur. Dicimus enim legens est qui legit, et qui legit est legens, coenatus est
26 qui coenavit, et qui coenavit coenatus est. Illud quoque sciendum, quod saepe et praesenti pro praeterito, et praeterito pro praesenti utuntur auctores necessitatis causa, cum deficiant, et in or desinentia praesenti, et in o terminantia praeterito. Praesentis tamen participium, quod etiam praeteritum imperfectum significat, solet conjungi verbis praeteriti perfecti et plusquamperfecti, et significationem eorundem temporum complere, quomodo verba praesentis temporis, si adjungantur participiis praeteriti, praeteritum significant, ut coenatus sum, coenatus es, coenatus est, pro coenavi, coenasti, coenavit. Sic ergo, si dicam coenans fui fuisti fuit, coenavi coenasti coenavit, coenans fueram fueras fuerat, pro coenaveram coenaveras coenaverat, potest accipi. Itaque quod deest Latinitatis linguae naturaliter, completur juncturae ratione. Multa tamen in his quoque, quae regula exigit dici, sive euphoniae causa deficiunt, sive quod in usu non sunt, sicut et in aliis partibus orationis. A neutris, ut diximus, sicut ab activis, duum temporum participia veniunt, praesentis, ut stans,
27 futuri, ut staturus. Inveniuntur tamen quaedam ex eis etiam praeteriti temporis, ut coeno coenatus, prandeo pransus, placeo placitus, nubo nupta, pateo passus (et patior tamen passus facit), assuesco assuetus, quod quibusdam nomen magis esse videtur, sicut quiesco quietus. Juro etiam juratus, quod etiam in passiva significatione invenitur, quippe etiam verbum ipsum Lucanus in V. protulit: *Et laetae jurantur aves bubone sinistro.* Statius etiam in VII. Thebaidos: *Numina captivis etiam jurabere Thebis.* Virgilius in II. Georgicon: *Aut conjurato descendens Dacus ab Istro.* Addunt quidam etiam a careo cassus: quod si esset, cassurus deberet facere futurum, non cariturus, quod Juvenalis in secundo protulit: *Tollere dulcem cogitat heredem cariturus turture magno*, ut supra memoravimus. Ergo cassus magis nomen est, sicut lassus, et maxime cum vanum signifi-

---

hoc pro illis et illa pro hoc. Vulgo, *haec — his.* Nos singularem expressimus e Codd. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. aliisque.

§. 27. *Statius in VII. Theb.* vs. 102. *Virg. in II. Georg.* vs. 497. *Juven. in II.* Sat. 6. vs. 39. *Virg. in V. Aen.* vs. 332.

cat, ut *cassa fraude parat.* Titubo quoque titubatus facit. Virgilius in quinto Aeneidos: *Vestigia presso haud tenuit titubata solo.* Et in aliis multis neutrorum praeteriti participia vetustissimi protulisse inveniuntur, ut discessus, interitus, obitus, occasus, potus, senectus. Neutropassiva quoque, quae sunt quinque, trium 28
temporum habent participia, ut gaudeo gaudens gavisus gavisurus, audeo audens ausus ausurus, soleo solens solitus soliturus, fio fiens factus futurus, differentiae causa, ne, si facturus dicamus, simile sit participio, quod venit a facio verbo, quod vim activam possidet fio verbi, unde a supino ejus nascitur passivum praeteriti participium, et futuri activum, factum factu, factus facturus. Fido quoque fidens fisus fisurus. A communi verbo quatuor nascuntur participia, praesentis sive praeteriti imperfecti, quod activam solum habet significationem, ut criminor criminans *ὁ διαβάλλων οὐκ ἔτι καὶ ὁ διαβαλλόμενος*; praeteriti perfecti et plusquamperfecti, quod communem habet significationem tam passivi quam activi, ut criminatus *ὁ διαβαλὼν καὶ ὁ διαβληθείς*; futuri unum activum in rus desinens, ut criminaturus, et unum passivum in dus, ut criminandus. Omnia tamen in dus desinentia participia eadem etiam 29
nomina esse possunt, cum amittunt tempus, ut amandus *ὁ φιληθησόμενος καὶ ὁ φιλητέος*, docendus *ὁ διδαχθησόμενος καὶ ὁ διδακτέος*, legendus *ὁ ἀναγνωσθησόμενος καὶ ὁ ἀναγνωστέος.* A deponenti trium temporum veniunt participia, praesentis vel praeteriti imperfecti, ut sequens, praeteriti perfecti et plusquamperfecti, secutus, futuri, secuturus. Multa tamen ex hujuscemodi verbis inveniuntur apud antiquissimos participia praeteriti temporis, tam activam quam passivam significationem habentia, ut meditor *μελετῶ*, meditatus *ὁ μελετήσας καὶ ὁ μεμελετηθείς.* Terentius in Phormione: *Meditata mihi sunt omnia mea incommoda.* Auxilior auxiliatus *ὁ βοηθήσας καὶ ὁ βοηθηθείς.* Lucilius: *A me auxiliatus.* Et sic amplector amplexus *ὁ περιπλακεὶς καὶ ὁ περιπλεχθείς.* Petronius: *Animam nostro amplexam pe-*

---

§. 29. *Ter. in Phorm.* Act. II. Sc. 1. vs. 18. Mox in loco Lucilii delevi *et* post *auxiliatus.*

amplexam pectore. Vulgo *in pectore.* Videtur hoc *in* ab interpolatore additum esse, cum absit a Godd. praestantissimis.

ctore. Cicero pro Roscio: *Quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur.* Adminiculor adminiculatus ὁ βοηθήσας καὶ ὁ βοηθηθείς. Varro: *Tribunicio auxilio*
30 *adminiculatus.* Sed sciendum, quod verbis quoque plurimis, quae nunc in usu deponentia sunt, veteres sicut communibus usi sunt, de quibus, cum de verbo tractabamus, docuimus. A verbo sum, quod est anomalum, veteres praesentis temporis proferebant participium ens, unde componitur potens. Nam futurus magis a fio verbo videtur nasci, potest tamen etiam a fui esse existimari. Numerus participiis accidit uterque, singularis, ut currens, pluralis, ut currentes. Et sicut non deficiunt casibus, sic nec numeris defectiva invenies participia.

VIII Figuras habent, quas a verbis accipiunt. Nam per
31 se nunquam componitur participium, nisi prius verbum ejus componatur. Ergo vel simplicia sunt vel decomposita plerumque, quae Graeci παρασύνθετα vocant, id est a compositis verbis derivata, ut efficio efficiens, intelligo intelligens: si enim ipsa per se componantur, non prius verbis compositis, transeunt in nominum vim, sicut etiam, si comparentur, ut nocens innocens, sapiens insipiens. Simplicia enim eorum possunt et participia esse et nomina; composita vero sine dubio nomina sunt. Ideo autem addidimus plerumque, quod sunt quaedam, quae non servant compositionis verborum compaginem. Unde apparet, ea ex se composita, ut effringor effractus, contingor contactus, et similia. Indulgens, amans, acceptus, si comparentur, nomina sunt, indulgentior, amantior, acceptior, et similia. De diversis quoque consonantibus, quae ante us in praeteriti temporis participiis inveniuntur, quamvis per singulas verbi terminationes, cum de supinis tractabamus, docuimus, tamen hic etiam generaliter compre-
32 hendere non incongruum videtur esse. Omnia igitur participia praeteriti temporis vel in tus desinunt, ut

---

Cic. pro Roscio. Cap. 13. Secundum Codd. Luth. Heidelb. Lips. 2. Zwicc. 2. Erl. 1. 2. aliosque edidi *videantur* pro *videntur.*

§. 33. *Virg. in II. Georg.* vs. 33.

sallivi sallitus. Ita Codices mei omnes. Vulgo, *salivi salitus. non spiratus facit.* His adduntur ex alio loco transscripta haec: *Quaeritur, cur, cum spiro spiras et halo halas spiravi et halavi faciant, rerum vocabula i habeant, spiritus et halitus.*

amatus, adiutus, datus, domitus, solitus, cultus, munitus, conventus; vel in ctus, ut sectus, doctus, lectus, sanctus; vel in ptus, ut raptus, captus, sumptus; vel in stus, ut quaestus; vel in sus, ut risus, morsus, lusus, jussus; vel in psus, ut lapsus; vel in xus, ut fluxus, flexus, pexus. In tus desinunt omnia, quae praeteritum in vi syllabam terminant, mutatione vi in tus, ut amavi amatus, oravi oratus, adjuvi adjutus, delevi deletus, cupivi cupitus, lacessivi lacessitus, decrevi decretus, stravi stratus, munivi munitus, audivi auditus. Excipiuntur differentiae causa tria a longam in au convertentia, lavi lautus, favi fautus, cavi cautus, ne, si latus, fatus, catus diceremus, alias significationes habere putarentur. Et sciendum, quod haec omnia penultimas productas habent tam in verbis praeteriti quam in participiis, exceptis sevi satus et sivi situs, quae in participiis penultimas corripiunt, et livi vel lini litus. A civi quoque citus licet et corripere et producere penultimam: ab ivi quoque vel ii composita, et quivi vel quii corripiunt in participiis i ante tus, ut aditus, obitus, praeteritus, nequitus. Solvi enim solutus, et volvi volutus, abjecta i, produxerunt tamen u. A vero cor- 55
reptam ante tus in quatuor solis inveni participiis, duobus primae conjugationis, quae duplicant in praeterito priorem syllabam, dedi datus, et steti status, quod participio simile nomen est, unde futurum staturus. Secundae quoque unum inveni a deponenti reor ratus, et tertiae unum, de quo supra diximus, sevi satus. Unde Virgilius in II. Georgicon: *Mutatamque insita mala ferre pirum.* Sepelivi etiam notandum, quod sepultus facit; antiqui tamen et sepelitus dicebant. Et sallivi sallitus et salsus. Praeterea notanda sunt a salivi vel salui saltus et salturus. Ab halo halas halavi halitus nomen participiale, non halatus, et a spiro spiras spiravi spiritus similiter nomen participiale, non spiratus, facit. A pavi pastus, non patus, ab ambio ambitus, cor-

---

quae puto anteriora esse verbis, ideoque non sequi derivativorum regulam, quemodo judicatus, id est judicatio, et dominatus, id est dominatio. Absunt haec a Codd. Lips. 1. 2. Heidelb. Edd. Ven. 1. 2. In Ed. 1. uncis inclusa sunt. In Codd. Dresd. Lips. 3. Ed. 2. adjuta reperis post *exhalavisset*. His rationibus commoti nos expulimus additamentum nexum turbans.

repta penultima, quando nomen est: nam in participio producitur. Ovidius in primo Metamorphoseon: *Iussit et ambitae circumdare litora terrae.* Quod autem halavi ab halo est, ostendit usus. Juvenalis in IIII. *Et omni bellorum pompa animam exhalasset opimam,* pro exhala-
34 visset. I vero correptam habent ante tus omnia, quae praeteritum in ui divisas terminant, nisi sint ex praesentibus in io vel in uo divisas desinentibus, ut domui domitus, vetui vetitus, attonui attonitus, habui habitus, elicui elicitus, genui genitus, strepui strepitus. Excipiuntur primae quidem conjugationis duo, quae per synaeresim i proferuntur, secui sectus, fricui frictus. A neco quoque verbo necatus et nectus invenitur participium. Sed necatus proprie dicitur ferro, nectus alia vi. Illud quoque notandum, quod Horatius ponit in Epodo: *Non me Lucrina juverint conchilia, magisve rhombus, aut scari, si quos Eois intonata fluctibus hiems ad hoc vertit mare.* Intonata dixit, non intonita, cum Virgilius in IIII. Aeneidos: *Attonitus magno imperio monituque deorum.* Sonaturus quoque pro soniturus Horatius in primo Sermonum protulit: *Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os magna sonaturum, des nominis hujus honorem.* Virgilius in VI. *Dum flammas Jovis et sonitus imitatur Olympi.* In secunda quoque conjugatione excipiuntur in ui divisas in praeterito desinentia, quae penultimam i in participiis non habent, ut haec, docui doctus, tenui tentus, censui census. Tertiae quoque rapui raptus, et ex eo composita, corripui correptus, prae-
IX ripui praereptus. Similiter a canendo composita abs-
35 que i faciunt participia secundum primitivi formam, canor cantus, occinor occentus, accinor accentus, quamvis occinui et accinui faciat praeteritum. In rui etiam et in xui per idem tempus exeuntia non habent i in participiis, ut dissero disserui dissertus, desero deserui desertus, insero inserui insertus, aperio aperui apertus, nexui nexus, pexui pexus. Messui quoque messus facit, ut censui census. In lui vero desinentia ui in tus convertunt in participio, ut colo colui cultus, occulo occu-

---

Ovidius in I. Metam. vs. 37. *Juven. in IV.* v. Ind.

§. 34. *Horatius in Epodo.* II, 50. *Virg. in IV. Aen.* 282. *magno* pro *tanto* recepi e MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2.

lui occultus, consulo consului consultus, alo alui altus et alitus. Unde et volo volui vultus fecit, quod nomen est participiale, quomodo colui cultus, quando quartae est declinationis, quae etiam o verbi in u convertunt. Quae vero in praesenti in uo desinunt, i extrema praeteriti in tus conversa faciunt participia, ut polluo pollui pollutus, acuo acui acutus, suo sui sutus, tribuo tribui tributus, eruo erui erutus, quod solum penultimam corripit. Apud antiquiores tamen etiam ab hoc compositum producit penultimam, diruo dirui dirutus. A do quoque composita i brevem habent ante 56
tus in participio praeteriti, ut reddo redditus, credo creditus, prodo proditus, perdo perditus, vendo venditus. In ctus faciunt participia praeteriti passiva, quae verba per idem tempus activorum in xi faciunt, ut intellexi intellectus, duxi ductus, vexi vectus, auxi auctus, traxi tractus, pexi pectus, junxi junctus. Excipitur flexi, quod flexus facit participium. Similiter in ci vel in qui vocali longa antecedente desinentia in praeterito, feci factus, jeci jactus, vici victus, reliqui relictus. Similiter in gi, ut legi lectus, tetigi tactus, fregi fractus. In ptus exeunt participia praeteriti passiva, cum activa ejusdem temporis in pi vel in psi vel mi terminantur, ut cepi captus, coepi coeptus, rupi ruptus, scalpsi scalptus, compsi comptus, sumpsi sumptus, prompsi promptus, dempsi demptus, scripsi scriptus, nupsi nupta (nuptus enim naturaliter siletur, nisi per irrisionem vel figuram dicatur: quamvis vetustissimi novus nuptus protulisse inveniuntur, quod nunc in usu non est) emi emptus, ademi ademptus, redemi redemptus. Rapui quoque raptus facit, et ex eo composita, ut corripui correptus, praeripui praereptus. In 57
stus unum inveni deponens, queror questus, et passivum, pascor pastus, cum alia ejusdem formae soleant s abjicere, ut nascor natus, irascor iratus, obliviscor oblitus, paciscor pactus, nanciscor nactus, proficiscor profectus, ulciscor ultus, expergiscor experrectus. Defetiscor solum duplicavit se in participio defessus. X

Horatius in I. Serm. 4. vs. 44.

Virg. in VI. vs. 586.

§. 57. *defetiscor* scripsi secundum Codd. pro *deficiscor.*

quoque antecedente unum invenio in tus, a texui téxtus. In sus desinunt participia, quae ex verbis veniunt in si vel in di praeteritum activi terminantibus, nisi sint a do composita, de quibus superius diximus, vel quartae conjugationis, quae nullum participium in sus terminant, ut laesi laesus, mersi mersus, jussi jussus, mordeo momordi morsus, prandeo prandi pransus, tondeo totondi tonsus, obsideo obsedi obsessus, video vidi visus, fodio fodi fossus, tendo tetendi tensus, tundo tutudi tunsus, prehendo prehendi prehensus, scindo scidi scissus, findo fidi fissus. Excipiuntur ussi ustus, gessi gestus, torsi torsus et tortus. A torreo quoque tostus fit. Similiter faciunt participia, quae in li vel in ri vel in ti terminant praeteritum activorum, ut velli vel vulsi vulsus, fefelli falsus, pepuli pulsus, perculi
38 perculsus. A suffero sustuli anomalum est, et sublatus facit. Decucurri decursus, verri versus, verti versus. Excipitur peperi partus, differentiae causa: peperci enim parsus facit. Quartae conjugationis in si vel ri praeteritum terminantia in tus, non antecedente i, faciunt participia, farcio farsi fartus, sarcio sarsi sartus, fulcio fulsi fultus, haurio hausi haustus, reperio repperi repertus, comperio comperi compertus. In psus unum invenio a deponenti, labor lapsus. In xus tria invenio passiva, nexus a nexui, pexus a pexui, flexus a flexi. Similiter faciunt participia amplector amplexus, complector complexus. Supradictas formas servant in participio praeteriti communia et deponentia, quae facile ex simili terminatione passivorum dignosci possunt, quomodo faciant per singulas conjugationes participia praeteriti temporis. Neutra pauca habent praeteritum participium, ut supra dictum est, coeno coenatus, prandeo pransus, juro juratus, careo cassus (quod et nomen est), passus a pateo, titubo titubatus, placeo placitus,
39 quiesco quietus. A neutropassivis quinque sunt, gaudeo gavisus, audeo ausus, soleo solitus, fio factus, fido fisus. Vetustissimi tamen et ex aliis plurimis neutris inveniuntur protulisse participia praeteriti, quomodo

---

§. 39. *rigui, durui.* Vulgo *dirigui.* Receptam lectionem tuentur Codices omnes.

et communia et deponentia. Haec Codd. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Zwicc. Edd. Ven. 1. 2. substituunt

superius ostendimus, quae nunc in usu non sunt. Participium quoque futuri activum vel neutrale a supino fit, ut amatu amaturus, domitu domiturus, doctu docturus, flexu flexurus, fultu fulturus, factu facturus, sanctu sancturus. Pleraque tamen neutrorum secundae conjugationis in ui divisas desinentia praeterito deficiunt in supinis, ut horrui, rubui, tepui, ferbui, senui, egui, frigui, rigui, durui, stupui, et similia. Et quia superius diximus, quod verba activa vel neutra carent praeteriti temporis participio, sicut et passiva et communia et deponentia deficiunt in participiis instantis temporis, sed pro his substantivo nomine et verbo utimur, ut ὁ φιλήσας qui amavit, ὁ φιλούμενος qui amatur: sciendum, quod antiqui in activis et neutris verbis pro praeteriti temporis participiis etiam instanti tempore utebantur, ὁ ἐρχόμενος καὶ ἐλθὼν veniens dicentes, similiter ὁ παραγενόμενος καὶ ὁ παραγινόμενος adveniens. Virgilius in X. *Caeculus, et veniens Marsorum montibus Umbro.* Hic enim veniens ὁ ἐλθὼν significat. Terentius in Phormione: *Offendi adveniens, quicum volebam et ut volebam collocatam filiam.* Hic enim quoque adveniens ὁ παραγενόμενος significat. Statius in I. Theb. *Et caligantes abrupto sole Mycenas,* caligantes pro caligatas dixit.

---

pro iis, quae apud Putschium et caeteros leguntur: *praesens tempus non habent, quia non hoc significant, quod debent.* *Virg. in X.* vs. 544. *Terentius in Phorm.* Act. V. Sc. 1. vs. 31. *Statius in I. Theb.* vs 325.

LIBER DVODECIMVS.

1 Pronomen est pars orationis, quae pro nomine pro-
1 prio uniuscujusque accipitur, personasque finitas recipit. Pronomini accidunt sex, species, persona, genus, figura, numerus, casus. Species pronominum bipartita est: alia enim sunt primitiva, alia derivativa. Primitiva, ut ego, mei, tu, tui, sui: derivativa, ut meus, tuus, suus. Et primae quidem personae primitivum est ego, et reliqui casus sequentes. Secundae tu, et ejus obliqui. Tertiae vero ille, ipse, iste, hic, is, sui, quod nominativo caret, quomodo ἑαυτοῦ apud Graecos. Et ea quidem octo pronomina sunt primitiva vel simplicia, derivativa vero sunt septem, meus, tuus, suus, noster, vester, nostras, vestras. In his igitur quindecim pronominibus nulla fit controversia, quin omnes fateantur, ea esse pronomina. Quaeritur tamen, cur prima quidem persona et secunda singula habent pronomina, tertiam vero sex diversae indicant voces? Ad quod respondendum, quod prima quidem et secunda persona ideo non egent diversis vocibus, quia semper praesentes inter se sunt et demonstrativae, tertia vero persona modo demonstrativa est, ut hic, iste: modo relativa, ut is, ipse: modo praesens juxta, ut iste: modo
2 absens vel longe posita, ut ille. Si enim super omnes alias partes orationis finit personas pronomen, rectissi-

---

Lib. XII. §. 1. *is, sui.* Ante *sui* Codicum auctoritate expunxi *et.* Mox *habent pronomina.* Ita e Codd. Luth. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. scripsi pro *pronomina habeant.* Deinde *indicant* pro *indicent* restitui e MSS. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Zwicc. Dresd.

Post *respondendum* expunxi *est* Codicum jussu.

me tertiarum quoque personarum differentia distincte profertur, quae plurimas habet diversitates. Unde non irrationabiliter tertias verborum personas infinitas Apollonius dicit, cum nulla in eis certa finiatur persona, et profundae multitudinis sint capaces, quomodo et pluralis numerus nominum, nisi adjungas eis vel nomen vel pronomen, cum prima et secunda persona eis non egeat. Si enim dicam, scribo vel scribis, in ipsa voce definivi etiam personam scribentis et ostendi. Sin dicam, scribit, incertum, quis, donec addam vel nomen vel pronomen. Et primae quidem personae pronominum et secundae et tertiae, cum non discernunt genera, inaequalem habent etiam casuum declinationem, tam in singulari quam in plurali numero, ut ego mei vel mis mihi me a me, nos nostrum vel nostri nobis nos a nobis. Similiter secunda. Nam tertia, quae est sui sibi se a se, non solum genera, sed etiam numeros confundit. Nec mirum: nam cum relativa sit, ex antecedente cognitione possumus, ad quod genus vel numerum refertur, scire, quod facit in genere primae et secundae personae ipsa demonstratio, et praesentia utriusque. Illa vero, quae distinguunt genera, certam 3
habent et aequalem per utrumque numerum declinationis et casuum regulam, ut ille, ipse, iste, et reliqua novem. Sunt autem eorum alia demonstrativa, alia relativa, alia et demonstrativa et relativa. Unde notabiles et certae sunt personae. Et primae quidem et secundae personae pronomina sunt semper demonstrativa. Utraque enim, ut dictum est, praesens ostenditur persona, et ejus qui loquitur, et illius ad quem loquitur. Tertiae vero alia sunt demonstrativa, ut hic, iste: alia relativa, ut is, sui: alia modo demonstrativa, modo relativa, ut ille, ipse. Ille demonstrativum Terentius in Eunucho: *Viden' tu illum, Thais?* Relativum Virgilius in VII. *Sic Juppiter ille monebat.* Ipse vero, si per se

---

§. 2. *Similiter secunda.* Omisi Codicum auctoritate, quae in libris vulgatis addantur, *tu tui vel tis.*

§. 3. *alia demonstrativa — alia relativa — alia modo demonstrativa modo relativa.* Auctoritate Codd. Luth. Erl. 2. aliorumque in his omnibus neutrum restitui pro vulgato foeminino.

Terentius in Eun. Act. IV. Sc. 6. vs. 16. *Virg. in VII.* vs. 110.

proferatur in tertia persona, relativum est. Virgilius in III. Aeneidos: *Ipse arduus altaque pulsat sidera.* Si vero cum aliis pronominibus jungatur, eorum accipit significationem, ut idem poeta in V. Aeneidos: *Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.* Est enim hic demonstrativum, quoniam et ego, cui adjungitur, est demon-
4 strativum. Invenitur tamen saepissime absque aliis per eclipsim prolatum, et tamen eorum habet significationem, quae cum eo subaudiuntur, ut Virgilius in II. Aeneidos: *Quaeque ipse miserrima vidi.* Subauditur enim ego: quamvis verbum ipsum primae personae, id est vidi, habet in se intellectum pronominis quoque ejusdem personae. Interest autem inter demonstrationem et relationem hoc, quod demonstratio interrogationi reddita primam cognitionem ostendit. Quis fecit? ego. Relatio vero secundam cognitionem significat, ut is, de quo jam dixi. Jure igitur hic, quod primam cognitionem indicat, praeponitur, unde et praepositivum nominatur. Is autem, quod secundam cognitionem significat, subjungitur. Unde et subjunctivum pro merito nuncupatur, quod redigat in memoriam cognitionis primae, ut si dicam, Aeneas filius fuit Veneris, is est qui
5 vicit Turnum. Ipse quoque in tertia persona, ut dictum est, per se positum ad recordationem personae refertur jam cognitae. Recte igitur demonstrationem, quae significatur per ille et iste pronomina, reparat memoriae pronomen, quod est ipse. Non tamen ille et iste referri ad pronomen ipse possunt. Prima enim cognitio est per demonstrativa pronomina, secunda vero per relativa. Hoc idem pronomen, hoc est ipse, quidam commune existimaverunt, quia tribus adjungitur personis, ego ipse, tu ipse, ille ipse, non est tamen verum. Figurate enim vel discretionis vel significantiae causa primae et secundae adjungitur. Quod autem tertiae est, ostenditur ex eo quod dicimus, ego feci, tu fecisti, ipse fecit, et quod tertiae personae in id transferri possunt, quod maxime in interrogationibus animad-

---

Idem in V. Aen. vs. 846.

§. 4. *Virg. in II. Aen.* vs. 5.

habet in se. Vulgo *habeat in se.* Ego e Codicibus meis, in hoc quidem consentientibus, reduxi indicativum.

verti potest. Nunquam enim interrogante aliquo, quis dixit? quis fecit? quis audivit? respondemus ipse pro ego, vel pro tu, sed pro aliqua tertia persona. Quidam 6
etiam nomen hoc putaverunt, quia est quando pro solus accipitur, ut Virgilius in VII. *Ipse ratem conto subigit velisque ministrat.* Sed hic quoque per significantiam vel discretionem profertur. Nam cum pro nomine accipitur, quod suum est pronominis implet. Verba primae et secundae personae adjuncta pronominibus perfectionem faciunt, ego scripsi, tu docuisti: nominibus autem non, nisi sint verba substantiva vel vocativa, ut Typho dicor, Cicero sum. Ipse vero omnibus verbis adjunctum perfectionem habet, ipse dedi, ipse dedisti. Ergo hoc pronomen, id est ipse, ἐπιταγματικὸν etiam, hoc est impositivum vel subjunctivum, vocant Graeci, quod vel subjungit vel subjungitur alteri pronomini.

Derivativa pronomina septem esse diximus. A pri- II
ma persona derivantur tria; a singulari genitivo unum, 7
mei meus, a plurali duo, nostrum vel nostri, noster et nostras. A secunda quoque tria, a singulari unum, tui tuus, unde et corripitur penultima, quomodo in primitivo, a plurali pariter duo, vestrum vel vestri, vester et vestras. A tertia vero persona unum, sui suus: et quia primitivum tam singularis quam pluralis est numeri commune, derivativum quoque intrinsecus, ex qua parte possessoris persona significatur, per genitivum primitivi, ex quo nascitur, utriusque est numeri commune, ut suus illius, et suus illorum. In omnibus enim derivativis pronominibus duae intelliguntur personae, intrinsecus possessoris, extrinsecus possessionis. Unde intrinsecus personae, in quibus genitivi primitivorum, sicut dictum est, intelliguntur, ex quibus et derivantur, confundunt genera, quomodo et primitiva eorum: extrinsecus vero distinguunt ea pro generibus nominum, quibus adjunguntur, ut meus servus, mea ancilla, meum mancipium. Numerus vero intrinsecus hic intelligitur, quem habent genitivi primitivorum, ex quibus deri-

---

§. 6. *alteri pronomini.* Omittunt Codd. Luth. Lips. 1. 2. Dresd. Zwicc. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. quae in Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. addunt*ur*, *ut ego ipse.*

§. 7. *Derivativa pronomina.* Vulgo *pronomina derivativa, ex quibus et derivantur.* Inserui e Codd. *et.*

vantur. Genera etiam possessivorum demonstratio os-
8 tendit, quemadmodum in primitivis. Extrinsecus vero terminatio distinguit numerum, quomodo et genera et casus possessionum, in quibus regula eorum consequentiam servat mobilium nominum. Quaeritur, cur nostras et vestras a plurali tantummodo numero derivantur? Ad quod respondendum, quod patriam seu gentem significant. Patria autem vel gens unius esse non potest, sed semper multorum possessio. Itaque nostras dicimus, qui est a nostra patria vel gente, quam multi possidemus, hoc est tam mea quam meorum civium. Et possessiva quidem egent adjectione nominum ad plenam significationem, primitiva vero non semper. Itaque perfectum ad discretionem est, ego quidem affui, tu autem non aderas, deficiens vero quantum ad discretionem, affui quidem, non aderas autem. Jure igitur apud Graecos prima et secunda persona pronominum, quae sine dubio demonstrativae sunt, articulis adjungi non possunt, nec tertia quando, demonstrativa est. Nam ὁ αὐτὸς quando dicunt, relativo utun-
9 tur, non demonstrativo. Cum igitur et articulus relationem, et pronomen relationem habet, bis eundem ad cognitionem referri ostendunt. Ergo illos secuti, nos quoque declinando pronomina non addimus his articularia. Quid enim absurdius quam, cum Graeci articulos pronominibus non praeponant, nos pronomina pronominibus praeponere in declinatione? ad quam duntaxat hic haec hoc loco articulorum accipiuntur. Nam in omni oratione pronomina sunt. Nihil enim aliud nisi οὗτος, αὕτη, τοῦτο significant. Nec mirum, loco articulorum ea nos accepisse in declinatione, cum apud Graecos quoque iisdem vocibus et in articulis et in pronominibus solent uti, Ϝο Ϝη τὸ, ex quibus apud nos hic haec hoc nascuntur pronomina articularia. Itaque quia illa apud Graecos aspirantur, quae a vocali incipiunt, ea

---

§. 8. *multorum possessio.* Auctoritate Codicum expunxi *est*, quod libri vulgati his interponunt.

adjunctione. Ita Codices mei tantum non omnes. Vulgo, *adjectione.*

§. 9. *relationem habet.* Vulgo *habeant.* Nos Codicum lectionem exprimendam curavimus.

quoque apud Latinos et a vocali incipiunt et aspirationem habent. Possessivis solent praeponi articuli, sed ad sequentia nomina necessario intelliguntur, ὁ ἐμὸς δοῦλος, id est ὁ δοῦλος ἐμός. Sic hic meus servus, hoc est hic servus meus. Et primitivorum quidem nominativi, si cum verbis junguntur, perfecti sunt, ego scribo, tu vides, ille facit. Possessiva vero transitiva sunt semper, meus scribit, tuus dicit. Quemadmodum autem nomina tertiae sunt personae absque vocativo, tunc vero etiam primae et secundae, quando verbis substantivis vel vocativis junguntur, sic etiam ea, ut meus es amicus, meus diceris cognatus, tuus sum filius, tuus nominor pater, tuus vocor socius, tuus nuncupor patronus. Et sciendum, quod vocativum non habet aliud pronomen, nisi secundae personae primitivum, o tu, o vos. Et primae possessivum quando ad secundam transit personam: nam possessio est, quae vocatur ab ipso possessore, ad quam loquitur prima persona: ut Terentius in Eunucho: *O mea tu.* Idem in Andria: *O noster Chremes.* Uno enim eodemque pronomine tam prima quam secunda in hoc significatur persona. Et primae quidem personae possessivum tam ad secundam quam ad tertiam transit personam, secundae vero ad primam vel ad tertiam, ut tuus sum, tuus est. Ipsa enim sese possidere non potest, quomodo nec prima. Nam possessiva necessario in duabus diversis intelliguntur personis, et sunt transitiva. Si igitur transit a secunda persona possessivum, necesse est, cum separatur ab ea, vel primae adjungi, vel tertiae, quae carent vocativo, qui semper inter primam et secundam invenitur personam. Prima enim vocat, secunda vocatur. Et quaeritur, cur, si prima non potest possidere primam, nec secunda secundam, tertia possidet tertiam? In quo pariter ostenditur multitudo diversa, quae significatur per tertiam personam, unde et varias habuit voces et loca, sicut do-

---

nominibus solent. Vulgo *soleant.* Hoc quoque loco, ut debui, Codicum vestigiis institi. Ergo et mox digamma Aeolicum ad ὁ ἡ apposui.

cum verbis junguntur. Nec hic reliqui vulgatum subjunctivum, quem Codices damnant.

§. 10. *nuncupor patronus.* Inserunt libri vulgati *amicus*, quam vocem Codices mei omittunt. Item post *sciendum* delevi *est.*

cuimus. Quamvis ergo alia sit possidens, et alia quae possidetur, et in diversis personis et transitivis intelligatur, tamen potest in tertia simul utraque inveniri. In diversis, quod in prima et in secunda persona non potest, ut ipsa habeat et possessorem una et possessionem: nisi figurate dicamus, meus sum, tuus es, hoc est meae potestatis et tuae, vel pro reciprocis, quae apud Graecos compositae sunt, ἐμαυτοῦ φίλος εἰμὶ, meus amicus sum, ut Persius: *Vindicta postquam meus a praetore recessi.* Et Terentius in Phormione: *Ego meorum solus sum meus.* Nec mirum, cum etiam tertia persona soleat figurate primae adjungi, ut Virgilius: *Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena.* Et Cicero in IIII. Invectivarum: *Ego sum ille, Patres Conscripti, cui non fórum, in quo omnis aequitas continetur.* Et primae quidem possessivum personae transit tam ad secundam quam ad tertiam, sicut supra dictum est, ut tu meus es, et ille meus est. Secundae quoque possessivum tam ad primam dicitur quam ad tertiam, ut ego tuus sum,
12 et ille est tuus. Tertiae vero ad primam vel ad secundam transire non potest, nisi figurate, ut suus illius sum, vel suus illius es filius, sed ad aliam tertiam, suus illius iste, vel suus istius ille. Et attendendum, quod, quomodo sui, sibi, se, a se, quod est primitivum, ad omnes voces tertiae personae potest esse relativum, ut sui causa facit iste, et ille, et ipse, et hic, et is, sic suus, quod ab eo derivatur, possessivum est omnis tertiae personae, ut suus illius, istius, ipsius, hujus, ejus. Illud quoque sciendum, quod sui non solum ἑαυτοῦ, vel ἑοῦ, sed etiam αὐτοῦ vel οὗ significat, id est non solum tunc refertur ad tertiam personam, quando ipsa in se agit per reciprocationem, id est κατὰ ἀντανάκλασιν, vel αὐτοπάθειαν, ut ille sui miseretur, vel sibi prodest, vel se custodit, sed etiam cum ipsa agit, et sic alia in ipsam, id est cum retransitive dicitur, ut Terentius in Andria: *Orare jussit hera, si se ames, ut ad se venias.*

III Personae pronominum sunt tres, prima, secunda,
13 tertia. Prima est, cum ipsa, quae loquitur, de se pronun-

---

§. 11. *Persius.* Sat. V. vs. 88. *Terentius in Phorm.* Act. IV. Sc. 1. vs. 21. *Cic. in IV. Invectiv.* Cap. 1. E Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. inserui *non* ante *forum.*

tiat. Secunda, cum de ea pronuntiat, ad quam directo sermone loquitur. Tertia, cum de ea, quae nec loquitur, nec ad se directum accipit sermonem. Nam si dicamus, prima est, quae loquitur, potest nihil de se loqui, sed de secunda vel tertia, et fit dubitatio. Similiter de secunda si dicamus, ad quam loquitur, potest intelligi et ad primam et ad tertiam. Nam ipsa locutio pertinet non solum ad secundam, sed etiam ad primam et ad tertiam. De tertia quoque si dicamus, de qua loquitur, commune invenitur trium personarum. Nam et de prima, et de secunda, et de tertia loquitur. Melius igitur Apollonius, quem nos, quantum potuimus, sequi destinavimus, praepositis personarum diffinitionibus est usus. Enucleatim tamen in singulari numero prima dicitur persona. Nam in plurali conceptionem facit aliarum personarum, hoc est secundarum vel tertiarum: secundarum quidem, quando ad ipsas praesentes loquitur. ut ego et vos faciamus; tertiarum vero, quando ad alios loquens, id est ad secundam personam, alios sibi vel praesentes adjungit vel absentes, ut ego et isti fecimus, vel ego et illi fecimus. Potest tamen et utrasque simul sibi adjungere, ut ego et vos et illi fecimus. Secunda vero tertiam concipit solam, tu et ille, vel vos 14
et illi fecistis. Tertia autem tertiam solam, isti et illi fecerunt. Itaque etiam in hoc ostenditur late patens tertiae personae copia, quae omnibus adjungi potest. Quid igitur? quod multi simul loquentes dicunt, nos fecimus? Non est supradicto contrarium: unusquisque enim loquentium conceptionem facit eorum, qui una secum loquuntur. Quippe cum unusquisque pars est totius: qui si velit caeteros indicare secum loquentes, necessario secundae vel tertiae eos attribuit personae. Idque tam in pronominibus quam in verbis contingit, in quibus etiam finiuntur personae. Et sciendum, quod in prima quidem et secunda persona pronomen ponitur, in tertia vero non, nisi demonstratione egeat, vel relatione. Nam plerumque nomen in ejus locum ponimus, ut si Pompejus dicat ad Caesarem, ego et tu et Crassus

---

§. 12. *suus illius sum.* Ejeci Codicum imperio *filius* post *illius*. *Terentius in Andria.* IV, 2, 4. Post *jussit* inserit Lips. 1. *me.*

§. 14. *necessario secundae.* Ante *secundae* exturbavi *vel. in ejus locum.* Ita recte Putschius cum Codd. Bas. Colon. *loco.*

teneamus rempubl. Sin autem egeat demonstratione vel relatione, tunc ponimus pronomen, ut ego, et tu, et ille, quem vides, vel ego, et tu, et is, de quo dixi. Nam omne nomen tertiae est personae absque vocativo, sicut supra dictum est, nisi substantivo vel vocativo verbo conjungatur: et jure, quia ipsa positio prima nominum non ad aliquem, sed de aliquo habet locutionem. Dicimus enim, nominetur hic, qui natus est, Virgilius, nominativum proferentes. Prima enim et secunda, nisi figurate, adjunctione nominis non egent, cum et substantiam et qualitatem tam suam, ipse qui loquitur, quam ejus, ad quem praesens praesentem loquitur, videtur scire vel aspicere. Tertiae vero personae ideo congrue adjunguntur nomina, quia potest vel abesse persona, vel spatio ejus qualitas obscurari. Itaque pronomine quidem substantia per se, nomine vero etiam qualitas manifestatur, de qua saepe fit dubium in ea persona, ut Virgilius in sexto: *Quis pater ille virum qui sic comitatur euntem?* Cum ignoratur propria ejus qualitas, quaeritur nomen. Solam enim substantiam significant pronomina, quantum est in ipsius prolatione vocis.

IV 16 Genera pronominum sunt quinque, masculinum, ut hic, femininum, ut haec, neutrum, ut hoc, commune, ut nostras, vestras, trium generum, ut ego, tu. Cum igitur omnia pronomina, ut supra docuimus, sint XV, alia omnia mobilia sunt, id est ex masculinis foeminina et neutra faciunt, absque tribus primitivis primae et secundae personae, ego et tu, in quibus demonstratio ipsa secum genus ostendit, et sui, quod cum sit relativum, ut docuimus, tam genus quam numerum, non vocis discretione, sed priore cognitione subjicit. Relatio enim est cognitionis ante latae repraesentatio, ut scribit Virgilius ad laudem sui. Rogat te ille, ut causa sui facias. Quodsi quis dicat, cur ergo etiam is, cum

---

§. 15. *Virgilius in VI.* vs. 864.

substantiam significant. Eliminavi Codicum Lips. 1. Erl. 1. jussu *non etiam qualitatem,* quae post *substantiam* libri editi adjiciunt.

§. 16. *cognitione subjicit.* Sic Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. Vulgo *subiit,* quod Putschius quoque retinuit. Sensu autem prorsus destituta est haec lectio.

sit semper relativum, non est commune trium generum? respondemus, quod sui, sibi, se, a se, non solum relationis causa, quod supra diximus, sed etiam ipsius terminationis singulorum casuum, qui consimiles sunt primae et secundae, hoc habuit, ut confundat genera. Quomodo enim Graeci per tres personas primitivorum obliquos casus similiter habent terminantes, qui et communes sunt omnium generum, ἐμοῦ, σοῦ, οὗ, ἐμοὶ, σοὶ, οἷ, ἐμὲ, σὲ, ἕ, sic nos quoque illorum auctoritatem in plerisque secuti per tres personas habemus pronomina similiter terminantia per obliquos casus, et omnis communia generis, mei, tui, sui, mihi, tibi, sibi, me, te, se, a me, a te, a se. Alia vero omnia, sicut apud Graecos, mobilia sunt, ut ille illa illud, iste ista istud, hic haec hoc, is ea id, ipse ipsa ipsum. Derivativa quoque, meus 17
mea meum, tuus tua tuum, suus sua suum, noster nostra nostrum, vester vestra vestrum. Duo tamen inveniuntur communia, nostras et vestras: quorum perfecta nostratis erant, et vestratis. Unde quia ti syllabae syncopa facta est, mansit in a accentus perfecti, quomodo et in aliis multis, Arpinas pro Arpinatis, fumat pro fumavit, cupit pro cupivit, illic pro illicce. Itaque neutrum quoque eorum in e finitur, nostrate, vestrate, ex quo ostenditur illorum quoque nominativus in tis secundum analogiam a vetustissimis prolatus esse. Cassius Hemina in IV. Annali: *Hos libros si quis nostratis sapiens.* M. Cato in legis Maeviae suasione: *Rex Seleucus arma nostratia facit.* Plautus in Sticho: *Ergo oratores populi summates viri summi accumbent, ego infimatis infimus*, pro infimas. Necesse est autem omnia pronomina tria habere genera, vel in una eademque voce confusa, vel in diversis distincta terminationibus, idco quia pro uniuscujusque rei propriis accipiuntur nominibus, quae tam in masculinis et femininis, quam in 18

---

et secundae, hoc habuit. Post *secundae* Codicum meorum auctoritate delevi *personae.*

§. 17. *Cassius Hemina in IV.* Vulgo *III.* Equidem Codicum optimorum fidem secutus sum. Post *nostratis* inserit unus meorum Codd. *erit.*

Plautus in Sticho. Act. III. Sc. 2. vs. 36. *infimus* equidem adjeci e MSS. Dresd. Erl. 1. 2. Zwicc. 2. Heidelb. Lips.

neutris inveniuntur generibus, quae in pronominibus quoque necesse est ostendi, seu demonstratione sive relatione. Quaeritur tamen, cur habeat genus neutrum prima et secunda persona, cum naturaliter sermo inter mares et foeminas exercetur, quorum sunt primae et secundae personae, id est a quibus profertur et ad quos dirigitur loquela? Ad quod dicemus, quod possunt equidem etiam hominum inveniri nomina neutri generis, ut in maribus, hoc Basion, hoc Heliconion, quomodo etiam in foeminis, Glycerium, Dorcium. Possumus tamen etiam ad res, quae non habent naturam loquendi vel audiendi per conformationem, id est προσωποποιΐαν, primas et secundas adjungere personas, etiam-
19 si sint generis neutri, ut foro, mari, caelo. Illud quoque notandum, quod derivativa pronomina, quae sunt septem, ut supra ostendimus, meus, tuus, suus, noster, vester, nostras, vestras, alterius sunt intrinsecus generis, hoc est communis trium generum, in quo possessor ostenditur, et alterius extrinsecus, hoc est mobilis, in quo possessio denuntiatur. Quod terminatione consequenti discernitur, quomodo et numerus, sicut supra docuimus, quamvis qualitatem ipsius possessionis non declarent, nisi adjungas nomen. Et sciendum, quod intrinsecus proprii loco funguntur, extrinsecus vero magis appellativi. Nec solum in pronominibus derivativis, sed etiam in nominibus possessivis, et quae a propriis derivantur, infinitae possunt intelligi possessiones, nisi adjunctione nominis alicujus discernantur, ut meus
20 filius, Telamonius natus, Euandrius ensis. Et vide,
5 quod appellativa magis adsciscunt, quae communis sunt qualitatis. Tam autem possessiva pronomina, quam nomina in genitivum primitivorum resolvuntur. Quid est enim meus filius, nisi mei filius? Euandrius ensis, nisi Euandri ensis? Commune habent possessiva pronomina cum possessivis nominibus, quod in utrisque

---

§. 18. *inter mares et foeminas.* Ita plerique Codicum meorum. Vulgo, *non nisi inter mares aut foeminas.* Eadem ratione commotus *exercetur* pro *exerceatur* edidi.

hominum inveniri. Post *hominum* delevi *propria*, auctoritate Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Eorundem Codicum jussu edidi *in foeminis* pro *in foemininis.* Mox *conformationem* pro *confirmationem*, quod reperitur in Edd. Bas. Colon., cum Putschio restitui, expunxi

possessio subauditur, et quod binae intelliguntur personae, et quod in genitivos primitivorum similiter resolvuntur cum possessione. Non commune habent, quod pronomina possessiva omnis sunt communia possessoris, nomina autem possessiva non omnis. Hectoreus enim clipeus unius est proprium possessoris. Necnon ab appellativis quoque derivata, quamvis sint multorum communia possessorum, non tamen sic possunt esse communia, quomodo pronomina, ut humanus, marinus. Et quod nomina tertiae intelliguntur personae, nisi adjunguntur verbis substantivis, vel vocativis, pronomina vero primae et secundae inveniuntur personae. Dubitatur numerus possessoris in nominibus possessivis, quae ab appellativis derivantur, ut, si dicam taurina vestigia, possunt et unius et multorum intelligi taurorum: in pronominibus vero non, quia tam per singularem quam per pluralem numerum positiones sunt, excepto suus, cujus primitivum, id est sui, commune est utriusque numeri. Possessiva nomina ascendentibus non solent adjungi, ut Hectoreus pater non dicimus, frater vero vel servus dicimus: pronomina vero adjunguntur, ut meus pater. 20

Figura pronominum duplex est; aut enim simplicia sunt pronomina, aut composita. Simplicia sunt omnia alia per nominativos, tria tantum componuntur, unam interpretationem apud Graecos habentia, οὗτος, iste, hic, is. Componuntur igitur iste et hic secum, ut istic, istaec, istoc. Is vero cum adverbio idem, quod significat is demum, ex quibus et componitur, hoc est iterum is ejus, foemininum eadem, neutrum idem i correpta, quae in masculino producitur. Virgilius in IIII. Aeneidos: *Idem ambas ferro dolor; atque eadem hora tulisset.* Juvenalis in primo: *Et tamen alter, si fecisset idem, caderet sub judice morum.* In neutro tamen praeterea geminatur compositio: dicimus enim identidem, id est idem V 21

autem *hominum*, quod hic quoque reliquit, cum absit a Codicibus meis.

§. 20. *Possessiva nomina.* Post *possessiva* Codicum fusu ejeci *etiam*.

§. 21. *istic, istaec.* Insertum vulgo legitur *et*, quod Codices mei ignorant.

Virg. in IV. Aen. vs. 679. *Juvenalis in I.* Sat. IV. vs. 18.

et idem, cujus obliqui deficiunt casus. Et nominativus quidem tam masculini quam neutri ex duabus corruptis est, nec non accusativus tam masculini quam foeminini, mutatur enim m in n ante d euphoniae causa, ut eundem, eandem quod in aliis quoque compositis fieri solet propter eandem consonantem, ut quendam, quandam, quorundam, quarundam, quae tamen possunt et per
22 adjectionem habere extremam syllabam. Caeteri vero casus supradictorum pronominum, hoc est eadem, ejusdem, eidem, eodem, eadem, eisdem, easdem, eosdem, ex integro et corrupto inveniuntur. Itaque regula exigit per duas i, vel per e et i tam nominativum pluralem masculini, quam dativos et ablativos omnium pluralium scribi, id est, iidem vel eidem et iisdem vel eisdem. Juvenalis in II. Satirarum: *Dat eisdem ferre cinaedis.* Solent autem auctores etiam per synaeresim unam i ponere pro duabus, ut Virgilius in primo: *Et crudelia secum fata Lyci,* pro Lycii. et *Ille urbem Patavi,* pro Patavii. Juvenalis in III. *Antoni gladios potuit contemnere, si sic,* pro Antonii. Iste vero et hic non componitur, nisi per eos casus, qui in c desinunt, absque dativo, id est per nominativum, accusativum, ablativum singularem; per pluralem vero nullum, nisi nominativum neutri, qui est et accusativus. Nam hic solus in plurali numero c habet finalem, ut hic istic, haec istaec, hoc istoc, hunc istunc, hanc istanc. Terentius in Heautontimorumeno: *Suspicionem istanc ex illis quaere.* Hoc istoc, hac istac, haec istaec, qui semper singularem sequitur foeminini. Quidam tamen haec quoque per metaplasmum finis quam per compositionem proferri confirmant, unde nec aspirationem servant, quomodo nec
23 illic illac. Quod autem composita servant, ostendunt adverbia, abhinc, adhuc. Nam egomet et caetera, quibus adjungitur met, magis per porrectionem vel assumptionem, quam Graeci vocant ἐπέκτασιν vel παραγωγὴν, solent proferri. Et primae quidem personae omnibus

---

§. 22. *Juvenalis in II.* Sat. X. vs. 223. *Virg. in I.* vs. 113. 247. *Juven. in III.* Sat. XIV. 30.

Terentius in Heaut. Act. V. Sc. 2. vs. 41. Post *haec* delevi Codicum jussu *magis* e glossemate additum. Nam *quam* apud Nostrum significat *et non.*

§. 23. *solent* pro *solebunt* edidi secundum Codices meos.

adjungitur casibus met, ut egomet, meimet, mihimet, meimet. Secundae vero personae obliquis solis, tuimet, tibimet. Statius in VIII. Thebaidos: *Ceu tibimet sceptra et proprios laturus honores.* Nominativo autem ideo non additur, ne dubitationem faciat, cum etiam verbum intelligi possit, si dicamus tumet. Itaque brevem te syllabam pro met ei addere solent auctores, vel temet. Lucretius in I. *Accipe praeterea quae corpora tute necesse est.* Idem in eodem: *Tutemet a nobis, jam quo vis tempore vatum.* Ennius: *O Tite tute Tati tibi tanta tiranne tulisti.* Alphius Avitus in II. Excellentium: *Seu tute malis hospites, seu tute captivos habes.* Sunt enim dimetri iambici. Unde neque in alio casu eandem te syllabae adjectionem invenies, nec non pluralis numeri casibus additur met aliis, absque genitivo, nosmet nobismet, et vosmet vobismet. Cicero de domo sua: *Vobismet ipsis pontifices.* Tertiae quoque personae tripto- 24
to, id est suimet, sibimet, semet. Pte quoque ablativum quinque pronominum possessivorum invenio ascisсere, meapte, tuapte, suapte, nostrapte, vestrapte. Sciendum tamen, quod et met et te adduntur pronominibus supradictis, vel discretionis causa plerumque vel significantiae, ut Terentius in Adelphis: *Egomet rapui:* intelligimus enim ego et non alius. Cicero pro Muraena: *Quid quod cum admoneris, tamen quasi tute noris, ita salutas,* tute dixit pro tu ipse per te et non per alium. Nam tete utraque producta accusativus esse geminatus ostenditur, vel ablativus, quod et in prima et in tertia solet fieri persona, ut meme, sese. Composita tamen haec ostenduntur accentu penultimo acuto. Nec mirum, eam compositionem in his solis casibus inveniri, qui soli inter obliquos supradictorum pronominum singulares sunt monosyllabi: supradicta enim geminatio in aliis casibus fieri non solet. Et sciendum, quod hoc quo- 25
que ad Graecorum imitationem facimus, ut inveniantur quidam casus adhibentes compositionem vel adjectio-

---

Lucretius in I. vs. 270. *Idem in eodem.* vs. 103.

Alphius Avitus. Vulgo *Alpheus.* Nos Codices secuti verum nomen restituimus. *Cic. pro domo sua.* v. Ind.

§. 24. *Terentius in Adelphis.* v Ind *Cic. pro Muraena.* Cap. 36. *admoneris* secundum MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Zwicc. scripsi pro *admoneris.*

nem, alii vero abnegent. Solent enim apud illos Attici ἔγωγε, ἔμοιγε per duos casus, id est nominativum et dativum, addere, quae παραγωγὴ per alios casus non invenitur. Ἐμαυτοῦ, σαυτοῦ deficiunt nominativo. Ce quoque solebant per omnes casus vetustissimi addere articularibus vel demonstrativis pronominibus, hoc est ab aspiratione incipientibus, ut hicce, haecce, hocce. Unde hoc quasi duabus consonantibus cc sequentibus solent poetae producere: ut, *Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes eripis?* Et sic in antiquissimis codicibus invenitur bis cc scriptum, quomodo et apud Terentium in Andria: *Hoccine est credibile aut memorabile?*
26 Nunc vero eorundem pronominum his casibus frequenter additur ce, qui in s desinunt, euphoniae causa, hujusce, hisce, hosce, hasce. Nec solum poetae, sed etiam oratores his utuntur supradictis adjectionibus. Cicero in secundo Invectivarum: *Hosce ego non tam milites acris, quam infitiatores lentos esse arbitror.* Inveniuntur tamen etiam nominativum pluralem hice proferentes antiqui, ut Terentius in Eunucho: *Hice hoc munere arbitrantur suam Thaidem esse.* In quo videntur euphoniae causa s interposuisse. Nec non similiter illicce, unde illic quasi apocopa facta in fine servat accentum. Terentius in Andria: *Illic est hujus rei caput.* Illiusce, istiusce, illucce, istucce, veteres dicebant, teste Papiriano, qui de orthographia hoc ostendit. Terentius in Heautontimorumeno: *Illanccine mulierem alere cum illa familia.* Haec igitur, hoc est, met pte ce te adjectiones esse ipse sensus arguit, qui nullus in his separatis potest inveniri. Nihil enim compositum dividitur, quod cum separetur, quamvis sit ex corruptis, non tamen haec eadem corrupta ab integris esse ostendat, ut expers ab ex praepositione et pars, conficio a con et facio. Idem, is et demum. Ergo egomet, tute, suapte, hujusce, illicce, minime dicenda sunt composita, quia additio, si separetur, nihil significare possit per se.
VI Quaeritur, eccum, eccam, ellum, ellam, eccos, eccas,
27 mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, prono-

---

§. 25. *Hoc erat, alma* rel. 591. *Hoc* in Edd. per *cc* scriptum reperitur, quod falsum esse, sequentia docent.
Terentius in Andria. Act. IV. Sc. 1. *vs.* 1.
§. 26. *Cic. in II. Invect.* Cap. 10. *acris* e Codd. recepi.

mina sint composita an adverbia? ad quod dicendum, quod adverbia personas simul et numeros et casus in eodem habere non possunt. Sunt enim quaedam personas tantum significantia, ut meatim facis, et facitis; quaedam casus certos videntur nominum habere, carent autem personis, ut domi domo domum; quaedam numeros, ut semel, bis. Omnia autem simul supradicta, nisi in pronominibus, inveniri non possunt. Sunt igitur sine dubio pronomina. Adeo autem non est idem dicere, ecce et eccum, quod ecce adverbium licet tam mares, quam foeminas, et unum et plures demonstrantibus dicere, eccum autem non nisi marem et unum, et eccam non nisi foeminam et unam, eccos et eccas non nisi plures. Quid est enim aliud eccum, nisi ecce eum? eccam, nisi ecce eam? eccos, nisi ecce eos? eccas, nisi ecce eas? ellum, nisi ecce illum? quae omnia tam genera diversa quam casus habent accusativos utriusque numeri, quos exigit verbum, vide vel aspice vel cerne, quod saepe per eclipsim solet intelligi. Mecum autem et tecum, secum, nobiscum, vobiscum, per anastrophen cum pronomine praepositio est. Unde et casus, qui serviunt praepositioni cum, id est ablativi, in utroque numero trium personarum componuntur. Quomodo igi- 28
tur, si dicam propter te et te propter, idem significo, et cum quibus et quibuscum, sic cum me et mecum. Nam antiquissimi utrumque dicebant, sed in plurali primae personae cacephati causa solebant per anastrophen dicere nobiscum pro cum nobis. Itaque propter hoc reliquarum quoque personarum ablativo similiter praeponere proferre coeperunt, teste Plinio, qui hoc in secundo libro Sermonis Dubii ostendit, et Cicerone, qui de Oratore his utitur verbis: *Noluimus cum me et cum te dicere, ne eidem computationi adjungendum esset cum nobis, sed potius mecum et tecum et secum et nobiscum diximus cum praepositione, quae facit obscoenum assidue postposita.* Antiqui tamen absque observatione 29
naturali ordine haec protulisse inveniuntur. Nulla tamen monosyllaba praepositio anastrophen patitur, nisi

---

Terentius in Eunucho. Act. II. Sc. 2. vs. 38. 39. *Terentius in Andria.* v. Ind. *hujus* secundum Codices praestantissimos Hesselb. Lips. 1. aliosque recepi pro *huic*. *Terentius in Heautont.* Act. IV. Sc. 5. vs. 5.

ea. Et fortassis ideo enclitici vice fungitur, quia enclitica monosyllaba sunt, que, ve, ne. Nec mirum, supradicta pronomina unius causa idem pati, cum in aliis quoque quibusdam structuris haec eadem sola communes habeant quasdam proprietates. Interest et refert genitivo solent adjungi omnium casualium absque supradictis quinque pronominibus, pro quorum genitivis ablativos ponimus possessivorum, ut interest et refert mea, tua, sua, nostra, vestra. Cuia quoque infiniti possessivum cum supradictis verbis pro genitivo primitivi ponitur. Cicero pro Vareno: *Ea caedes si potissimum crimini datur, detur ei, cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit.* Cujus gentile non solum cujas, sed etiam cuiatis proferebant communi genere. Plautus in Poenulo: *Quid sit, cuiatis, unde sit, ne parseris. Quid est? cuiates estis? aut quo ex oppido?* Pte quoque ea sola in eodem ablativo assumere solent, meapte, tuapte, suapte, nostrapte, vestrapte. Sed si quem forte tangit, quod in fine sit cum praepositio, in compositione autem plus dicatur valere ea pars, quae in fine sit, sciat, quod conjunctiones et praepositiones et adverbia vim nominum vel pronominum ante se positorum in compositione non mutant, ut uterque, quisque, quicunque, qualiscunque, totidem, idem, tantundem, cujus genitivus solus ex obliquis in usu invenitur, tantidem. Terentius in Adelphis: *Tantidem emptam.* Quod quamvis videatur pro ejusdem poni, tamen significat quantitatem, quae in pronomine esse minime potest, quod substantiam solum, ut saepe diximus, significat. Est igitur nomen, quomodo et simplex ejus, tantus tanta tantum. Usus quoque hoc confirmat. Tantidem dixit emptam, quantitatem similem pretii ostendens. Tantundem ergo nihil aliud significat nisi relationem et similitudinem quantitatis, quod etiam si posset pro idem accipi, non tamen etiam pronomen esset. Non enim id quod pro aliquo accipitur omnimodo etiam ex eadem specie ac-

---

§. 29. *Plautus in Poenulo.* Act. V. Sc. 2. vs. 32. Post *cujates estis* legitur apud Putschium caeterosque *unde*, quod cum absit a Cod. Heidelb. omisi.

§. 30. *Terentius in Adelphis.* Act. II. Sc. 1, vs. 45. *substantiam solum.* Vulgo *solam.* Codices receptam tuentur lectionem.

§. 31. *ejusmodi* pro *hujusmodi* e conjectura posui.

cipiendum est. Componuntur nomina cum pronomi- 31
nibus, ut ejusmodi, istiusmodi, hujuscemodi, sicut apud Graecos αὐτοκασίγνητος, αὐτοδίδακτος, φίλαυτος. Et sunt omnia nomina, etiam quae in fine pronomina habuerint. Cum enim qualitatem significant, pronomina esse non possunt. Componuntur etiam cum adverbiis pronomina, eccum, eccam, eccos, eccas, ellum. Cum praepositione etiam secundum Donatum, mecum, tecum, secum. Nec mirum, per singulos quosdam casus ea componi, quomodo meme, tete, sese, quum nomina quoque supradicta per genitivos composita sint solos: quos enim casus separata per appositionem habere exigebat structura, eos in compositione servavere. Quid est enim ejusmodi, nisi modi ejus? eccum, nisi ecce eum? mecum, nisi cum me? quod vetustissimis erat in usu, sicut supra dictum est.

Numerus pronominibus accidit, qui et nominibus et 32
verbis et participiis, id est singularis et pluralis. Sola enim declinabilia possunt habere ex iisdem vocibus tam singularem quam pluralem numerum, id est, quae sub personas finitas sive infinitas cadere solent, sine quibus numeri declinabiles, id est singulares et plurales, inveniri non possunt. Itaque si careat verbum persona, quod dictum est jam, caret necessario etiam numero, ut infinita, et impersonalia, et gerundia. Principales igitur duae partes, nomen et verbum, et quae loco eorum funguntur, hoc est participium et pronomen, supradictos numeros habent in declinatione. Aliae autem quatuor partes, hoc est, praepositio, conjunctio, adverbium, interjectio, declinatione carentes numeros supradictos habere non possunt. Quamvis igitur adverbia sunt quaedam numerorum, tamen non ex eadem voce singularem et pluralem significant, nec ad personas, vel singulas singularem, vel plures pluralem, quomodo supradictae partes, reddunt numeros, sed similiter vel uni, vel pluribus eadem adjunguntur, sive singularis sint nu-

---

Quid est enim ejusmodi. Vulgo *hujusmodi.* Codd. omnes receptam tuentur lectionem.

§. 32. *singulares vel plurales.* Ita Codd. pro *singularis — pluralis.*

adverbia sunt. Vulgo *sint*, quod Codd. damnant.

meri, sive pluralis, ut semel facio, facis, facit, facimus, facitis, faciunt, similiter bis, ter, quater, saepe. cum declinabiles partes necessario sibi adjunctae eosdem numeros servant, ut facimus nos, faciunt homines, faciunt scribentes. Ecce omnes plurales. Et iterum facio ego, facit homo, facit scribens. En ubique singularibus utimur. Cum igitur duo in pronomine quoque, quomodo in nomine, sint numeri, singularis et pluralis, sunt quaedam numero communia, ut idem: dicimus enim idem vir, et idem viri. Sunt alia non solum numero, sed etiam diverso genere communia, ut haec mulier, et haec mancipia. Possessiva autem, quemadmodum jam diximus, duplicem significant numerum. Et intrinsecus quidem eundem habent, quem primitiva eorum, extrinsecus autem pro terminationis forma singularem et pluralem, meus mei, noster nostri. Unde suus, quia et primitivum ejus utriusque est numeri commune, id quoque intrinsecus utriusque est numeri commune, tam per singularem, quam per pluralem declinationem: dicimus enim suus illius, et suus illorum.

---

servant. Ita Codd. Vulgo *servent.*

LIBER TERTIVS DECIMVS.

Casus quoque accidit pronominibus, quemadmodum I
nominibus. Et prima quidem persona et tertia plus 1
quinque casibus habere non possunt, quippe cum vocativus in eis nullo modo possit inveniri, qui proprius est secundae, quae sola habens vocativum sex casus potest habere, scilicet ad quam sermo rectus dirigitur. Unde nomina quoque et participia in vocativo casu secundae sunt personae sine dubio et finitae. Itaque etiam in appellativis nominibus ipsa demonstratione secundae personae propriorum loco fungi videntur in eo casu, ut si dicam grammatice, neminem alium significo, nisi eum ad quem loquor. Si igitur in illis partibus, quae tertiae sunt plerumque personae, tanta vis est vocativi, ut transferat illas ad secundam personam, quomodo in pronomine, quod totum est secundae personae, hic deficiat casus, vel ad aliam transferatur personam, cum nulla alia pars sic discernat trium personarum differentias, quomodo pronomen? Primae quoque per- 2
sonae possessivum, quod solum etiam secundae potest adjungi personae, sicut supra dictum est, habet vocativum, non possessoris, qui est in prima persona, quae intrinsecus secundum genitivum intelligitur primitivi,

---

Cap. XIII. §. 1. *quemadmodum nominibus.* Auctoritate Codd. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Dresd. delevi *et* in libris editis insertum.

hic deficiat casus. Vulgo *deficiet.* Receptam lectionem praestant MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Dresd.

sed possessionis: quae cum extrinsecus declinatur, vocativum quoque propter secundam assumit personam, cum ad eam dirigatur. Terentius in Adelphis: *Pater mi.* Idem in Eunucho: *O mea tu.* Idem in eodem: *O mea Thais, meum suavium.* Idem in Adelphis: *O noster Demea.* Nostras quoque gentile eundem habet nominativum et vocativum. Alia vero, sicut docuimus, possessiva pronomina, quia secundae adjungi non possunt, carent vocativo. Sunt igitur alia monoptota, ut istoc, eccum, eccos, ellum, mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum. Alia triptota, ut sui, sibi, se, meum, tuum, suum, nostrum, vestrum. Alia tetraptota, ut tuus, suus, illud, istud. Alia pentaptota, ut ille, ipse, iste. Nam hexaptota pronomina non inveniuntur, quia secunda persona, in qua sola sex casus inveniri possunt, similem habet nominativo vocativum, ut Virgilius in IIII. nominativum protulit: *Tuque puerque tuus.* Terentius vocativum in Eunucho: *O mea tu.* Derivativa quoque primae personae habent vocativos, quia possunt secundae adjungi personae, ut dictum est, non tamen in omnibus variantur casibus. Nec in nominibus tamen hoc invenies, nisi tribus, quae nominativum in us et genitivum in ius terminantia secundum quorundam pronominum declinationem flectuntur. Unde quidam decepti pronomina ea esse putaverunt, ut unus unius, solus solius, totus totius; nam ullus, nullus, alius vocativos habere non possunt, cum abnegant praesentium demonstrationem personarum, vocativus autem praesentem solet demonstrare personam.

II 4 Sunt igitur in pronominibus modi declinationum quatuor. Primus, qui in tribus primitivorum personis cernitur per obliquos casus. Nam nominativus primae personae dissonus est a genitivo. Tertiae vero deficit, ut ego mei vel mis, tu tui vel tis, sui, quod debuit se-

---

§. 2. *declinatur.* Vulgo *declinetur.* Nos Codicum auctoritatem secuti indicativum restituimus.

assumit personam. Ita secundum Codd. Luth. Heidelb. caeterosque scripsi pro *assumpsit.* Mox *dirigitur* pro *dirigatur* secundum plerosque Codd. edidi.

Terent. in Adelphis. Act. V. Sc. 7. vs. 3. *Idem in Eun.* Act. IV. Sc. 3. vs. 22. *Idem in eodem.* Act. III. Sc. 2. vs. 3. *Idem in Adelphis.* Act. V. Sc. 9. vs. 4.

cundum analogiam esse sui vel sis: quod dubitationis causa, ne verbum esse putetur, recusaverunt proferre. Nam ad Graecorum imitationem his quoque utimur duplicibus genitivis pronominum: apud illos enim ἐμοῦ et ἐμοῦς dorice, σοῦ et σοῦς, ϝοῦ et ϝοῦς dici solet. In ους autem desinens genitivus solet apud nos in is finiri, ut Δημοσθένους Demosthenis, Ἑρμογένους Hermogenis. In ου vero in i, Πριάμου Priami, Κύρου Cyri. Sic ergo ἐμοῦ, σοῦ, οὗ, mei, tui, sui, ἐμοῦς, σοῦς, ϝοῦς, mis, tis, sis. Sed propter supradictam causam tacitus est tertiae hujusmodi genitivus. Ennius in II. *Ingens cura mis cum concordibus aequiparare*, mis dixit pro mei. Dativus mihi, tibi, sibi. Nec mirum in easdem vocales genitivum et dativum exire, cum in nominibus quoque inveniuntur similiter desinentes genitivi et dativi, tam in prima quam in quinta declinatione. Accusativus 5
me, te, se. Ablativus similis est accusativo in singulari numero; nec dubium, hoc quoque a Graecis esse acceptum. Illi enim ἐμέθεν, σέθεν, ἕθεν accusativos cum adjectione proferentes loco genitivi accipiunt; cumque quidam ex ipsis sextum casum existimaverunt. Nec non etiam in nominibus simili modo plurima inveniuntur prolata, οὐρανόθεν ἀπὸ οὐρανοῦ, οἰκόθεν ἀπὸ οἴκου, et cum praepositione, ἐξ οὐρανόθεν, ἐξ οἰκόθεν. Unde Romani sextum casum assumpserunt. In plurali vero numero, quia tertia persona, id est sui, tam singularis communis est quam pluralis numeri, prima et secunda sibi congruunt, nos vos, nostrum vel nostri, vestrum vel vestri, nobis vobis, nos vos, a nobis a vobis. Ex primis igitur syllabis tam primitivorum quam possessivorum personae intelliguntur, ab extremis casus et numeri, necnon etiam in possessivis genera, quae in possessione sunt, cum verba soleant personas in fine magis ostendere, amo amas amat. Quod igitur habent nomi- 6

Post *eccum* delevi *eccam* et post *eccos*, *eccas*, utrumque Codicum meorum jussu.

Virg. in IV. Aen. v. 94. *Ter. in Eun.* Act. IV. Sc. 5. vs. 22.

§. 3. *abnegant — solet.* Binis his locis e Codd. restitui indicativum.

§. 5. *ἐξ οἰκόθεν.* Expunxi καὶ, his praemissum in libris vulgatis.

num, id est casus et genera, in fine ostendunt: quod vero verborum, in principalibus syllabis vitandae causa confusionis. Quaeritur, inter mei, tui, sui, nostri, vestri genitivos possessivorum et primitivorum quid interest? Ad quod dicendum, quod primitivorum genitivis omnes casus adjungi possunt et numeri, ut mei ager est, et mei agri instrumentum, et mei agro dedi, et mei agrum colo: similiter et mei agri, et mei agrorum, et mei agris, et mei agros dicimus: similiter tui agrum, et tui agros, sui agrum, et sui agros, nostri agrum, et nostri agros, vestri agrum et vestri agros. Quando autem sunt possessiva, genitivis adjunguntur solis ejusdem numeri, mei servi filius, tui servi vestis, sui servi ministerium, nostri servi frater, vestri servi soror. Nec mirum, cum in nominibus quoque hoc idem servatur. Nam primitivorum genitivis omnes casus adjungi possunt, vel numeri, ut Tullii ager, agri, agro, agrum, agri, agrorum, agris, agros. In possessivis vero similis casus adjungitur et numerus, ut Tulliani agri,
7 Tullianum agrum, Tullianos agros. In omnibus autem concidentibus hoc sciendum, quod structura vel ordinatio orationis dubitationem repellit. Nulla enim alia re discernuntur a se tam partes orationis quam accidentia eis nisi significatione, ad quam et constructio fit. Nam inveniuntur voce saepe similia, ut amator, accusator, orator, et nomina sunt et verba. Similiter poetae, Musae, diei, rei, et genitivi sunt et dativi. Significatione igitur discernuntur a se, quae attentissime est in omnibus inspicienda. Quaeritur etiam illud, cur, cum apud Graecos tertia persona pronominum primitivorum et in singulari numero habeat nominativum *Fί*, et in plurali, apud Latinos sui et nominativo deficit, et pluralia separatim non habuit? Existimo, eam esse cau-

---

§. 7. *Fί, et in plurali.* Apposui ad ϝ digamma Aeolicum, quod in omnibus Codicibus reperitur, et post *plurali* eorundem Codicum auctoritate expunxi *ut οἱ*. Ante *Fί* in plerisque Codicibus, praestantissimis etiam, legitur *ἐγώ, σύ*, quod ab interpolatore additum puto.

§. 9. *absque genitivo, qui in s desinit. Cui tamen* rel. Hic locus in editionibus Venetis, Aldina, Basileensi, Coloniensi, Putschiana legitur ita: *absque illis, qui in s desinunt, hoc est genitivo singulari et dativo et ablativo et accusativo pluralibus. Quibus tamen autores solent addere ce syllabam, hujusce.*

sam, quod necesse erat vel cum aspiratione proferre nominativum, et hi dicere, qui pluralis erat alterius pronominis, vel loco aspirationis s praeponere, et si dicere, quod est conjunctio. Ergo jure defecit, ne dubitationem faceret, sicut et sis in genitivo pro sui. Pluralis quoque, qui est *οἱ* apud Graecos, in hi transfertur. Omnia enim pluralia apud Graecos οι desinentia mutant eam in i, *Λατῖνοι* Latini, sic *Ϝοἱ* hi. Et quomodo *Λατίνων* Latinorum, sic *Ϝῶν* horum, et sicut *Λατίνοις* Latinis, sic *Ϝοῖς* his, et quemadmodum *Λατίνους* Latinos, sic *Ϝούς* hos. Foemininum quoque *Λατῖναι* Latinae, sic *Ϝαί* hae, *Λατίνων* Latinarum, *Ϝῶν* harum, *Λατίνας* Latinas, *Ϝάς* has. Unde aspirationem quoque ubique servavit, quae est et in Graecis ex quibus nascuntur pronominibus. Hoc 8
tamen interest, quod tertia persona primitivi apud Graecos relativa est, quomodo et sui sibi se a se, et is ejus ei. Hic vero et haec et hoc apud nos demonstrativa sunt proprie et praepositiva, quamvis a relativo Graeco videantur genita. Necessario igitur, cum tria pronomina pro uno habuimus, deficit sui nominativo, et communes habuit numeros. Nec mirum, cum apud Graecos nominativus supradicti pronominis, id est *Ϝί*, rarus est in usu; propterea quod non solum *οὗ* vel *αὑτοῦ*, sed etiam *ἑαυτοῦ* significat frequentius: quod nec apud Graecos habet nominativum, quia ipse in se agere qui patitur per hoc pronomen ostenditur. Nec eget recto casu, quem verbum habet in se.

Secundus est modus eorum, quae in ius terminant III
genitivos, quorum dativi, abjecta us genitivorum, solent 9
proferri: ille illius illi, ipse ipsius ipsi, iste istius isti, is ejus ei, hic hujus huic, quod solum assumpsit c per omnes casus singulares absque genitivo, qui in s desinit. Cui tamen frequenter auctores solent addere ce

---

Quis vero non videt, neque *hujusce* congruere antecedentibus, nec, multoque minus, quae deinceps sequuntur, *quomodo et pluralibus?* Secutus ergo optimos Codices exturbavi, quae e glossemate adjecta sunt, congruamque nunc quidem restitui sententiam. Aliter Heidelb. cujus lectionem recepissem, nisi paulo longius ab caeteris recederet, ut durior exercenda fuisset censura. Is enim retinens usque ad *quibus* vulgatam ita deinde pergit: *Quibus tamen frequenter auctores solent addere ce syllabam, ut hujusce, hisce, hosce, hasce. Huncce* tamen hujus Cod. auctoritate restitui pro *huecce*.

syllabam, hujusce, quomodo et pluralibus ejus in eandem terminantibus consonantem, ut hisce hosce hasce, quamvis reliquis quoque casibus vetustissimi addebant eandem ce syllabam, hicce huncce hocce. Unde vocali quoque sequente e ablata per synaloepham manentibus duabus e solebant producere hoc, ut Virgilius in secundo Aeneidos: *Hocc' erat alma parens, quod me per tela, per ignes eripis.* Sed scriptorum negligentia praetermisit unum c. Et sciendum, quod accusativi casus singulares et genitivi plurales m in n convertunt c sequente, ut hunc hanc horunce harunce. Genitivus et dativus supradictae declinationis in ius terminantium communis est trium generum, ille illius illi, et producitur penultima i genitivi, quam tamen poetae etiam corripiunt absque uno alterius: quod quia solum duabus vicit syllabis proprium nominativum, corripuit semper penultimam. Reliqui vero casus secundum mobilium regulam nominum declinantur, illum illam illud, ab illo ab illa ab illo: similiter plurales, illi illae illa, illorum illarum illorum, illis, illos illas illa, ab illis. Sic caetera ejusdem formae, tam pronomina quam nomina. Et sciendum, quod in e quidem terminantia masculina mutatione e in a faciunt foeminina, ille illa, ipse ipsa, iste ista: is vero ea facit, quod solum literam principalem mutavit in foeminino; masculinum enim ab i, foeminium ab e incipit. Hic enim et haec ab eadem videntur litera incipere, cum aspiratio in principio utriusque ascribitur, quomodo et apud Graecos οὗτος et αὕτη, vel ὁ et ἡ, quamvis diversas habeant vocales, ab eodem incipiunt spiritu. Eorum neutrum hoc, quia et principium et finem servavit masculini, mediam vocalem mutavit. Illud etiam attendendum, quod, cum ille illud, iste istud, is id faciunt neutra, ipse solum, quod et ipsus invenitur a vetustissimis prolatum, neutrum in

---

Virg. in II. Aen. vs. 591.

§. 10. *ab eodem incipiunt.* Post *eodem* Codd. auctoritate expunxi *autem.*

§. 11. *Terentius in Andr.* Act. III. Sc. 3. vs. 44. *In eadem.* Act. II. Sc. 2. vs. 13.

Ter. in Andr. Act. III. Sc. 5. vs. 2. *Idem in Heautont.* Act. II. Sc. 3. vs. 30. *In Eunucho.* Act. V. Sc. 7. vs. 3. *Cic. pro Sex. Rosc.* v. Ind.

desinens genitivo et in i dativo. Vulgo, — *genitivus* — *dati-*

um desinens fecit. Terentius in Andria: *Ipsus mihi Davus, qui intimus est eorum consiliis, dixit.* Idem in eadem: *Istuc ipsum, atqui hoc ipsum nihil pericli est, me vide.* Illa enim quae quibusdam visa est ratio non adeo firma videtur, ideo in um facere neutrum, quia in us desinit masculinum: nam alius, cum in us terminetur, neutrum tamen aliud fecit. Omnia neutra pluralia similia sunt singularibus foemininis, ut illa, ea, haec. Supradictorum pronominum declinationem sequuntur nomina octo. In us quidem desinentia quinque: unus, totus, solus, alius, ullus, quod tamen ab uno diminutivum esse plerisque videtur, sicut a vino villum, et quod ab eo componitur nullus. In er duo, uter, alter, et ex eis composita, uterque, alteruter, neuter. In is vel in i unum, quis vel qui, et quae ex eo componuntur. Haec tamen ipsa secundum mobilium regulam nominum solebant apud vetustissimos terminare etiam genitivos et dativos, ut Terentius in Andria: *Tam iners, tam nulli consili*, pro nullius consilii. Idem in Heautontimorumeno: *Dum loquitur alterae*, pro alteri. Et in Eunucho: *Solae mihi ridiculo fuit*, pro soli. Et cuicuimodi pro cujuscujusmodi. Cicero pro Sex. Roscio: *Vereor enim, cuicuimodi est, Rosci, ne ita hunc videar servare, ut tibi omnino non pepercerim.* Cum igitur juniores frequentius supradicta nomina secundum in ius terminantium pronominum formam declinaverunt, in uno ex eis magis nominum declinationem sequuntur, neuter neutri neutro dicentes, cum apud veteres etiam in ius secundum simplicis sui declinationem inveniatur desinens genitivo, et in i dativo. Plautus in Vidularia: *Neutri reddibo, donicum res dijudicata sit.* Cum igitur 12
supradictae formae nomina soleant in um facere neutra, unus unum, solus solum, totus totum, ullus ullum, uter utrum, alter alterum, duo tantum in d finiunt ea, quis

---

vus. Hanc lectionem improbant MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2.

Plautus in Vidul. Hic versus supra jam Lib. VI. §. 52. tractatus est. Quomodo hoc loco editus legitur versus, ita referunt omn editiones omnes et Codices manuscripti. Temere igitur sollicitaretur.

§. 12. *solcant.* Ed. Bas. *solent.* Male et invitis Codicibus omnibus.

quid, alius aliud. Alis quoque antiquissimi pro alius protulerunt; ejus genitivus raro est in usu. Et cum debuit una syllaba vincere suum nominativum et dativum, tamen par est syllabis. Sed producit i penultimam semper. Necnon etiam secundum nominum secundae declinationis regulam in i quoque invenitur. M. Coelius de vestitu et vehiculis: *Nam perinjurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur, ubi datue sit, tum uti eos mutem, atque alii modi sim.* Quintus in II. *Perversum est alii modi postulare Pyrrhum in te atque in caeteris fuisse.* Coelius in secundo: *Neque ipsi eos alii modi esse atque Amilcar dixit, ostendere possunt aliter.* Idem in V. *Nullius alius rei nisi amicitiae eorum causa.* C. Caesar in Anticatone priore: *Uno enim excepto, quem alius modi atque omnis natura finxit, suos quisque habet caros.* C. Fannius in I. Annalium: *Cum in vita agenda didicimus multa quae impraesentiarum bona videntur post inventa, et multa amplius alius modi atque ante visa essent.* Sed quod est mirum, foeminini etiam generis genitivum quidam in i protulerunt. Coelius in I. *Antequam Barcha perierat alii rei causa in*
13 *Africam missus.* Quis etiam communis esse generis putaverunt vetustissimi, sicut apud Graecos τίς. Terentius in Eunucho: *Hunc oculis nostrarum quisquam non vidit, Phaedria.* Nostrarum quisquam dixit pro quae-

---

raro est in usu. Vulgo *rarus est in usu*, quam lectionem confirmat MS. Heidelb. cum paucis. Equidem secutus Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Luth. recepi usitatiorem formulam.

M. Coelius. Infra Lib. XVII. hic locus sub Catonis, nunc vero sub M. Coelii nomine citatur. Equidem Coelii esse puto, propterea quod Marcius praenomen additur, quod Priscianus, ubi Catonem allegat, nunquam, quod scio, facit. Pro *perinjurium* Codices plerique exhibent *perjurium.* Sunt tamen, qui vulgatam tueantur, inter quos Heidelb. Zwicc.

Coelius in secundo. Vulgo, *in primo.* Secutus sum MSS. Zwicc. 2. Lips. 1. Mox pro *idem in quinto*, quae lectio satis tuta est auctoritate Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 2. Erl. 1. et Editionum Venetarum, reliqui MSS. Dresd. Lips. 1. 3. Erl. 2. praestant *idem quintus.*

in Anticatone priore. Pro vulg. *priori* recepi e MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. *priore.*

atque omnis. Cod. Heidelb. omisit *omnis.*

quam. Plautus in Vidularia: *Dic mihi, si audes, quis ea est, quam vis ducere uxorem?* Et obliquos ejus casus tam secundum tertiam, quam secundam declinationem terminabant, unde nunc quoque accusativus masculini in em secundum tertiae proportionem profertur, quamvis foeminini in am, ut quem quam. Ablativus non solum in o, sed etiam in i, a quo vel a qui. Virgilius in XI. *Accam ex aequalibus unam, qui cum partiri curas,* pro qua cum. Terentius in Eunucho: *Qui cum? Cum Parmenone!* Nominativum quoque pluralem non solum in i et ae, sed etiam in es, qui, quae vel ques. Accusativum etiam quos, quas vel ques, ut Pacuvius in Medo: *Ques sunt isti?* Cato: *Quescunque Romae regnavissent.* Attius in Neoptolemo: *Sed quesdam.* Nam dativum et ablativum nunc quoque tam per is quam per bus proferimus, quis vel quibus. Sciendum autem, quod qui, quando pro interrogativo vel infinito, id est pro quis ponitur, circumflectitur, quando autem pro relativo, acuitur per se, in lectione vero gravatur. Similiter 14
obliqui casus generalem accentuum regulam servant, quando sunt infinita, vel interrogativa; quando vero relativa, acuuntur per se, in lectione gravantur per omnes syllabas. Quaeritur in hoc modo declinationis, cum omnis dativus una syllaba minor sit genitivo, ut illius illi, istius isti, ipsius ipsi, unius uni, solius soli,

---

C. Fannius in I. Ann. Erl. 1. Dresd. *in II. et multa.* Vulgo *multo.* Equidem contra Codicum consensum nihil admittere debui; ergo scribendum fuit *multa*, quam vocem praestant MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2.

Coelius in I. Nonnulli Codd. vitiose *Caecilius.* Post *Africam* omisi *est* auctoritate Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2.

§. 13. *sicut apud Graecos τὶς.* Vulgo, ὅστις, quod damnant MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Erl. 2. Dresd. ὅτις exhibent MSS. Lips. 1. 2. Erl. 1.

Terentius in Eunucho. Act. IV. Sc. 4. vs. 11. *Plautus in Vidul.* Plures Codd. *Aululuria.*

foeminini. Duo vel tres Codd. *foeminina.* Post *ablativus* addunt duo *quoque, non solum in o.* Addit Zwicc. 2. *vel in a.* Lips. 2. *et in a.* Edd. Ven. 1. 2. *sed etiam in a.*

a quo vel a qui. Quae libri editi his addunt *a qua vel a qui,* omiserunt Codd. Heidelb. Lips. 2. aliique, quos secutus sum. *Virg. in XI.* vs. 820. *Terentius in Eun.* Act. IV. Sc. 4. vs. 31.

utrius utri, alterius alteri, an hujus huic, cujus cui, ejus ei monosyllaba sint accipienda in dativo, quod regula exigit, et plerique poetarum metris comprobant, ut Virgilius in quarto Aeneidos: *Cuique loci leges dedimus, connubia nostra reppulit.* Idem in I. Georgicon: *Huic a stirpe pedes temo protentus in octo.* Et ubique hoc servat. Inveniuntur tamen, sed raro, bisyllaba: et maxime ei, differentiae causa, ne interjectio esse putetur: quod de nomine quoque tractantes memoravimus. Unde pluralis etiam dativus et ablativus secundum analogiam in ius terminantium genitivum singularem, quorum dativus singularis in i terminans, et pluralis in is desinens, pares habet syllabas, ei, eis vel iis, ut cui, quis, huic, in quo c per adjectionem differentiae causa
15 accedit. His, quamvis et hibus pro his antiqui protulerunt. Plautus in Curculione: *Eodem hercle vos paro et pono, parissimi estis hibus.* Quod per diaeresim autem ei et eis invenitur bisyllabum, ostendit Juvenalis in quinto: *Implet et ad moechos dat eisdem ferre cinaedis.* Statius quoque huic videtur protulisse per diaeresim syllabarum in primo Silvarum: *Laetus huic dono videas dare tura nepotes.* Idem in eodem: *Falsus huic pennas, et cornua sumeret aethrae.* Cui quoque Terentianus de literis: *Verum ut cuique est proximitas loci sonique.* Est enim Sotadeum ex duobus ionicis a majore et tribus trochaeis. Idem in eodem: *Ex ordine fulgens cui dat nomen Sinopes.*

16 Tertius modus declinationis pronominum est, qui sequitur per omnia mobilium declinationem nominum,

---

§. 14. *Virg. in IV. Aen.* vs. 213. *Idem in I. Georg.* vs. 171.

§. 15. *Plautus in Curculione.* Act. IV. Sc. 2. vs. 20. *paro et pono* pro *pono et paro*, non potui, quin scriberem, cum consensus Codicum optimorum Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. id flagitaret.

Juvenalis in V. v. Ind.

Statius in I. Silv. 1. extr. Pro *tura* non pauci *jura* vel *jure*. *Idem in eodem.* 2, 135. Pro *sumeret aethrae* plerique Codd. *sumere tetrae* vel *tethrae.*

Terentianus de literis apud Putsch. p. 2387. *loci sonive.* Codices mei vitiosissime *locis oriri.* Ed. Ven. 1. *sorori.*

Sotadeum. Vulgo, *Sotadicum.* Illud praestant MSS. Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. Erl. 2.

Idem in eodem. p. 2388. (lit. d.). *nomen Sinopes.* Vulgo *locum sonipes.* Ita et Putschius hoc loco, qui tamen infra p. 2388.

meus mea meum, tuus tua tuum, suus sua suum, noster nostra nostrum, vester vestra vestrum. Notandum tamen, quod meus, cum secundum regulam vocativum deberet facere o mee, euphoniae causa duas e breves in i longam convertit. Terentius in Adelphis: *O mi Aeschine, o mi germane.* Idem in Eunucho: *Eho Parmeno mi, nostin?* Adeo autem masculini est vocativus possessivi, et non genitivus, vel dativus primitivi per syncopam, quod quibusdam videtur, quod nunquam vocative positum foeminino vel neutro adjungitur. Cujus quidam nominativum etiam in ius dixerunt, quod et Charisius et Celsus ostendunt. Quartus modus est, qui sequitur per omnes casus tertiae declinationis nomina, nostras nostratis. Quod ideo in extrema circumflectitur syllaba, quod per syncopam profertur. Vetustissimi enim similem genitivo nominativum quoque proferebant.

O non esse pronomen, nec articulum, multis modis IV
ostenditur. Nam ex quo sit nominativo? Tu enim, 17
quod est secundae personae, eundem habet nominativum et vocativum, qui assumit o, ut o tu. Hic et haec et hoc tertiae sunt personae, quae caret vocativo. Non est igitur pronomen; nec articulus vero, cum semper in demonstratione ponitur o, quae contraria est relationi, quam articulus significat. Deinde articulum Romani non habent. Nam idem quamvis ὁ αὐτὸς, quod est articulus praepositivus cum pronomine, significet, apud nos tamen non ex articulo et pronomine componitur, quemadmodum apud Graecos, sed ex pronomine et ad-

---

Locum sinopis edidit. Quod vero jure postules ab editore, ut scriptorem suum animo complectatur, id in Putschio millies desideres. Receptam lectionem praestant MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2.

§. 16. *Terentius in Adelphis.* Act. II. Sc. 4. vss. 4. 5.

Idem in Eun. Act. V. Sc. 9. vs. 4.

adjungitur pro vulg. *adjungatur* dedi e Codd. Luth. Zwicc. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd.

etiam in ius. Vulgo, *mus cel mius.* Equidem Codicis Heidelb. lectionem expressi. Absurdam habeo vulgatam.

et Charisius. Inserui *et* e Codd. Luth. Lips. 1. Heidelb. aliisque.

§. 17. *articulum.* Vulgo *artículus.* Receptam lectionem tuentur Codd. Luth. Heidelb. aliique et Edd. Ven. 1. 2.

hic et haec et hoc. Adjeci bina *et* e Codd. Lips. 2. Heidelb.

caret. Lips. 2. Luth. Erl. 1. *carent.*

verbio, is et demum. Qui quoque ὅστις significatione interpretationis videtur habere articulum subjunctivum, simplex est tamen nomen apud Latinos: quomodo plurima quoque alia inveniuntur apud nos simplicia, quae apud Graecos composita sunt, ut felix εὐτυχής, sanctus ἅγιος, pius εὐσεβής, et alia mile. Non tamen ideo significationem Graecam attendentes debemus ea composita dicere, vel quae ex contrario inveniuntur simplicia apud illos, apud nos composita, ut incestus μεμολυσμένος, ineptus μωρός, superfluus περιττός, sicut et multa alia. Sine dubio igitur o est adverbium vocandi et optandi: est etiam interjectio. Nihil tamen interest inter o, hoc
18 est vocativum, et heus. Quomodo enim dicimus, heus juvenes, sic o juvenes. Itaque omnibus vocativis praeponitur, o tu, o mi, o noster. Quippe adverbium est vocandi, quod nulli alii casui, nisi vocativo, hujuscemodi adverbia possunt adjungi, sicut etiam verba secundae personae, ut venisti ad me Virgili, et pronomina, fecisti tu Homere, venisti tu Terenti, nisi cum substantivis, vel vocativis adjunguntur verbis. Tunc enim etiam nominativis utimur, quomodo et in prima, et in tertia persona, ut tu es doctus, ego sum prudens, Priscianus ego vocor, tu vocaris Herodianus. Male igitur quidam secundam personam nominativum non putaverunt habere. Si enim nomina, quae semper sunt tertiae personae, tamen, si cum supradictis verbis sint juncta, possunt etiam primam et secundam significare, ut Socrates sum, Socrates es, Socrates est, Socrates vocor, Socrates vocaris, Socrates vocatur, quomodo non in pronominibus quoque, quae maxime discernunt personas, accipiamus nominativum etiam in secunda persona, ego sum
19 bonus, tu es bonus, ille est bonus? Non igitur nominativi nominum vel participiorum semper tertiae sunt personae, sed quando carent verbo substantivo, vel vocativo. Nemo enim recte dicit, Apollonius ambulo, Aristophanes ambulas. Pronomina enim primae et secundae personae ideo maxime accipiuntur, ut loco propriorum fungantur nominum, cum verbis earundem personarum, ut ego ambulo, tu ambulas. Itaque loco tertiae personae melius nomen ponitur, et maxime si

---

significatione interpretationis. Ita MSS. Lips. 2. Zwicc. 2. Heidelb. Erl. 2. Vulgo, *significatione et interpretatione.*

abest, ego facio, tu facis, Tullius facit, nisi vel praesens sit juxta, et demonstrative hoc ipsum volentes indicare dicamus, hic vel iste, vel longe videatur, et dicamus ille: vel, si absit, quasi de jam cognito utamur relativo is, dicentes de quo jam novimus aliquid vel locuti ante sumus. Cum igitur semper in demonstratione sit prima et secunda persona, hoc autem nominis caret nominativus, jure ad tertiam retruditur personam. Substantivis autem et vocativis solis ideo adjunguntur verbis et primae et secundae personae nominativi nominum, quod videntur ipsa haec verba vim demonstrativam habere. Ostendunt enim substantiam ipsarum personarum, vel nominationem, in qua similiter substantia demonstratur, nec egent pronominibus, quae demonstrationem substantiae significant. Cum igitur omnia quae sibi conjunguntur in diversis posita personis, casualia, sive disjungantur, sive copulentur, eundem servant casum, vocativus hoc solus servare non potest. Dicimus enim, vel Probus vel Donatus, et Priscianus et Theotistus, et ego et ille, vel mei vel tui, et mihi et tibi, vel me vel te, et a me et a te. Vocativus autem, nisi in una eademque persona conferantur diversa nomina, jungi non potest, ut bone et caste et formose; quia alia persona hunc casum habere non potest, nisi secunda. Ideo ei diversas personas jungere non possumus, caeteris vero casibus diversas personas jungimus, quippe cum in omnibus illi inveniantur personis. Ergo quando dicimus et ego et ille et tu, sine dubio nominativus est tu. Idque maxime dignoscitur in plurali numero, quod pluralia conceptionem habent personarum. Ergo quando dicimus, ego et tu docti sumus, sine dubio tu nominativus intelligitur. Et quod pronomina in iisdem casibus adjunguntur nominibus, ego Virgilius, tu Virgilius, ille Virgilius, mei Virgilii, tui Virgilii, illius Virgilii. Et quod ad interrogationes nominativi reddantur, quis scripsit? ego. quis scripsit? tu. quis scripsit? ille. Et quicquid habet vocativum, hoc et nominativum habet: quicquid autem nominativum, non omnimodo et vocativum. Neque enim interrogativa nomina, nec infinita, nec abnegativa, nec distributiva vel impartitiva, nec relativa, quae omnia carent demonstratione, vocativos pollicentur, ut quis vel qui, qualis talis, quantus tantus, alius, nullus, alter alteruter, uter

uterque, singuli, bini, terni, quaterni, et similia, nec primae et tertiae personae pronomina. Caetera autem nomina per vocativos casus, etiam si sint appellativa, loco propriorum funguntur, cum demonstratio ipsa definit praesentem secundam personam, et habet in se vim et significationem pronominis tu vocativi. Illud etiam sciendum, quod omnia pronomina apud Latinos absoluta sunt, et tam praepositiva quam subjunctiva, rectique accentus, id est ὀρθοτονούμενα, cum apud Graecos sint quaedam inclinativa, ut μοῦ, μοὶ, μὲ, ego dico, V dico ego, tu dicis, dicis tu, ille dicit, dicit ille. Ab- 22 soluta autem dicuntur, quae cum aliis sociari possunt vel non. Nam dicendo ego dico possum et solus intelligi et cum alio. Solet tamen met addita plerumque significantiam, vel discretionem ostendere, quam Graeci διαστολὴν dicunt, egomet, ego et non alius. Nec non etiam ipse ego vel egomet ipse, ut Terentius in Adelphis: *Egomet rapui, ipse ego solvi argentum*, id est ego et nullus alius. Sui solum apud Latinos reciprocum fit in eadem tertia persona, quod Graeci ἀνταναπλαστὸν vocant, id est quando ipsa in se actum reflectit persona, ut eadem sit et agens et patiens, quod ἰδιοπάθειαν vocant, potest significare ἑαυτοῦ sui. Nam ἐμαυτοῦ et σαυτοῦ, quod est primae et secundae personae, non habemus, sed pro eis simplicibus primitivis utimur, quae tam in reciprocatione quam in transitione poni possunt, ut mei misereor, et mei misereris. Similiter tui misereris, et tui misereor. Nec mirum, cum apud Graecos quoque vetustissimus omnium fere auctorum Homerus simplicibus utatur pro compositis, ut ἐμὲ λύσομαι pro ἐμαυτόν. Sui quoque tam ἑαυτοῦ quam οὗ significat, quod semper est relativum. Nec mirum, cum hoc quoque apud Homerum inveniatur saepe simplex pro composito, ut πρόσθεν ἔσθεν φεύγοντα, id est ante se fugien- 23 tem, ἔσθεν pro ἑαυτοῦ dixit. Nominativum autem ideo non habet hoc pronomen, id est, sui, sibi, se, a se,

---

§. 22. *Terentius in Adelphis.* Act. IV. Sc. 4. vs. 19.
πρόσθεν ἔσθεν φεύγοντα — ἔσθεν pro ἑαυτοῦ. Intactam reliqui lectionem, quam Edd. Ald. Bas. Colon. Putsch. praestant, quamvis Codices ab ea discrepent. Ed. Ven. 2. *προ αυτον φευγοντα — αυτον pro ἑαυτον.* MS. Heidelb. *προσθεν ι φευγοντα, αυτον pro εαυτον.* MS. Erl. 2. *Gr. αυτον — pro εωυθον.* Lips. 1. *pro octo (προσθεν?) πεεμτοντα — ον pro*

quia necesse est, quando ἑαυτοῦ significat tam actionem quam passionem, in eadem intelligi persona. Nec aliter igitur potest proferri is, in quem agitur aliquid, nisi per obliquos casus. Evenit enim, ut a nominativis actus proficiscentes ad obliquos, vel in transitione personarum intelligantur, vel in una eademque persona. In transitione, ut Aristophanes Aristarchum docuit, ego te honoravi, tu mihi dixisti. Et per sola quoque verba nominativus intelligitur, et transit rursus ad obliquos, dedi tibi, honoravi te. In una quoque eademque persona hoc idem fit, ut Phemius se docuit: docendi enim transitio non ad alteram fit personam, sed ad ipsum Phemium reciprocatur. Ajax se interfecit: rursus enim interfecit ad ipsum Ajacem reciprocatur. Hujuscemodi igitur structuris primitivorum pronominum cum verbis accidit, una eademque voce et transitivam demonstrare personam et reciprocam. Unde Homerus quoque antiquitatis auctor in simplicibus semper pronominibus et intransitivas ponit, ut dictum est, personas et transitivas, ut ἐμὲ λύσομαι pro ἐμαυτόν; unus enim et idem loquitur; ἐμὲ autem ἔγνω transitive. Alter enim cognovit, et alter est cognitus. Postea vero juniores 24
addidere composita pronomina, quae intransitivas significarent personas, simplicibus vero usi sunt transitivis. Itaque αὐτοπαθεῖς compositas, id est ipsas agentes, easdemque patientes dixerunt. Illas vero, hoc est simplices, ἀλλοπαθεῖς, hoc est in alias passionem facientes, nominaverunt. Jure igitur nos, qui in plerisque antiquitatem servavimus Graeciae, in pronominibus quoque secundum Homericam auctoritatem simplicibus utimur etiam pro compositis, id est non solum cum in aliam personam agit, sed etiam cum ipsa in se. In aliam, ut Virgilius in IIII. Aeneidos: *Cui me morituram deseris hospes?* Terentius in Adelphis: *Facio te apud illum deum.* In se. Idem in Andria: *Nec quid nunc me faciam scio.* Idem in Adelphis: *Aedepol, Syrisce, te curasti molliter.*

εαυτον. Erl. 1. πρωσο εηεθεν φευγωντα — αυτον *pro* εαυτων. Lips. 2. προσαυτον η φειγοντα — αυτον *pro* εαυτον. Reliqui Codices cum his fere consentiunt.

§. 24. *Virgilius in IV. Aen.* vs. 323. *Terentius in Adelphis.* Act. IV. Sc. 2. vs. 19. *Idem in Andria.* Act. III. Sc. 5. vs. 8. *Idem in Adelphis.* Act. V. Sc. 1. vs. 1.

Quaeritur igitur, cur, si mei pro ἐμοῦ et ἐμαυτοῦ, et tui pro σοῦ et σαυτοῦ accipiantur, et tamen nominativos habeant, sui, cum pro οὗ et ἑαυτοῦ accipiatur, non habeat nominativum? Ad quod multa sunt dicenda. Primum, quia, si loco aspirationis, ut supra diximus, quae est in principio tertiae personae apud Graecos, id est i, praeponeretur s nominativo, esset dubitatio ad conjunctionem si: quomodo enim οὗ sui, et οἱ sibi, et ἑ se, sic
25 nominativus ὑ si debuit esse. Et in aliis enim dictionibus quibusdam solent Latini Aeoles sequentes vel in digamma v vel in s convertere aspirationem, ϝήμισυ semis, ϝὲξ sex, ϝεπτὰ septem. Et fortasse ideo ex eo per anastrophen factum est is aliud pronomen: quod propterea puto et relativum esse, quomodo ὑ apud Graecos. Deinde quod hujus ipsius, id est ὑ nominativi, rarus est etiam apud Graecos usus. Postremo quod nunquam potest hoc pronomen inveniri, hoc est, sui, sibi, se, a se, sive reciprocum, sive transitivum, ut non intelligatur actus, vel ab ipsa in se, vel ab ipsa in aliam simul, et ab alia in ipsam, nisi possessivis vel adjunctis copuletur. Tunc enim agere solum, non etiam pati significat, ut ille miseratur sui servum, et sibi similem, et se sequentem, et se ducentem. Ab ipsa in se, ut Terentius in Andria: *Ipsus sibi esse injurius videatur.* Passiva enim quoque ab actu aliquo fiunt. In aliam ab ea, et in eandem ab alia, ut idem in eadem: *Hanc fidem sibi me obsecravit, qui se sciret non deserturum, ut darem.* Hujuscemodi vero structura nominativum habere quan-
26 tum ad transitionem non potest. Omnis enim genitivus vel verbo adjungitur ad perfectionem sensus, ut mei vel illius potior, vel possessioni, ut mei servo loquor. Alii vero casus non ad possessionem, sed ad verba solum feruntur. Igitur sui pronomen vel ad verbum semper ponitur reciprocum, id est sui passionem significans, vel retransitivum, vel ad possessionem, ut sui servo loquitur, vel sui miseretur, vel rogat me vidua, ut sui miserear: nunquam absolute, quomodo alia, ut ego loquor, et tu loqueris, et ille loquitur. Cum enim, sicut

---

§. 25. *Terentius in Andria.* Act. II. Sc. 3. vs. 3. *Idem in eadem.* Act. II. Sc. 3. vs. 28.

§. 26. *vel reciprocari.* Adjeci e Codd. *vel.*

diximus, necesse sit actum vel a semet ipsa in se, vel ab alia in eam intelligi, nunquam potest verbum vel reciprocari, vel transire nisi in obliquos casus. Omnis autem obliquus nominativo adjungitur, transitionem personae ad personam significans, vel verbo in se nominativum demonstranti, ut ego te docui, ille mihi profuit, vel docui te, profuisti mihi. Similiter per reciprocationes, ego mihi profui, tu tibi profuisti, ille profuit sibi, vel me accuso, te vituperas. Nominativus enim per se positus transitionem non significat, ut ego scripsi: una enim eademque persona intelligitur. Nec potest esse nominativus, cujus etiam obliquus eidem verbo possit sine transitione vel reciprocatione adjungi, ut ego scribo, mei autem scribo dicere non possumus: ille facit, illius facit nemo dicit. Cum igitur sibi loquitur dici- 27
mus, in verbo loquitur nominativum intelligimus ille: cum sibi vero conjungimus, ad eum casum, hoc est dativum, qui est unus ex obliquis, ferri actum significamus. Non mirum autem, sui pronomen et reciprocum et transitivum aliquando esse, cum ἐμαυτοῦ quoque et σαυτοῦ apud Graecos et ἑαυτοῦ, quandoquidem ad actum, hoc est ad verbum, proferuntur, reciproca sunt, ut ἐμαυτοῦ ἀκούω, id est egomet ipse me audio: quando autem ad possessionem adjunguntur, quod fit per solum genitivum, transitiva sunt, ut ἐμαυτοῦ δοῦλον ἔτυψα, id est mei servum cecidi. Hoc autem, id est sui, sibi, se, a se, tertiae esse personae primitivum, conjunctum illis personis, quod συζύγιον Apollonius vocat, comprobat etiam ipsa declinatio, in qua sequitur declinationem primae et secundae personae, quomodo apud Graecos ἐμοῦ, σοῦ, οὗ, ἐμοὶ, σοὶ, οἱ, ἐμὲ, σὲ, ἕ, sic et apud nos mei, tui, sui, mihi, tibi, sibi, me, te, se, a me, a te, a se. Et quod, quemadmodum praediximus, loco aspirationis, quam habet Ϝ tertia apud Graecos persona, s habet principalem per omnes casus. In hoc autem quoque, id est, 28
ut hoc pronomine modo transitivo, modo reciproco utamur, Homerum sumus, ut jam dictum est, secuti, qui tertia quoque persona primitivi modo reciproca, mo-

---

§. 27. *ferri.* Ita Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Vulgo, *referri.*

§. 28. *Homerus.* Iliados Γ. vss. 350. 53. *Idem Odyss.* Γ. vs. 39.

do transitiva utitur, ut *Δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ σήθεσσιν ἔδυνεν οἷο κασιγνήτοιο Λυκάονος*, *οἷο* dixit pro *ἑοῦ*. Idem *Ὀδυσσείας Γ. Πάρ τε κασιγνήτῳ Θρασυμήδεϊ καὶ πατέρι ᾧ*, pro *πατέρι αὐτοῦ*. Idem *Ἰλιάδος Υ. Τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διῒ οἰνοχοεύειν κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη, κάλλεος οἷο ἀντὶ τοῦ κάλλεος αὐτοῦ*. Itaque apud nos quoque modo pro *οὗ*, modo pro *ἑοῦ* potest sui accipi. Similiter sibi pro *ᾧι* et *ἑωι*, se pro *ἕ* et *ἑε*. Et sciendum, quod, quotiens hoc pronomen reciprocum est, ejusdem personae verbum habet convenienti casui adjunctum, ut sui meminit, sibi placet. Et manifestum est, quod adjunctio verbi vim habet nominativi casus cum actione aliqua. Si igitur pronominis quoque hujuscemodi significationem habentis, hoc est in se recurrentis, ponas nominativum et cum eo verbum ejusdem personae, erunt duo nominativi. Duo autem nominativi per se, ubi et actio et passio ostenditur, conjungi non possunt,
VI sed obliquus et nominativus. Nec solum in reciprocis,
29 sed etiam in illis, quae in transitione habent alteram personam. Non igitur sui nominativus potest constare. Quis ideo a quibusdam pronomen esse putatur, quod declinatur ad similitudinem quorundam pronominum, quis, cujus, cui, sicut ille, illius, illi, et quod pro omni nomine ignoto nobis, tam proprio quam appellativo, poni potest, ut quis fecit? quis dixit? Unde respondentes ad hujuscemodi interrogationem vel proprio utimur, vel appellativo. Quis fecit? Virgilius vel poeta. Et quod substantiam significat sine aliqua certa qualitate, quod est suum pronominis. Ad quae dicendum, quod non similitudo declinationis omnimodo conjungit vel discernit partes orationis inter se, sed vis ipsius significationis. Nam et pronomina multa declinationem nominum sequuntur, ut omnia derivativa, meus, tuus, suus, noster, vester, nostras, vestras. Et rursus nomina declinationem pronominum, ut unus unius uni, solus solius soli, totus totius toti, ullus ullius ulli, nullus nullius nulli, alius alius alii, cujus genitivus, quia par syllabis est nominativo, producit sem-

---

Idem Iliados Υ. vss. 232 — 35.

ᾧι — ἑωι — ἑε e Codd. Zwicc. 2. Heidelb. reposui pro vulgato *οἷ — ἑῷ — ἑόν*.

per penultimam, cum alterius contra, quia duabus vincit syllabis nominativum suum, semper corripit penultimam. Alter alterius alteri. Uter vero utrius, quia una superat syllaba, licet in metris et producere et corripere, et quae ex his componuntur. Quamvis haec quoque quidam eodem errore declinationis inducti pronomina esse putaverunt: cum enim omnia haec ad certum numerum vel quantitatem referantur, quomodo possunt esse pronomina, quae omnia qualitate et quantitate careant, et loco propriorum, quae sunt individua, hoc est nihil commune vel generale habentia, accipi soleant? Supra dicta igitur cum generalem substantiam vel quantitatem significent, neque loco propriorum finitorum accipiantur, sine dubio nomina sunt appellativa. Similiter illa, quae infinitam qualitatem significant, qualis, talis. Quomodo enim infinita vel interrogativa pro nominibus accipiantur propriis, quae ignorationem ipsius propriae uniuscujusque substantiae, vel quantitatis, vel qualitatis significant? Quis quoque quamvis substantiam sine aliqua certa qualitate demonstret, hoc tamen interest inter substantiam illam, quam significant pronomina, quod illa pro speciali et propria uniuscujusque accipiuntur substantia, quae demonstratione praesentium et relatione absentium personarum intelligitur, hoc autem generalem et infinitam substantiam, quae pertinet ad universarum rerum genera, et species, et partes, demonstrat. Quomodo igitur numeros et quantitates inter species qualitatis nominum accipimus, sic etiam infinitam et generalem substantiam, quae est in hoc nomine, hoc est quis vel qui, et quae ex eo componuntur, in hoc esse dicimus qualitatem. Habet igitur etiam qualitatem, quam desiderat nomen. Ut breviter igitur totum colligamus, pronomina loco propriorum accipiuntur nominum. Itaque finitas exigunt sibi personas, quas nullum ex supradictis potest habere nominibus. Quid autem sic incongruum, quam omnia numerorum nomina sine dubio ab omnibus nomina accipi, unus autem, et alter, et uter, et solus, declinatio-

actione aliqua. Vulgo, *adjectione*, vitiosissime. Nos veram eandemque Codicum lectionem restituimus.

a quibusdam. Ita plures Codicum meorum. Vulgo legitur dativus Graecus

nis causa pronomina esse putare? Sin autem in declinatione, vel in derivatione quaedam inaequalitas invenitur, ut quis quae quod, alius alia aliud, nihil mirum, cum in omnibus partibus orationis, de quibus nulla dubitatio est, hoc inveniatur, ut in nominibus supellex supellectilis, hospes hospita, gracilis gracila: in pronominibus ipse vel ipsus ipsa ipsum: in verbis sum fui, fero tuli. Illud quoque quidam objiciunt, quod demonstratio est propria pronominum, ut hic, ergo et talis et tantus, sed falso. Nam adverbia quoque inveniuntur demonstrativa, ut en, ecce: ergo et nomina possunt esse demonstrativa; et pronomina tamen inveniuntur carentia demonstratione, quae sunt relativa, ut is sui.
33 Hoc autem interest inter demonstrationem nominum et pronominum, quod id, quod demonstratur per pronomen, solum ostenditur per se, nec ad alium pertinet extrinsecus: quod vero per nomen, non solum ipsorum, quae ostenduntur, sed etiam illorum, ad quos referuntur, demonstrationem habet, ut talis Pyrrhus apparet, qualis pater ejus: et quod pronomina demonstrativa in eodem genere et numero manent, qui demonstratur, nomina vero demonstrativa possumus diversa ostendentes ad diversa referre, ut si aspicientes mare dicamus, talem esse Nilum, cum sit Nilus masculini, mare autem neutri: vel si quis dicat statuam Herculis cernens, tanti fuerunt mei parentes, quantus iste Hercules. Cum enim unum aspiciat, plurali uti potest numero. Si igitur similitudinis causa hujuscemodi nominum demonstrationes proferuntur, quae est in communi qualitate vel quantitate, qua carent pronomina, quae dubitatio est, nomina magis haec esse appellativa? Itaque interpretantes, quid est talis, vel tantus? dicimus similis huic, de quo loquimur. Ergo cum adjungimus substantiam qualitati, (nam huic substantiam significat, similis vero qualitatem) tantus, talis pronomina esse non possunt. Neque pronominibus redduntur, sed nomini-
34 bus, hoc est quantus, vel qualis. Tria autem sunt demonstrativa nomina, talis, tantus, tot, et quod a pronomine componitur et nomine, hujusmodi vel hujuscemodi. Unde hoc quoque aliud intrinsecus demonstrat,

---

§. 35. *partiuntur vel referuntur.* Restitui e Codd. indicativum.

d est substantiam, et aliud intrinsecus intelligitur, id est qualitas, quam per se pronomen sine adjunctione nominis habere non potest. Sciendum tamen, quod talis, et tantus, et tot, si ad praesentes dicantur, etiam demonstrativa sunt: sin autem ad absentes, relativa vel redditiva tantum, ut qualis Hercules, talis Theseus fuit. Illud quoque notandum, quod in vocativo omnia nomina ejus capacia possunt esse demonstrativa. Itaque in hoc solo finitam videntur secundam habere personam. Nam in aliis casibus infinitae sunt personae, et tertiae, nisi quando substantivo vel vocativo adjungitur verbo: tunc enim et secundae et primae copulantur personae, ut supra memoravimus, Priscianus sum, Priscianus vocor, Virgilius es, Virgilius diceris. Omnia autem infinita, vel relativa, vel interrogativa, cum semper de tertia dicantur ad secundam, (ea est enim, ad quam naturaliter interrogatio dirigitur,) non possunt habere vocativos, qui proprii sunt secundae. Alius quoque caret vocativo, cum abnegationem habeat tam primae quam secundae. Dicimus enim, neque ego, neque tu, sed alius: igitur quod caret demonstratione praesenti, vocativum habere non potest: ergo nec pronomen hoc esse, certum est. Non solum enim non finit personas, sed etiam abnegationem habet finitarum. Tertiam quoque incertam significat, quod est illi pro qualitate, et quod in amplioribus solet dici, quam duobus. Pronomina loco nominum accipiuntur propriorum, ut Cicero scribit, idem recitat, et unum et idem significat. Sin vero dicam Cicero scribit, et alius recitat, non est eadem persona. Illud quoque arguit, hoc non esse pronomen, quod ipse omni potest subjici pronomini, ut ego ipse, tu ipse, ille ipse, non tamen etiam alius ipse dicimus. Alter quoque et uter, et quae ex his componuntur, et ambo, vocativos habere non possunt, cum vel partiuntur vel referuntur. Quod autem partitur, in diversis est personis, vocativus autem ad unam dirigi vult personam, itaque in his esse non potest, quae partiuntur. Quid est enim uter? ego vel tu, sive tu vel ille? Similiter alter ex me et te, vel te et illo? Quomodo ergo in significatione diversarum persona-

ego vel tu. Expunxi ante *ego*, *nisi* Codicum jussu.

rum possit esse vocativus, qui ad unam pertinet solam secundam? Relativa quoque cum demonstratione carent, vocativum habere non possunt, ut ambo, uterque, alteruter. Ullus etiam et nullus, cum semper cum abnegatione ponitur, et nemo, carent vocativo.

---

carent. Vulgo, *careant.* Illud tuentur Codices.

cum abnegatione ponitur. Ita Codd. Vulgo, *pro abnegatione ponantur.*

LIBER QVARTVS DECIMVS.

Quoniam de omnibus, ut potui, declinabilibus supra I
disserui, id est de nomine et verbo et participio et pro- 1
nomine, nunc ad indeclinabilia veniam, quae jure extre-
ma ponuntur: ea enim sine illis sententiam complere
non possunt, illa vero sine istis saepissime complent.
Itaque cum bene mihi videantur praepositionem caete-
ris indeclinabilibus Graecorum doctissimi praeposuisse,
et maxime Apollonius, cujus auctoritatem in omnibus
sequendam putavi, ego quoque ab ea incipiam. Nomi-
ni enim, quae principalis est omnium orationis partium,
et caeteris, quae casus ad nominis similitudinem sumunt,
praeposita vim potest sibi dictionis defendere, aliis ve-
ro, id est carentibus casu, adjuncta unitur cum eis, ius-
que dictionis proprium perdit. Est igitur praepositio
pars orationis indeclinabilis, quae praeponitur aliis par-
tibus orationis vel appositione, vel compositione. Est
autem quando per appositionem prolatae praepositiones

Lib. XIV. §. 1. *quae jure.* Inserit MS. Dresdensis *nunc.* Mox *illa vero* pro *illa autem* edidi secundum MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2.

sequendam. Addunt nonnulli Codd. *esse*, alii ante, alii post *sequendam.*

aliis vero, id est. Unus meorum Codd. omittit *id est.*

partibus orationis. Adjeci e Codd. Heidelb. Dresd. Lips. 2. Edd. Ven. 1. 2 *orationis.* Mox pro *appositione vel compositione* Cod. Dresd. *per appositionem vel per compositionem.* E correctione hoc ortum esse docet Cod. Heidelb. in quo *i.* *per* supra scriptum legitur.

per appositionem prolatae. Codd. Zwicc. 2. Lips. 3. omittunt *prolatae.* Post *ponuntur* addit Cod. Lips. 1, *sed.*

praepostere ponuntur, poetica plerumque auctoritate. Nam sine metris scribentes rarissime hoc invenies facere, nisi in cum, quae solet quibusdam pronominibus
2 apud omnes similiter postponi. Quando autem ordinem mutant, mutant etiam accentum, nisi differentia prohibeat. Quod etiam conjunctiones apud Latinos praepositivae vel communes, si postponantur, facere solent, ut igitur, quoniam, saltem. Praepositae enim gravantur omnibus syllabis, postpositae autem acuuntur in principio. Sed hoc interest inter praepositiones et conjunctiones, quod conjunctiones praepositivae nunquam componi possunt, nisi cum declinabilibus infinitis, ut siqua, nequa. Praepositiones vero, quamvis in transitione ponantur personarum separatae, id est per appositionem prolatae, non conjungunt duas substantias cum uno accidente, quod est proprium conjunctionis, ut ego et tu facimus, homo et taurus arant; vel duo accidentia cum una substantia, ut scribit et legit homo, vel iustus et fortis homo. Et ut hoc ipsum planius absolvam, non copulat praepositio duas casuales dictiones vel duo adverbia cum uno verbo, ut ego et tu facimus, doctus et sapiens fuit Cicero, bene et splendide loquitur; vel duo verba cum uno casuali, vel uno adver-
3 bio, ut docet et docetur, recte scribit et legit. Et praepositiones quidem ante casuales tam in compositione

---

invenies. Futurum pro subjunctivo *invenias* praestant Codd. Luth. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Dresd. Zwicc. 1. 2. Edd. Ven. 1. 2. Recepi ergo vel Codice Heidelb. invito.

§. 2. *Sed hoc interest.* Omittit Cod. Zwicc. 2. *hoc.*

conjunctiones praepositae. Vulgo *praepositivae.* Codices mei omnes receptam lectionem tuentur. Post *declinabilibus* addunt plerique Codd. *his.* MS. Erl. 2. *et his.* Omisit *his* Erl. 1. Addit Lips. 2. post *ut, si quis.* Cod. Heidelb. totum locum in margine, ab eadem tamen manu scriptum, exhibet. Equidem prope absum, ut spuria judicem omnia inde a *nisi — nequa.*

et legit homo. Duo meorum Codd. omittunt *homo.* Mox pro *absolvam* Cod. Lips. 2. *exponam.*

splendide loquitur. Cod. Erl. 1. *loquimur.* Mox ante *uno adverbio* Codicum jussu omisi *vel.*

ut docet. Post *ut* delevi auctoritate Cod. Lips. 2. *vir.*

§. 3. *aliis partibus.* Addit Cod. Dresd. *exceptis supradictis.*

undique uterque. Gravissime hoc loco objurgandus est Putschius, quod Ed. Bas. vitium, typothetae haud dubie errore

quam in appositione ponuntur, conjunctio vero nisi in appositione praeponi aliis partibus non potest, nec supponi quidem, excepto que, ut ubique, plerumque, undique, uterque. In quo tamen possumus additionem magis, vel derivationem que syllabae, quomodo ce quoque solet fieri, factam accipere, quam conjunctionem esse, cum nec significationem suam conjunctionis servat, nec legem inclinationis in omnibus, ut undique, utique. Derivata autem per additionem finalis alicujus syllabae apud Graecos quoque solent inveniri, ut οὐρανὸς οὐρανόθεν, ἔξω ἔξωθεν, Ἀθήνη Ἀθήνηθεν. Sic igitur uter uterque, ubi ubique, unde undique, plerum plerumque, quis quisque, utrum utrumque. Nihil mirum tamen, conjunctioni similem syllabam que addi, cum apud Graecos quoque δὲ in eundem modum in fine additur, nec tamen conjunctio accipitur, ut ὅδε, τοῦδε, τῷδε. Sed redeamus ad differentiam conjunctionum et praepositionum. Conjunctio praeponitur etiam caren- 4
tibus casu per appositionem solam, cum contra praepositio per compositionem duntaxat potest illis praeponi. Sunt autem vel unius syllabae praepositiones, vel duarum, vel trium. Et adverbia quidem derivativa possunt esse, praepositiones vero positivae, id est primitivae, sunt omnes, si sequimur Graecorum auctoritatem. Itaque adversum, extra, infra, inter, intra, cum

---

admissum, propagavit, *ubique* pro *undique* scribens. Recte Edd Ald. Colon. Ven. et Codd. omnes *undique*.

conjunctiones servat. Indicativum pro vulgato subjunctivo tuentur Codices mei omnes.

Derivata. Vulgo, *Derivativa.* Hoc reprobant MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 2. aliique. Recepi ergo, quod Codices praestant.

ἔξω ἔξωθεν. His additur vulgo *Αἴμνος Αημνόθεν*, quae, cum absint a MSS. Luth. Zwicc. 2. Heidelb. Erl. 1., omittenda esse censui.

utrum utrumque. Haec inserui textui e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 2. 3. Erl. 1. 2.

Nihil mirum tamen, conjunctioni similem. Post *tamen* Codicum et Edd. Ven. jussu delevi *est*, et *conjunctioni* dativum pro vulgato genitivo restitui e MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. In Cod. Heidelb. litera *s* puncto supposito notata est.

§. 4. *potest illis praeponi.* Indicativum pro subjunctivo *possit* reposui e Codd. Luth. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Heidelb.

sint derivativa, magis adverbia esse videntur praepositiva, quam praepositiones. Possunt enim haec etiam sine casualibus verbis adjungi, ut ego in campo curro, tu extra, ego supra aspicio, tu infra: sic etiam similia. Sciendum tamen, quod omnia adverbia, quae solent casibus adjungi, Romani artium scriptores inter praepositiones posuerunt, quia sunt praepositiva casualium, et gravantur in omnibus syllabis: vel quia interpretatio eorum apud Graecos modo praepositionis, modo adverbii vim obtinet, ut *Ante ora patrum:* hic ante τὸ πρὸ significat, quod est praepositio Graeca. At vero: *Ante leves ergo pascentur in aethere cervi:* et: *Ante pererratis amborum finibus exul:* hic ante τὸ πρότερον significat, et est sine dubio adverbium. Similiter contra, quando κατὰ significat, loco praepositionis est accipiendum, ut contra concionem Metelli; cum vero τὸ ἐξεναντίας, quod proprium est ejus, significat, adverbium est sine dubio, ut ego in hanc partem specto, tu contra. Juvenalis in primo: *Stat contra starique jubet.* Adversum quoque ideo praepositionem esse putaverunt, quia pro ἐπὶ Graeca praepositione solet aliquando poni, ut Terentius in Andria: *Idque adversum te gratum fuisse habeo gratiam.* Quando autem τὸ ἐναντίον significat, magis adverbium ostenditur, ut Terentius in Phormione: *Ei loco ex adversum tonstrina erat quaedam.* Secundum quoque, quando pro κατὰ et μετὰ accipitur, loco praepositionis est. Salustius in Jugurtino: *Secundum ea, uti debitis uterer.* Lucanus in octavo: *Secundum Aemathiam lis tanta dabitur.* Accentum habent praepositiones acutum in fine, tam apud Graecos quam apud Latinos, qui tamen cum

---

Ante ora patrum. Virg. Aen. I. 95. *Ante leves* rel. Virg. Ecl. I. vs. 60. *Ante pererratis.* Ecl. I. vs. 62.

§. 5. *adverbium est sine dubio.* Codicum et Edd. Ven. auctoritate delevi *et* ante *adverbium.*

in hanc partem. Plures Codd. *in hac parte.*

Juvenalis in primo. Sat. III. vs. 290. *Terentius in Andria.* Act. I. Sc. 1. vs. 15. Versus vulgo ita legitur: *id gratum fuisse adversum te habeo gratiam.* Equidem e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. 1. 2. hunc locum edidi. Cod. Zwicc. 2. omisit *fuisse.*

Terentius in Phorm. Act. I. Sc. 2. vs. 39.

et μετὰ accipitur. Hanc vocem inserui e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven.

Salustius in Jug. XIV, 3. *secundum ea.* Inter lineas Cod. Hei-

aliis legendo in gravem convertitur, nisi praepostere proferantur, quod Aeoles quoque, quamvis fugiant in fine acutum, in hac parte solent servare, quos in plerisque secuti, in hoc quoque sequimur. Cum vero praepostere ponuntur, monosyllabae acuto, dissyllabae penultimo acuto proferuntur, nisi aliqua differentia, ut supra dictum est, impediat, ut Virgilius in I. Aeneidos: *Maria omnia circum.* Finalem enim acuimus syllabam: ne, si penultimam acuamus, nomen vel adverbium putetur esse. Tantam autem praepositioni tenorum mutationem facit ordinis commutatio, quod in quibusdam pronominibus etiam enclitici vice fungitur, quae sunt haec, mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, de quibus in pronomine latius tractatum est. Nec mirum, in hac parte orationis Romanos in fine ponere accentus, quamvis sint dissyllabae, necnon Aeoles contra consuetudinem suam idem facere, cum annititur semper praepositio sequenti dictioni, et quasi una pars cum ea effertur, quamvis per appositionem proferatur: unde et acutum in gravem convertit. Idque Donatus etiam in secunda arte de praepositione se intelligere confirmat his verbis: *Separatae praepositiones acuuntur, conjunctae casibus aut loquelis vim suam saepe commutant et graves fiunt.* Censorinus vero planissime de his docet in libro, quem de accentibus scribit. Et compositae 7
quidem, tam in nominativo, quam in obliquis casibus ab eo nominativo composito flexis, inveniuntur, ut indoctus indocti indocto indoctum indocte. Appositae autem non nisi cum accusativo vel ablativo, ut in hostem, pro patria. Cum verbo semper in compositione,

---

delb. *si desideranda erant.* Pro vulg. *debetis* e Cod. Lips. 2. Zwicc. 2. recepi *debitis.* Lips. 1. *debituris.*

Lucanus in octavo. vss. 332. 33.

§. 6. *ponantur* pro *ponuntur* Codices omnes scribi jubent.

Virg. in I. Aen. vs. 32.

ordinis. Cod. Zwicc. 2. *ordinationis.*

annititur. Ita Codd. Luth. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Vulgo, *annitatur.* Mox *effertur — proferatur* pro vulg. *efferatur — proferantur* restitui e Codd.

separatae praepositiones. Post haec additur in libris vulgatis *in fine*, quod auctoritate Codd. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2. Heidelb. Luth. Edd. Ven. omisi. Iisdem auctoritatibus post *conjunctae* delevi *vero.* Edd. Ven. tuentur hoc.

§. 7. *indocte.* Additur vulgo ablativus *indocto*, quem, cum Codd.

ut induco, extorqueo, percurro. Cum participiis in compositione quidem secundum verborum figuram, ex quibus nascuntur, ut inducens, extorquens, percurrens. Et praeterea per appositionem, in accusativo et ablativo secundum nomina, ut in amantem, pro ducente. Pronominibus vero per appositionem solam praeponitur duobus supradictis casibus obliquis, ut in illum, de illo, et sibi praeponitur in compositione, ut imperterritus,
8 inexpugnabilis. Nec non etiam conjunctioni invenitur praeposita, sed non servat vim suam, absque: unde, ut supra memoravimus, additio magis putatur que. Ergo a praepositione abs derivatum est absque, quomodo ab ex extra. Similiter adverbiis praeponitur per compositionem, ut perinde, subinde, deinceps, abhinc. Igitur nomini quidem et per appositionem et per compositionem, pronomini vero per appositionem solam, licet quibusdam mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, composita esse videantur. Participio per derivationem vel consequentiam compositorum verborum, vel per appositionem. Caeteris autem partibus per solam compositionem praepositio jungitur. Loco etiam conjunctionis accipi solet causalis, ut per desidiam malitiae nascuntur, id est causa desidiae. Similiter propter.
II Sunt autem apud nos multo plures, quam apud Graecos.
9 Apud illos enim cum sint decem et octo praepositiones, diversas singulae habent significationes, quae complent multarum apud nos demonstrationem, ut περὶ pro circum, et circa, et erga, et de, et super, quando memo-

---

Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Edd. Ven. ignorent, ego etiam omittendum esse censui.

pro ducente. Ita e Codd. Lips. 1. 2. Dresd. Heidelb. Luth. Erl. Edd. Ven. edidi loco τοῦ, *pro docente.*

§. 8. *conjunctioni* pro *conjunctione* scripsi auctoritate MSS. Luth. Zwicc. 1. 2. Heidelb. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Edd. Ven.

non servat vim suam, absque. Post *suam* omisi jussu MSS. Lips. 2. Dresd. Edd. Ven. *abs.*

derivatum est. His addunt *adverbium* Codd. Luth. Heidelb. Lips. 2. Erl. 1. 2. Zwicc. In Erl. 1. uncis inclusa est haec vox. Lips. 1. *dirivatur absque.*

subinde. Vulgo, *desubito.* Nos Codd. Lips. 1. 2. Heidelb. Erl. secuti sumus. *deinceps* a tribus Codd. omittitur.

Similiter propter. In libris impressis sequuntur haec: *et ob Virg. in IV. Te propter Libycae gentes Nomadumque. Idem*

riae est, ponitur. Similiter παρὰ pro apud, et prope, et propter, et praeter. Nec solum id, sed etiam illud causa fit, ut sint ampliores apud nos, quod omnia adverbia localia, quae solent casualibus praeponi, inter praepositiones nostri posuerunt, ut supra diximus, tenoremque earum in eis quoque servaverunt, ut pone tribunal, adversum hostem, citra forum, contra inimicos, infra tectum, supra montem, extra muros, intra urbem, ultra Alpes. Hujuscemodi enim omnia Graeci adverbia dicunt esse, quia et certam aliquam habent significationem etiam per se posita, quod praepositiones habere nolunt per se prolatae, adverbia vero habent. Et pleraque eorum componi non possunt: omnes autem praepositiones apud illos et componi et apponi solent. Praeterea haec, quae certissimam locorum habent significationem etiam per se posita, possunt apud Latinos quoque sine casualibus proferri, quod rarissime patitur praepositio. Virgilius in secundo Aeneidos: *Pone subit conjunx, ferimur per opaca locorum.* Inveniuntur igitur apud Latinos in praepositionibus tria contraria observationi Graecorum, quod certae sunt significationis quaedam praepositiones, ut apud, erga, circa, inter, et quod quaedam nunquam componuntur, ut hae ipsae, quaedam nunquam separantur, ut con, re, di, dis. Nulla praepositio habet aspirationem, sicut nec conjunctio, cum in aliis sex partibus orationis sunt, quae habent aspirationem, et quae non, ut hara, habeo, habens, hic, huc, heu. Rarissime apud prosam scribentes praepo-

---

in XI. Cujus ob augurium infaustum. Haec absunt a Codd. Heidelb. Luth. et Lips. 1. nisi quod hic *et ob* habet. Equidem auctoritatem optimorum Codicum sequi non dubitavi.

§. 9. *Virg. in II. Aen.* vs. 725.

§. 10. *ut hae ipsae.* Additur vulgo, *apud, erga.* Tanta vero est in his Codicum diversitas, ut satius duxerim auctoritatem sequi Codicis Heidelb. omittentis haec, inprimis cum caeteri etiam *apud, erga* ignorent, inter quos tamen nonnulli sunt, qui alia substituant. Proximo sequens *et* Codicum auctoritate expunxi.

con, re. Interpositum vulgo legitur *se*, quod cum a Codicibus Luth. Heidelb. Lips. 1. 2. 3. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. ignoretur, jure deleviss̃e videor. Mox *sunt — habent* secundum Codices meos reposui pro vulg. subjunctivis *sint — habeant.*

apud prosam scribentes. Pro vulgato *quosdam* recepi e MSS.

stere proferuntur praepositiones, monosyllabae vero etiam apud poetas difficile mutant ordinem, ut apud Terentium in Andria: *I prae, sequor:* nisi cum. Ea enim sola tam apud poetas, quam apud reliquos, praepostere cum pronominibus ponitur, ut dictum est, his, mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum: nec non etiam quocum, quicum, quacum, quibuscum. Mediae quoque ponuntur, ut qua de re, quam ob rem, quas ob res, qua in parte. Nec non habent quandam cognationem cum adverbiis localibus plerumque praepositiones, ut in, ad locum, et in loco: a et ab et e et ex de loco.
11 Sciendum tamen, quod nulla alia pars in x desinit apud Latinos nisi nomina et ex praepositio, quae Graeca est, et vix, et mox, et pax adverbium comicum, quo utitur Terentius, quod similiter Graecum est. Sunt quae in compositione elisionem patiuntur, ut con sequente vocali, coeo, coarguo, coarcto, coerceo, coaequo. Contra pro sequente vocali d assumit, prodes, prodest, proderam, prodesse. Quaedam etiam syncopam passae sunt, ut supra prō supera, et infra pro infera, et extra pro extera. Nam antiqui trisyllaba ea proferebant, ut Cicero in Arato: *Torvus Draco serpit subter superaque retorquens sese.* Usus tamen tenuit, ut dissyllaba magis ea proferantur. Nec solum praepositiones, sed etiam adverbia sunt ea pro varia significatione accipienda. Oportet autem scire, quod Graeci proprium dicunt esse praepositionis, ut nihil certum per se positae sine aliis partibus orationis significare possint, ut supra dictum est, quales sunt pene apud nos quoque omnes monosyllabae, ut ad ob per pro prae a ab abs cum de e ex. Nec non etiam dissyllabarum quaedam, ut ante praeter. Hac enim ad sensum sequentium significationes suas accommodant, ut ad modo personae, modo loco, est quando tempori adjungitur, vel numero. Per-

---

Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. Edd. Ven. *prosam.*

Terentius in Andria. Act. I. Sc. 1. vs. ult. *sequor* pro vulgato *sequar* reposui e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 1. Erl. 1. 2.

ut dictum est, his. Vulgo, *ut praedictum est*, omisso *his.* Ego Codicum auctoritatem sequendam esse putavi.

ut in, ad locum. Ante *ad* expunxi *et* Codd. jussu.

§. 11. *et pax.* Adjicitur vulgo *παντελῶς.* Ignorant hanc vocem

sonae, ut Virgilius in primo Aeneidos: *Ad te confugio, et supplex tua numina posco;* loco, ut idem in eodem: *Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis;* tempori, ut Salustius in I. Historiarum: *Ad bellum Persi Macedonicum;* numero, *ad quinquaginta milia.* In com- 12
positione quoque modo intentivum est, ut approbat, affirmat; modo ad personam aliquam vel rem dirigitur, ut alloquitur, arridet. Similiter et aliae supradictae diversas habent significationes. Quae vero certae alicujus sunt significationis, quamvis secundum Graecorum rationem pleraeque inter adverbia poni debeant, id est, supra, infra, extra, pone, et hujuscemodi alia, tamen, quia et casualibus plerumque praeponuntur, et gravantur more praepositionum, et loco plerumque Graecarum accipiuntur, ut dictum est, praepositionum, ut supra caelum, *ὑπὲρ τὸν οὐρανὸν*, infra terram, *ὑπὸ τὴν γῆν*, ideo non penitus irrationabiliter ab artium scriptoribus Latinarum inter praepositiones quoque sunt receptae. Inveniuntur tamen in aliis etiam partibus praepositivae, non tamen semper, nec omnes ad eandem speciem pertinentes, ut ne adverbium hortandi, et hic pronomen praepositivum, quod tamen licet etiam postponere, ut hic homo et homo hic, nulla ordinis confusione, tam a poetis quam a sine metro scribentibus, bene dicitur. Jure igitur sola haec pars, id est praepositio, a loco, quem proprium possidet, nomen accepit. Saepe et verbis de- 15
sunt praepositiones, ut Virgilius in I. Aeneidos: *Una Eurusque Notusque ruunt,* pro eruunt. Et praepositionibus verba, ut idem in III. Aeneidos: *O mihi sola mei super Astyanactis imago,* super pro superes. Compositae praepositiones cum aliis partibus in illarum potestatem concedunt, ut incurvus, adoro, abhinc, proinde. Nam in absque magis additio est que syllabae, ut diximus, quam conjunctio. Verba, quia nominativum

---

Codd. optimi, Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Zwicc. 2. aliique. Ergo omisi.

Virg. in I. Aen. vs. 666. *Idem in eodem.* vs. 24.

§. 13. *Virg. in I. Aen.* vs. 85. *Idem in III. Aen.* vs. 489.

concedunt. Ita Codd. Zwicc. 2. Luth. Heidelb. Lips. 1. Erl. 1. Vulgo, *coincidunt*, vel *concidunt*, quod et MS. Dresd. praestat.

magis additio. Vulgo *adjectio*, quod Codices mei damnant.

semper significant vel vocativum, ideo in compositione semper habent praepositiones, quomodo et nominativi nominum, et vocativi. Est quando praepositio loco conjunctionis, ut dictum est, accipitur, tam apud Graecos quam apud nos, ut propter te, hoc est tui causa. Tunc enim loco causalis conjunctionis accipitur, quando διὰ Graecam significat. Virgilius in IIII. Aeneidos: *Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni odere.* Quando vero παρὰ significat, praepositionis vim sine dubio defendit. Idem poeta in IX. *Sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum.* Similiter ob loco causalis solet poni conjunctionis. Virgilius in XI. *Cujus ob auspicium infaustum moresque sinistros:* cum in compositione semper praepositionis habeat significationem, ut idem in VI. *Magnas obeuntia terras, tot maria intravi duce te.*
14 Nec non cum aliis partibus orationis conjuncta simul cum illis loco causalis conjunctionis accipitur, ut quamobrem pro quapropter, ut Cicero in I. Invectivarum: *Quamobrem, ut saepe jam dixi, discede.* Cum apud Graecos separata praepositio tribus soleat casibus praeponi, id est genitivo, dativo, accusativo, apud nos duobus solis praeponitur, id est accusativo et ablativo, nisi hellenismo utatur auctoritas, ut Virgilius in III. Georgicon: *Et crurum tenus a mento palearia pendent,* genitivo est usus secundum Graecos pro ablativo, quamvis apud Graecos τὸ ἄχρις, quod est tenus, non praepositio, sed adverbium esse ostenditur. Itaque apud nos quoque raro praeponitur. Idem in II. Georgicon: *Hactenus arvorum cultus et sidera caeli.* Idem in II. Aeneidos: *Capulo tenus abdidit ensem.* Nominativo vero per compositionem addita praepositio per omnes manet obliquos casus. Ideo autem nominativi per appositionem non re-

---

Virg. in IV. Aen. v. Ind. *Idem poëta.* Postremam vocem adjeci e Codd. MSS. *in IX.* vs. 680. *Virg. in XI.* vs. 347. *Idem in VI.* vs. 59.

§. 14. *Cic. in I. Invect.* Cap. 9. Apud Cic. legitur *proficiscere* pro *discede.* Nihil tamen apud Nostrum mutandum est.

praeponi, id est. Has duas voces inserui e Codd. Dresd. Erl. 1. 2. Zwicc. 2. Lips. 3.

Virg. in III. Georg. vs. 53. *Idem in II. Georg.* ab init. *Idem in II. Aeneid.* vs. 553.

§. 15. *ab acuto enim incipit.* Ita secundum Codd. edidi pro

cipiunt praepositiones, quia per intransitivam dicuntur elocutionem, id est non transeuntem ab alia ad aliam personam, ut percurrit homo excelsus, ecce, quia nominativi sunt, nullam habent transitionem. Accu- 15
sativus vero et ablativus, cum transitivi sunt, recipiunt separatas praepositiones. Separatae enim eae semper transitiones significant. Itaque verba quoque, quia semper adjuncta sunt, quantum ad intellectum, vel nominativo vel vocativo, et carent casibus, jure non possunt per appositionem adjungi praepositioni: nihil enim carens casu per se transitivum esse potest. Praepositio, quando per defectionem verborum profertur, generalem servat accentuum regulam; ab acuto enim incipit. Virgilius in III. Aeneidos: *O mihi sola mei super Astyanactis imago.* Et Terentius in Andria: *Adeo modesta, adeo venusta, ut nihil supra.* Et hoc ad similitudinem Graecorum. Homerus: ἀλλ' ἴνι τοι φρένες, et: πάρα δ' ἀνὴρ, et: χαλεπὴ δὲ θεοῦ ἔπι μῆνις. Nec non etiam si praeponere proferantur, ut Virgilius in XII. *Decus imperiumque Latini te penes.* Hoc quoque a Graecis. Homerus: μάχῃ ἴνι κυδιανείρῃ, et: ὦ ἔπι πόλλ' ἐμόγησα, et: νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων. Est tamen quando postposita quoque gra- 16
vatur, si genitivus sequatur, et redit ad supra positum accusativum vel ablativum, ut si dicam: virtutem propter imperatoris, vel justitia in legum. Sin autem in fine sensus sit praepositio, omni modo generalem servat accentuum legem, et ab acuto incipit, ut homines mile venerunt supra, nisi differentia prohibeat, sicut dictum est, ut circum. Virgilius in I. Aeneidos: *Maria omnia circum,* in fine acuitur, ne adverbium vel nomen esse putetur, sicut et apud Graecos διά. Et si loco adverbiorum vel interjectionum accipiuntur, similiter mu-

---

vulg. *et ab acuto. Virg. in III. Aen.* vs. 489. *Terentius in Andria.* Act. I. Sc. 1. vs. 93. Hunc locum parum diligenter redditum esse ab Nostro, quisque videt. Ergo neque Prisciamus e scriptoribus neque scriptores e Prisciano, nisi aeri adhibito judicio, corrigendi sunt.

ἀλλ' ἴνι. Cod. Heidelb. *αλλαν ινι.*

Virg. in XII. vss. 94. 95.

§. 16. *ut dictum est.* Ante *dictum* delevi *supra.*

Virg. in I. Aen. vs. 52. Mox *accipiuntur* secundum Codd. edidi pro vulg. *accipiantur.*

tant accentum sibi destinatum. Terentius in Eunucho: *Perpulchra credo munera, haud nostris similia.* Et Lucanus in II. *Proh tristia fata, quis fuit ille dies, Marius*
17 *quo moenia victor.* Hoc tamen quoque Graecis auctoribus facimus. Sicut enim praepositiones loco adverbiorum, sic etiam adverbia loco praepositionum solent poni. Homerus: *γέλασε δὲ πᾶσα περὶ χθών, περὶ* pro *πέρι*ξ, praepositionem posuit pro adverbio. Idem: *"Ιλιον εἴσω*, pro *εἰς "Ιλιον*, adverbium pro praepositione. Nihil igitur mirum, apud nos quoque praepositiones pro adverbiis, vel adverbia pro praepositionibus inveniri, cum etiam loco nominis ea soleant accipi, ut Virgilius: *Mane novum; Sponte sua.* Statius in XI. *at tu (pudet) hostia regni, hostia nate jaces ceu mutus, et e grege sanguis, hei mihi primitiis ararum, et rite nefasto, libatus,* rite
18 pro ritu posuit. Praepositiones quoque tam pro adverbiis, quam pro conjunctionibus inveniuntur, ut ostendimus. Non bene tamen Stoici praepositionem inter conjunctiones ponebant, praepositivam conjunctionem eam nominantes, cum conjunctio et nominibus et verbis et omnibus tam declinabilibus quam indeclinabilibus per appositionem soleat adjungi, nec solum praeponitur, sed etiam subjungitur, tam apud poetas, quam apud sine metris scribentes. Praepositio vero, ut saepe dictum est, et praeponi vult semper, cum recto ordine ponitur, et verbis caeterisque partibus indeclinabilibus, nisi in compositione, non adjungitur.

III Separatae praepositiones vel accusativo vel ab-
19 lativo adjunguntur, compositae vero tam nominativo quam caeteris omnibus obliquis, qui ex composito nascuntur nominativo. Et est quando eandem habent tam in compositione quam in appositione significationem, ut invado hostem, et in hostem vado: in utroque enim contra significat. Est quando diversam, ut de te loquor, id est tui causa loquor, deprimo, id est infra premo. Est quando abundant syllabice, id est auctio-

---

Terentius in Eunucho. Act. III. Sc. 2. vs. 15. *Lucanus in II.* vss. 98. 99.

§. 17. *Homerus.* v. Ind. *Virg.* Georg. III. vss. 325. *Mane novum.* Vulgo post *Virgilius* additur *in IV.* quod falsum esse patet et Cod. Heidelb. confirmat.

Statius in XI. Theb. vss. 283 — 85.

nis syllabarum causa tantummodo, nulla significationis additione, ut emori pro mori. Est quando localem vim possident quadripartitam, ut venio per forum, proficiscor ad Graeciam, in Italia sum, a Sicilia venio. Cum apud Graecos praepositio composita cum dictionibus aliis quibusdam penultimam habentibus acutam antepenultimam eam facit, si addit significationi aliquid, ut πλησίος παραπλήσιος, apud nos in uno adverbio hoc solet facere, inde, deinde, exinde, subinde, proinde, ne, si gravetur praepositio, per appositionem esse putetur ante adverbium, quod fieri non licet. Est quando significantiae causa assumitur praepositio, ut Virgilius in I. Georgicon: *Nunquam imprudentibus imber offuit.* Est quando privationem, id est abnegationem significat, ut impius, expes. Sunt quae similem habent potestatem, ut ab a ex e, quae etiam localem possident significationem. Ex vero et pro causali conjunctione potest accipi, ut ex insidiis illius hoc patior, id est insidiarum illius causa. Privationem quoque significat, ut supra dixi, ut expes, exlex: et ordinem, ut Virgilius in VII. Aeneidos: *Exin Gorgonein Alecto infecta venenis.* Et loco adverbii extra fungitur, ut exul, extra solum, et excludo, extra cludo: quamvis extra quoque et omnia localia, ut saepe memoravimus, adverbia, quae casibus solent adjungi, nostri inter praepositiones posuerunt. Temporalia et localia quoque adverbiorum quaedam in praepositiones transferuntur et nomina, ut pridie Calendas, et adversus vel adversum hostes. Subtractae quoque nominibus quibusdam loco adverbiorum ea faciunt accipi, ut domo venio, pro a domo, et domi sum, pro in domo, et domum eo, pro ad domum. Et invicem pro se ponuntur praepositiones, ut in urbem venio, pro ad urbem, et per urbem sum, pro in urbe. Adeo autem plerumque localem habent significationem praepositiones, quod adverbia quoque ex his quaedam localia nascuntur, ex, extra, extrinsecus, sub, subter, in, infra,

§. 18. *nec solum praeponitur — subjungitur.* Indicativum pro vulgato subjunctivo recepi e Codd. MSS. Luth. Heidelb. Zwicc. Dresd. Erl. 1. 2.

§. 20. *Virg. in I. Georg.* vs 574.

§. 21. *Virg. in VII. Aen.* vs. 341.

intra, intus. Sed etiam haec, ut supra dictum est, quia loco praepositionum saepe soleant poni, cum casibus adjunguntur, artium scriptores inter praepositiones numerant. Cum igitur, ut supra memoravimus, per appositionem duobus casibus adjungantur praepositiones, accusativo et ablativo, de singularum significatio-
23 ne disseramus. Et primo de his, quas accusativus sequitur, unasyllabae, ut plerisque Latinorum videtur, sunt hae, ad ob per post cis trans: bissyllabae, apud ante citra circum circa contra erga extra inter intra infra juxta prope pone ultra praeter propter supra usque penes: trisyllabae, circiter adversum secundum. Ex his pleraeque apud Graecos inter adverbia ponuntur, ut saepe docuimus, quod certam habent significationem etiam per se positae, quod in praepositionibus abnegant esse per se positis, et quod licet tam poetis quam oratoribus sine reprehensione et praeponere et postponere ea casibus, cum praepositiones, de quibus nulla dubitatio est, nisi poetica auctoritas faciat, postponere non soleant, et quod eorum pleraque componi non possunt, cum praepositiones omnes apud illos talem naturam habeant, ut et componi et separari possint. Nostri vero ideo inter praepositiones eas dictiones posuerunt, quia semper praepositivae sunt, nisi licentia hoc poetica mutaverit, et gravantur praepositae, quod praecipue suum est praepositionis. Sunt autem pleraque hujuscemodi adverbia localia, ut cis trans apud ante contra circum et reliqua similia. De singularum igitur vi et
24 significatione, ut valemus, disserere conemur. Ad tam in compositione quam in appositione plerumque proximitatem significat, ut adeo, adcurro, advenio, assideo, ad Trojam, pro juxta Trojam, ad urbem, pro juxta ur-
25 bem, ad balneas Palatinas, hoc est, juxta balneas. Est etiam causalis, ut ad quid hoc fecisti? hoc est cujus causa. Et similitudinis, ut adcommodatus, adaequatus, adsimilis, ad unguem. Significat etiam contrarietatem, ut ad illum mihi pugna est, hoc est, contra illum. Pro temporali quoque accipitur, ut Sallustius in primo

---

§. 25. *Virg. in XI.* vs. 347. *Idem poëta in IV. Georg.* vs. 455. *Virg. in I. Georg.* vs. 245.

§. 26. *Virg. in XI.* vs. 597.

Historiarum: *Ad bellum Persi Macedonicum*, hoc est usque ad bellum Persi. Additionis quoque, ut ad haec mala. Ob tam in appositione quam in compositione invenitur, sed quando per appositionem ponitur, vim obtinet διὰ Graecae praepositionis, quae pro causali conjunctione accipitur. Virgilius in XI. *Cujus ob auspicium infaustum moresque sinistros.* Vel loco pro vel κατὰ Graece, cum accommodativa sunt, intelligitur. Idem poeta in IIII. Georgicon: *Haud quaquam ob meritum*, id est pro merito, κατ' ἀξίαν. In compositione vero significationem contra vel circum complet. Contra, ut obvius, occurro, oppono, objicio. Circum vero, ut obumbro, obambulo. Per et componitur et separatur, et significat διὰ Graecam localem, ut Virgilius in I. Georgicon: *Circum perque duas in morem fluminis Arctos.* Et perrumpo διαῤῥήγνυμι. Sciendum autem, quod omnia loca- 26
lia possunt eadem etiam temporalia esse, ut per medium forum et per medium diem dicimus. Nec non etiam aliis rebus ad eandem figurationem omnia localia possunt adjungi, ut per virtutem fio laudabilis, in quo quasi locus laudis ostenditur fuisse virtus. Est etiam jurandi, in quo vim obtinet πρὸς Graece, quae apud illos quoque in jurejurando accipitur, ut per Jovem πρὸς τοῦ Διός. Virgilius in X. *Per te, per qui te talem genuere parentes.* Est etiam perfectivum plerumque in compositione, ut perficio, percurro, persevero, percipio, peroro. Adverbii quoque vim obtinet, quando pro valde accipitur, ut Terentius in Andria: *Per Castor scitus puer est natus Pamphilo.* Abnegationem quoque significat in compositione, ut perfidus, perjurus. Post et com- 27
ponitur et separatur, et significat μετὰ Graecam praepositionem, sed non quando loco σὺν accipitur, sed quando ordinem magis significat, sive loci, sive temporis, sive cujusque alius rei, ut Virgilius in III. Georgicon: *Post montem oppositum.* Similiter dicimus post multum tempus, et post pietatem utilitas ponenda est. Loco etiam adverbii ponitur, ut Terentius in Adelphis: *Post faciet tamen*, pro postea. Virgilius in VI. *Ille ad-*

Terent. in Andria. Act III. Sc. 2. vs. 6.

§ *Virg. in III. Georg.* vs. 213. *Terentius in Adelphis.* v. Ind. *Virg. in VI.* vs. 409.

mirans venerabile donum fatalis virgae longo post tempore visum. Nam quando praepositio est, ablativo jungi non potest. Derivatur ex hoc posterus et postica. Cis et componitur et separatur, et magis localem habet significationem, ut Cisalpina Gallia, et cis Rhenum. Possumus tamen per translationem, et in tempore, et in aliis rebus ea uti, ut cis definitum tempus, sicut ultra definitum, vel cis naturae leges, ut ultra naturae. Deri-
28 vatur ex hoc citra. Trans quoque et componitur et separatur, ut transfero, transveho, trans Padum, trans Tiberim. Est tamen quando in compositione amittit n et s, ut traduco, trado, trajicio, trano. Et composita quidem διὰ Graece vel παρὰ vel ὑπὲρ loco fungitur, ut transveho διακομίζω, trado παραδίδωμι, transgredior ὑπερβαίνω, ut Salustius: *Communem habitum transgressus,* pro supergressus. Πέραν vero significat, quod est adverbium apud Graecos, separata, ut trans mare πέραν
29 τῆς θαλάσσης. Sciendum, quod omnes monosyllabae praepositiones tam accusativo quam ablativo casui servientes et componi et separari possunt, excepta cum, pro qua con in compositione semper invenitur praeposita, eandem significationem habens, quam cum praepositio, ut concurro, conficio. Nec scriptura tamen multum discrepat. Antiqui enim pro cum con scribebant. Et saepe tamen m in n, sicut n in m, converti solet, ut communis imperator, eundem, tantundem. Praeposterе tamen, ut quibusdam placet, cum ablativo pronominum componitur cum praepositio, ut mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum. Aliis vero ideo enclitici vice fungi postposita videtur, ne, si acuatur, adverbium esse putetur: de quo tamen in pronomine latius dis-
30 seruimus. Clam enim magis adverbium est, cum nec localem habeat aliquam significationem, quam plerumque praepositiones possident, et qualitatem demonstret, quae in adverbiis inveniri solet, et diminuitur, quod nulla praepositio habet, ut clanculum, et potest etiam absque casu proferri, ut bona aperte facit. mala autem

---

§. 29. *sicut n.* Delevi ante *n* Codicum jussu *et.*

§. 30. *diminuitur.* Vulgo *diminuatur.* Ego Codices meos secutus sum; ideo et mox *potest* pro *possit* edidi.

praedixerimus pro *supra diximus* Codices scribi jusserunt.

§. 32. προπορεύομαι pro vulgato προέρχομαι e Codd. Luth. Heidelb. aliisque in textum recepi.

clam: et quod apud Graecos absque nulla dubitatione adverbium est. Nihil mirum tamen, quod praeponatur casui, cum multa adverbia, et maxime localia, et apud Graecos, et apud nos soleant casibus praeponi, quorum pleraque nostri, ut praediximus, praepositiones esse dixerunt. Sed sciendum, quod adverbia quidem et sine 31
casibus et cum casibus proferri possunt, ut contra, circum, clam, pone, cum eandem in utroque servant significationem. Praepositiones vero suam significationem servantes semper casibus adjunguntur, ut per, quando praeponitur casui, διὰ significat, quando autem adverbium est, mutat significationem, et pro valde accipitur. Bissyllabae sunt praepositiones, quae accusativo junguntur, secundum plerosque artium scriptores hae, apud, ante, citra, circum, circa, erga, contra, extra, inter, intra, infra, juxta, prope, propter, pone, ultra, praeter, supra, usque, penes. Apud unam habet 32
significationem in loco, ut apud Numantiam; adjungitur tamen etiam personis, ut apud amicum, apud Athenienses, et significat παρὰ Graecam, quando locum apud illos demonstrat. Ea autem praepositio in compositione non invenitur. Ante et componitur, et separatur, antepono, ante domum, et significat πρὸ Graecam, localem vel temporalem, ut anteeo προπορεύομαι, ante annum πρὸ ἐνιαυτοῦ. Invenitur etiam sine casu, in quo loco adverbii accipitur. Significat enim antea, quod est apud Graecos πρότερον, ut Virgilius in Bucolicis: *Ante pererratis amborum finibus exul, aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.* Derivatur ex hoc nomen antiquus, et antiqua, et antiquum, ex quo antiquarius. Citra nun- 33
quam componitur, et pene eandem habet significationem, quam cis. Nam apud nos locum significat. Sed invenio, quod propriis nominibus fluminum vel montium cis solet praeponi plerumque, reliquis vero magis citra, ut cis Rhenum, cis Alpes, cis Padum, citra saniem, citra cruorem, citra forum. Et a cis quidem derivatur citra, a citra vero citer, citerior et citimus, te-

Virg. in Buc. Ecl. I. vss. 62. 63.

§. 33. *et citimus.* Hoc etiam loco pessimam lectionem, *citissimus*, recepit Putschius, cum non solum Codd. Luth. Lil. 1. 2. Lips. 2. Heidelb. sed etiam Edd. Colon. Ven. 1. 2. meliorem exhibeant, quam recepimus.

ste Capro. Cato de agna pascenda: *Citer ager allegatus ad sacra erit.* Utriusque tamen interpretatio apud Graecos adverbium est, id est τὸ ὧδε vel ἐπὶ τάδε. Circum, quando περὶ significat, praepositio accipitur, tam in compositione, quam in separatione, ut circumfero, περιφέρω, circum montem περὶ τὸ ὄρος: quando vero πέριξ demonstrat, adverbium est locale, ut Virgilius in quarto Aeneidos: *Anna, vides toto properari litore circum.* Ex
34 hoc nascitur circitor ὁ περιφοράριος. Circa quoque περὶ Graecam significat, quando pro juxta accipitur, ut circa forum, circa templum, circa viginti annos, et nunquam praepositiva componitur; postposita tamen invenitur apud Virgilium post ablativum, quo loco conjunctionis prolata causalis, ut in I. Aeneidos: *Quocirca capere ante dolis et cingere flamma reginam meditor.* Est tamen quando circum praepositioni eam subjungimus, et circumcirca dicimus, quod et Donatus in secunda arte docet his verbis: *Aut verbum praecedit, ut profero, aut adverbium, ut expresse, aut participium, ut praecedens, aut conjunctionem, ut absque, aut se ipsam, ut circumcirca.* Et hoc tunc fit, quando ἀμφὶ περὶ significare volumus, ut Hesiodus: Ἀμφὶ περὶ πρήνην ἰοειδέα. Circiter vero tum similiter περὶ Graecam significat, cum pro juxta accipitur; ad tempus tamen solum pertinet, ut circiter Calendas Januarias. Erga etiam περὶ Graecam significat, sed quando affectum demonstrat, ut bonus est erga propinquos. Separata invenitur solum. Contra et separatur, et componitur, quando κατὰ vel ἀντὶ significat. Et tunc proprie est praepositio, ut contra adulterum dico, κατὰ μοιχοῦ λέγω; contradico, ἀντιλέγω; controversia, ἀντίῤῥησις: quando vero sine casu ponitur, τὸ ἐξεναντίας indicat, quod est adverbium. Juvenalis in I. *Stat con-*
35 *tra starique jubet.* Ex eo derivatur contrarius. Extra quoque, quod significat τὸ ἐκτὸς apud Graecos, adverbium est derivatum a praepositione ex tam apud illos quam apud nos. Nostri autem ideo non solum inter adver-

---

Citer ager allegatus. Ita Codd. Luth. Heidelb. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Vulgo, *agnus alligatus.* Vocem *allegatus* Cod. Heidelb. explicat inter lineas: *deputatus.* Erl. 2. e correctione luculenta exhibet *agnus.*

Virg. in IV. vs. 416.

bia, sed etiam inter praepositiones acceperunt, quia et sine casualibus verbo adjungitur, et praepositum casualibus gravatur, ut Persius: *Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extra mejite.* Terentius in Phormione: *Extra unam aniculam.* Nihil tamen mirum, loco praepositionis extra accipi, cum ex quoque in quibusdam dictionibus loco extra fungitur, ut exlex, qui extra leges est, exul, qui extra solum, exterminatus, extra terminos, expes, extra spem, exeo, extra eo. Et sciendum, quod extra per appositionem solam aliis jungitur partibus orationis. Ex eo derivatur extraneus et externus. Inter quoque et composita et apposita invenitur, ut internuncius, intercapedo, intervallum, interpres, cujus simplex, id est pres, in usu non inveni; inter amicos, inter muros. Hoc quoque apud Graecos sine dubio adverbium est; significat enim τὸ μεταξύ. Nec solum casualibus praeponitur apud nos, et gravatur, quod suum est praepositionis, sed etiam verbis potest adjungi, et penultima acui, ut si dicam, tu dextrorsum, ille sinistrorsum, ego curro inter. Quomodo autem a sub subter derivatur, et a cis citra, et ab ex extra, a prae quoque praeter, et a pro propter, sic ab in inter proficiscitur. Significat autem modo τὸ διὰ, ut interrumpit διαῤῥήγνυσι, internuncius διάκτορος, intercapedo διαχώρημα, intervallum διάστημα: modo τὸ ἐν, ut Virgilius in XI. *Conversique oculos inter se atque ora tenebant.* Inter se ἐν ἑαυτοῖς; interea loci ἐν τοσούτῳ. Modo τὸ μεταξύ, ut interreges, inter vicinos. Hic ergo quoque admoneo, quod saepe dixi, omnia quae supradicta sunt, quae apud Graecos sine dubio adverbia sunt, Latinos etiam inter praepositiones ponere, quia frequentissime casualibus praeponuntur, et gravantur, quod suum est praepositionum; et, quod interpretatio ostendit, etiam praepositionum quarundam loco ea poni, ut inter modo τὸ διὰ, modo τὸ ἐν ostendimus demonstrare. Interea vero, quia nunquam praeponitur casuali, sine dubio adverbium 36

---

§. 34. *Virg. in I. Aen.* vs. 673. *Hesiod. Theog.* vs. 3. *Juven. in I.* Sat. III. vs. 290.

§. 35. *Persius.* v. Ind. *Ter. in Phorm.* Act. I. Sc. 2. vs. 48. Mox *fungitur* pro vulgato *fungatur* edidi secundum Codices. *inveni.* Ita Codd. Vulgo *invenitur.*

§. 36. *Virg. in XI.* vs. 121. Mox post *omnia* omisi *ea.*

37 accipitur; verbo enim semper adjungitur. Ex inter praepositione derivatur interea, *τὸ ἐνίχνιον*. Intra quoque videtur ab in derivatum, velut ab ex extra, a sub subter, sic ab in inter et intra: et significat *τὸ ἐντὸς*, quod est adverbium apud Graecos. Lucanus in V. *Intra castrorum timuit tentoria ductor.* Huic contrarium est *τὸ ἐκτὸς*, id est extra. Quomodo autem inter et intra derivantur ab in, sic etiam intus et intro, quae sine dubio adverbia sunt etiam apud nos. Sed intus et intro casualibus nunquam praeponuntur, inter vero et intra frequentissime, sicut extra, casibus praeponuntur, foris autem vel foras minime. Ab intra derivatur intrinsecus, et internus, sicut ab extra extrinsecus et externus et extraneus. Verbum etiam ab intra, intro intras. Infra etiam ab inesse natum puto, et significat *τὸ κάτω*, quod est apud Graecos adverbium. Id quoque propter supradictas causas inter praepositiones recipitur a Latinis. Frequentissime enim praeponitur casualibus et gravatur. Terentius in Eunucho: *Ego te esse infra omnes infimos*
38 *puto.* Ex hoc derivatur inferus, veluti a nuper nuperus, quod approbat Caper: vel infer, ut citer, exter, et infernus et inferior infimus. Et sciendum, quod omnia adverbia locorum, quae solent casibus praeponi, ideo nostri inter praepositiones quoque numeraverunt, quia saepissime inveniuntur hujuscemodi adverbia loco praepositionum accepta, vel loco eorum praepositiones positae: ut intra viscera, pro in viscera, et absque laesione, pro extra laesionem, et in adulterum dicitur pro contra adulterum, et sub terram pro infra terram. Juxta etiam, quod significat *τὸ ἐγγὺς*, quod apud Graecos sine dubio adverbium est, quia loco prope, sive propter, quod est *παρὰ*, fungitur, (est autem praepositio *παρὰ* Graeca,) et quia casum sequitur, nostri inter praepositiones posuerunt; quando vero verbo per se conjun-

---

§. 37. *Lucanus in V.* vs. 241. *Terentius in Eunucho.* Act. III. Sc. 2. vs. 36.

§. 38. *numeraverunt.* Vulgo, *enumeraverunt.*

Salustius in Catilin. Cap. II. §. 8. Pro vulgato *enim* restitui e Codd. MSSis *ego.*

§. 39. *duntaxat* omittit Cod. Lips. 3. Mox *quarum* pro vulgato *quorum*, quod Putschius cum caeteris edidit, secundum Codices meos reposui.

gitur, adverbium id esse existimant, ut Salustius in Catilinario: *Horum ego vitam mortemque juxta aestimo.* Pridie quoque more praepositionis accusativo adjungitur. Cicero in I. Invectivarum: *Pridie Calendas Januarias.* Pridie Nonas. Pridie Idus. Livius ab urbe condita XVII.

Monosyllabae praepositiones, quae casui ablativo IV
serviunt, duntaxat sunt hae, a, ab, abs, e, ex, de, pro, 39
prae, cum: addunt etiam clam, quod apud Graecos adverbium est. Dissyllabae autem coram, palam, sine, absque, tenus, quarum omnium interpretationes apud Graecos adverbia sunt. Sed dixi saepissime, quod nostri hujuscemodi dictiones, quando praeponuntur casibus accusativis vel ablativis, per transitionem personarum, inter praepositiones accipiunt, et gravantur omnibus syllabis; quando vero verbis conjunguntur, et intransitivae sunt, et generalem servant accentuum rationem, inter adverbia numerant, et tunc licet ea nominativo vel praeponi vel supponi, ut legit Cicero, et nihil ultra fecit, vel ultra Cato fecit, quam Cicero. Sine tamen et absque et tenus non inveni, nisi cum ablativo, et semper transitive, ut Virgilius in XII. Aeneidos: *Aut quicquam mihi dulce meorum te sine frater erit.* Suum vero est adverbiorum, ut dixi, intransitive posse proferri, et similiter omnibus casibus adjungi, ut non bonus homo ille est, non boni hominis officium facit, non bono homini loquitur: sic et per reliquos casus, in quibus non adverbii causa, ulla transitio fieri ostenditur. At si dicam coram Cicerone dixit Catilina, vel absque 40
consule egit praetor, transitionem sine dubio facio diversarum personarum, id est ab alia ad aliam transeo personam, quod est suum praepositionis. Haec igitur quoque ratio compulit artium scriptores Latinos hujuscemodi dictiones, quamvis interpretationes earum ad-

---

accentuum rationem. Cod. Zwicc. 2. *accentum* simpliciter refert.

nihil ultra fecit. Ita secundum Codd. Luth. Heidelb. edidi pro vulgato *ultra nihil fecit*, quem verborum ordinem Codex etiam Heidelb. retinet.

Virg. in XII. Aen. vs. 882. Pro vulgato *haud* e Cod. Zwicc. 2. Lips. 3. Heidelb. aliisque recepi *aut*.

ulla transitio. Plures Codd. *nulla*.

§. 40. *hujuscemodi dictiones.* Vulgo *hujusmodi*, quod Codices damnant.

verbia sint apud Graecos, tamen inter praepositiones ponere apud nos, quando casibus supradictis praeponuntur. Quae vero ex his possunt sine casibus verbis adjungi, etiam inter adverbia ponunt. Quod Censorinus quoque de accentibus approbat, sic dicens: *Super praepositio est, apud Virgilium in I. Aeneidos: Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. Salustius vero in Historiis adverbium hoc protulit, ubi multa nefande casu super ausi atque passi.* Sed mihi videtur Salustius quoque loco praepositionis hoc praepostere protulisse. Sed Virgilius in II. Aeneidos: *Satis una superque vidimus excidia.* Adverbium sine dubio in hoc loco accepit. Idem Censorinus hoc etiam subjungit: Post praepositio. Virgilius in III. Georgicon: *Post montem oppositum.* Idem in I. Aeneidos adverbium: *Post mihi non simili poena commissa luetis.* Ante praepositio. In primo Georgicon: *Ante Jovem nulli subigebant arva coloni.* At in III. Aeneidos adverbium: *Ante et Trinacria lentandus remus*
41 *in unda.* Supra praepositio. Virgilius in V. Aeneidos: *Olli coeruleus supra caput astitit imber.* Adverbium. Salustius in Jugurtino: *Pauca supra repetam.* Contra praepositio apud Virgilium in VIII. *Contra Neptunum et Venerem, contraque Minervam.* Idem adverbium in II. Georgicon: *Contra non ulla est oleis cultura.* Prope praepositio. Virgilius in VIII. Aeneidos: *Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem.* Adverbium. Terentius

---

Virg. in I. Aen. vs. 750.

nefande. Nonnulli Codd. *nefanda. Virg. in II. Aen.* vss. 642. 45.

in hoc loco accepit. Vulgo *accipitur.* Nos meliorem lectionem debemus Codd. MSSis Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. 3. Erl. 1. 2.

haec etiam subjungit. Ita Codd. Lips. 2. Heidelb. Luth. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 3. Erl. 1. 2. nisi quod tres horum Codd. *hoc* pro *haec* exhibent. Vulgo, *haec eadem.*

Post praepositio. Vulgo, *post est praepositio apud.* Nos Codicum nostrorum auctoritatem secuti breviorem et praestantiorem lectionem praetulimus.

Virg. in III. Georg. vs. 213. Ante *post* Codicum jussu delevi *pascua.*

Ante praepositio. Additur in libris vulgatis *est*, quod Codices ignorant. Item ante *in I.* ignorant nomen poëtae, quod libri editi praefigunt.

In I. Georg. vs. 125. *In III. Aen.* vs. 384. Pro *lentandus* unus meorum *tentandus.* Alii *letandus.*

in Andria: *Prope adest, cum alieno more vivendum est mihi.* Ultra praepositio apud Salustium in Jugurtino: *Maurique vanum genus, ut alia Africae, contendebant, antipodas ultra Aethiopiam cultu Persarum justos et egregios agere.* Adverbium, ut lego assidue nihil ultra facieus. Haec Ceusorinus, ut supra dixi, de accentibus tractans. Nec mirum, accentum vel ordinationem differentiam facere praepositionibus et adverbiis, quamvis easdem habeant syllabas, cum hoc in aliis quoque partibus inveniatur, ut pone verbum, et adverbium sive praepositio accentu discernitur. Similiter verum conjunctio et nomen. Sine praepositio et verbum. Ergo causalis et rationalis conjunctio et nomen. In multis quoque aliis hoc invenies.

Nunc singularum vim praepositionum casus ablativi V
inquiramus. A, et ab, et abs, et e, et ex, eandem fere signi- 42
ficationis vim habent. Nam et locales et temporales et ordinales similiter inveniuntur. Sed quando consonans sequitur, a et e magis praeponuntur in appositione, ut a domo, e jure: ab vero et ex saepissime in compositione, non solum vocalibus, sed etiam consonantibus, ut abigo, abduco, exuro, excurro. In appositione vero vocali quidem sequente semper, ut ab illo, ex illo, consonante raro. Nam a quidem et e, vocali sequente, non praeponuntur. Ab autem et ex, consonantibus sequentibus, solent, ut dixi, praeponi, si nulla asperitas vocis prohibeat, ut Virgilius in so-

---

§. 41. *Virg. in V. Aen.* vs. 10. *Salustius in Jug.* Cap. 5. §. 3. *Virg. in VIII. Aen.* vs. 699. *Idem in II. Georg.* vs. 480. *non ulla* pro *non nulla*, quod plurimi Codicum meorum exhibent, retinui cum Cod. Heidelb. et editoribus.

Virg. in VIII. Aen. vs. 597. *Terentius in Andria.* Act. I. Sc. 1. vs. 125.

Salustius in Jugurtino. v. Ind. Mox *ordinationem* e Codd. repositi pro *ordinem.*

verum conjunctio. Omisi *est;* item post *sine praepositio* eandem particulam delevi.

Ergo causalis et rationalis conjunctio et nomen. Post *rationalis* expunxi *est. et nomen* e Codd. Luth. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. inserui.

In multis quoque aliis. Post *aliis* auctoritate Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. expunxi *dictionibus*, quod libri vulgati exhibent.

§. 42. *Virg. in II. Aen.* vs. 648.

cundo Aeneidos: *Ex quo me Divum pater atque hominum rex.* Abs tam in compositione, quam in appositione, consonantibus solet praeponi, sed ab omnibus in compositione praeponitur literis, absque c vel q vel t, ut abduco, affatur. Nam b in f est conversa. Aufero, in quo b in u convertitur, tam euphoniae, quam differentiae causa, ne, si affero di-
43 cas, ab ad et fero componi videatur. Abluo, abnego, arripio, in quo b in r convertitur; asporto, in quo b in s commutatur, sicut et aspello, differentiae causa, ne, si apporto et appello dicamus, ab ad composita existimentur. Ab m vel u loco consonantis incipientibus solet in compositione praeponi a, ut amendo, amens, aveho; ante q in compositione abs, abs quolibet; ante c vero vel t in compositione, ut abscondo, abscedo, abscindo, abstraho, abstrudo, abstineo. E et in appositione et in compositione invenitur, ante b vel d vel g vel l vel m vel n vel r, et ante u et i loco consonantium positas, ut ebibo, ebullio, edo, educo, egero, elimino, eludo, emineo, emico, enarro, enervo, enodo, eripio, eruo, eveho, evoco, ejicio. Reliquis vero sequentibus, ex praeponitur, excubo, excludo, efficio, effundo, effero, in quibus et similibus x in f commutatur euphoniae causa, exhorreo, exhibeo, expello, exequor, expiro, quae rationabilius absque s scribuntur, ut de literis
44 docuimus, exquiro, extendo. Vocalibus quoque sequentibus, tam in appositione, quam in compositione ex, ut supra diximus, praeponitur, ut exaro, exegi, exigo, exoletus, exulcero, exaequatus, exaudio. Et omnia quidem supradicta consimilem, ut dictum est, vim habent. Frequentius autem a, et ab, et abs, verbis passivis, vel ablativo junguntur, ut amor a viro, vel ab illo accipio, ab illo, vel abs quolibet, vel aufero. E vero vel ex frequenter temporalia inveniuntur, ut Virgilius in VIII. *Ex illo celebratus honor, laetique minores servavere diem.* E autem in compositione vel privativum est, ut enervus, enodis: vel intentivum, ut enectus, enarro, eludo: vel pro extra accipitur, ut educo, elimino, egero. Ex quoque modo pro extra accipitur, ut excludo, exter-

---

§. 43. *amendo* scripsi pro *amando*, cum illud Codices mei omnes, Editiones etiam Venetae tueantur.

§. 44. *Virg. in VIII.* vs. 268.

mino, extorris, exlex, expes, excors: modo privativum, ut explico, expedio, exero, extirpo: modo intentivum vel perfectivum, ut expleo, exoro, efficio, effundo, extendo. Derivatur autem ab eo, quod est abs, absque. Nam que, quando vim et significationem conjunctionis non habet, syllaba est, non pars orationis, quomodo in ubique, undique, itaque, denique, et similibus. Ab ex quoque derivatur extra. De non solum τὸ ἀπὸ significat, 45
sed etiam τὸ περὶ memorativum, ut de partibus orationis. Accipitur etiam pro κατὰ locali in compositione, ut deduco, descendo, detraho, dejicio, despicio, derideo. Est etiam intentivum, ut deprehendo, dedo, depravo, deprimo, deminuo, dehisco, deterreo, decurro, deligo. Est etiam privativum, ut desperatus, demens, desum, dejero. Pro est quando localis invenitur, tam in compositione, quam in appositione, ut pro templo, pro curia, pro oculis. Salustius in Catilinario: *Quod ni maturasset pro curia signum sociis dare,* pro curia dixit pro ante curiam; procurro, provenio. Est etiam temporalis, ut provideo, prospicio. Terentius in Heautontimorumeno: *Tibi prospexi, et stultitiae tuae.* Proavus; sed hoc quidam ab adverbio procul compositum affirmant, unde et corripitur. Et omnia similiter pro correptam habentia, ut profatur, protervus. Alii vero ad imitationem Graecorum, apud quos pro praepositio corripitur, nostros quoque in quorundam compositione hoc fecisse dicunt. Loco etiam e vel super accipitur, ut prominet pro eminet, vel supereminet; et ante, quod supra quoque ostendimus, ut proclivis, procumbens, prostratus, prosubigens; et ad, ut pro viribus suis, hoc est ad suas vires. Virgilius in V. *Summis incurvant viribus arcus pro se quisque viri,* hoc est ad suas vires. In quoque loco invenitur, ut pro testimonio dixit, hoc est in testimonio. Plerumque tamen separata τὸ ὑπὲρ significat, pro Milone, pro Clodio. Nec non etiam in- 46
terjectionis loco ponitur, et circumflectitur, ut Salustius in Catilinario: *Pro deum atque hominum fidem.* Prae et per appositionem, et per compositionem invenitur. Si-

---

§. 45. *Salustius in Cat.* Cap. 18. §. 8. *Terentius in Heautont.* Act. V. Sc. 2. vs. 8. Mox *quidam* pro vulgato *quidem* e Codd. restitui.

Virg. in V. Aen. vss. 500. 501.

gnificat autem modo ad, ut Terentius in Eunucho: *Hic ego illum contempsi prae me*, pro ad comparationem mei. Idem in eadem: *Hic vero est, qui si occeperit, ludum jocumque dices fuisse illum alterum, prae ut hujus rabies quae dabit*, pro ad quae dabit. Modo pro ab. Terentius in eadem: (*ut fit*) *misera prae amore exclusit hunc foras.* Idem in Andria: *Prae studio, dum id efficias, quod cupis*, pro ab studio. Loco super etiam fungitur, ut praesideo, praefectus. Nec non etiam pro valde invenitur, ut praecelsus, valde celsus, praevalidus, valde validus. Praeco quoque a valde canendo dictus. Praegestio, valde gestio. Horatius in II. Carminum: *Ludere cum vitulis salicto praegestientis.* Pro ante quoque accipitur, ut praedico, praecurro, praefero, praecipio, praematurus. Lucanus in septimo: *Ad praematuras segetur jejuna rapinas.* Juvenalis in IIII. *Non praematuri cineres.* Videtur derivativum ex hoc esse praeter, quo-
47 modo a sub subter, in inter, pro propter. Cum et adverbium potest esse, quando τὸ ὁπότε significat, et praepositio, quando σὺν, et est copulativa, ut cum ducibus pugno, cum imperatore proficiscor, cum amico habito, et per solam appositionem invenitur. Nec mirum, cum loco ejus in compositione semper con praeponatur, ut concurro, conjungo, contraho, conspiro. Et sciendum, quod et con, et in, tunc mutant n in m, quando b sequitur, vel m, vel p: tunc vero convertunt eam in sequentes consonantes, quando l vel r sequitur, combibo, comburo, imbuo, communis, immunis, compello, impleo, colligo, illido, corripio, irruo, irritus: quamvis raro l et r sequentibus soleant hoc scribentes servare. Sed cum Graecorum auctoritatem in omnibus pene se-

---

§. 46. *Terentius in Eun.* Act. II. Sc. 2. vs. 8. *Idem in eadem.* Act. II. Sc. 5. vss. 8. 9. Quod vulgo post *occeperit* additur *amare*, Codicum auctoritate delevi. *Terentius in eadem.* Act. I. Sc. 2, vs. 18.

exclusit pro *exclusisti* restitui e Codd. Post *foras* delevi Codd. auctoritate *pro ab amore.* *Idem in Andria*, v. Ind.

canendo dictus. Post *canendo* Codicum jussu expunxi *est.*

Horatius in II. Carm. Od. 5. vs. 9. *Lucanus in VII.* (vulgo *V.*) vs. 98. *Juvenalis in IIII.* XI, 44.

§. 47. *con praeponatur.* Hoc pro vulgato *ponatur* e Codd. Zwicc. 2. Lips. 1. 2. in textum recepi.

qui solemus, in hoc quoque imitari debemus, ut συμβουλεύω, ἐμβαίνω, συμμάχω, ἐμμένω, συμπλέκω, συλλέγω, συῤῥέω, ἔῤῥωμαι, ἐλλείπω. Vides enim, in his omnibus praepositiones σὺν et ἐν mutare n in m, b, vel m, vel p sequentibus, l vero vel r, in eas convertere n. Cum praepositio, quando pronominibus postponitur primae vel secundae personae vel etiam se, quae est tertiae, enclitici vice fungitur, ut supra dictum est, mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, aliis vero postposita acuitur, ut quocum, quacum, quicum, quibuscum. Clam, ut diximus, apud Graecos adverbium est, apud nos autem ideo praepositio accipitur, quia et casualibus praeponitur, et gravi accentu pronuntiatur, ut Terentius in Andria: *Nec clam te est, quam illi nunc utraeque inutiles.* Potest tamen etiam apud nos adverbium ostendi, cum verbo invenitur jungi, non serviens casui, ut Virgilius in I. Aeneidos: *Clam ferro incautum superat securus amorum.* Nec in compositione invenitur, et adjungitur non solum ablativo, sed etiam accusativo, teste Donato. Habet tamen etiam diminutionem, quae in praepositione nunquam invenitur, in adverbio vero est quando, ut bene belle, longe longule: sic ergo clam clanculum. Derivatur ex hoc clandestinus. Et attende, quod ea, quae sunt adverbia apud Graecos, certam aliquam possident significationem, cum praepositiones solent eam variare. Coram quoque et palam apud Graecos adverbia sunt, quae propter supradictas causas nostri etiam inter praepositiones assumpserunt. Sed mihi videtur, cum inter adverbia quoque haec eadem plerique ponant, quippe quod sine casualibus verbis possint adjungi, adverbia ea dicere, quae praepositiva possunt VI 48

---

mutant n in m. Vulgo, *m in n*, quod falsum esse patet et Codices docent.

sequi solemus. Indicativum pro subjunctivo e Codd. restitui.

§ 48. *Terentius in Andria.* Act. I. Sc. 5. vs. 52. Post *utraeque* delevi *res* Cod. Zwicc. 2. auctoritate. Is tamen *similes* pro hoc refert; alii addunt *sint*. Duo pro *quam* exhibent *quod*.

est quando Additur vulgo *invenitur*, quod a Codicibus abest, et ex interpolatione adjectum esse in oculos incurrit.

sic ergo clam clanculum. Derivatur. Aliter interpunxi hunc locum. Vulgo ita: *a clam clanculum derivatur.* Praepositionem *a* ignorant Codices omnes.

sine casualibus verbis possint. Vulgo *non possunt.* Utrumque

esse etiam casualium. Ut Virgilius in I. Aeneidos: *Coram quem quaeritis adsum.* Idem in eodem: *Postquam introgressi, et coram data copia fandi.* Salustius in IIII. Historiarum: *Si nihil ante adventum suum inter plebem et patres convenisset, coram se daturum operam.* Et habet significationem contrariam clam, semperque in appositione invenitur, sed coram magis ad personas, palam ad omnia accipitur. Terentius in Eunucho: *Si falsum aut*
49 *fictum continuo palam est.* Sine etiam et absque apud Graecos adverbia sunt, ut supra dictum est, quae praedicta ratio fecit apud Latinos praepositiones putari. Habent autem consimilem significationem, quae est negativa, nec in compositione inveniuntur. Sine autem etiam verbum est imperativum, sed accentu differt, quando praeponitur, quomodo pone: praeposita enim gravatur utraque syllaba, ut sine timore, postposita penultimam acuit, ut Virgilius in X. *Si sine pace tua, atque invito numine Teucri.* Idem in III. Georgicon: *Te sine nil altum mens inchoat.* Absque quibusdam composita a praepositione abs et que conjunctione videtur, sed nunquam que conjunctio in compositione suam vim amittit, ut atque, neque, quoque. Ergo quando amittit significationem, syllabica magis adjectio videtur. Est igitur, ut mihi videtur, derivatio ab abs absque, quomodo ab unde undique, ubi ubique, ita itaque, uter uterque, quis quisque, in quibus conjunctionis significatio nulla remanet. Ostendimus tamen in superioribus, quod etiam Graeci soleant addere δὲ sine aliqua conjunctionis significatione, ut ὅδε, τουῦδε, τῳῦδε. Tenus τὸ ἄχρις significat, quod sine dubio apud Graecos adverbium est, et quamvis pene semper postposita invenitur, tamen quia sine casuali non potest poni, quomodo alia, quae quamvis sint adverbia, tamen hoc ipso, quod cum casualibus junguntur, praepositiones eas esse existimaverunt, hoc quoque inter praepositiones annume-

---

damnant Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. Dresd. *Non* editiones etiam Venetae omittunt.

Virg. in I. Aen. vs. 595. *Idem in eodem.* vs. 520.

Terentius in Eunucho. Act. I. Sc. 2. vs. 24.

§. 49. *Virgilius in X.* vs. 31. *Teucri* pro vulgato *Troes* Codices mei tantum non omnes scribere coëgerunt.

Idem in III. Georg. vs. 42. Putschius, caeteros secutus, *in primo* edidit, quod vitium virum eruditum reliquisse mireris.

rant, quod non solum ablativo, sed etiam genitivo casui. Virgilius more Graeco adjungit, ut in tertio Georgicon: *Et crurum tenus a mento palearia pendent.* Re- 50
stant quatuor praepositiones, quae pro varia significatione, modo accusativo, modo ablativo praeponuntur, in, sub, super, subter. In quando εἰς vel κατὰ significat, id est si ad locum, vel contra demonstrat, accusativo jungitur, ut in urbem vado, vel in adulterum dico. Invenitur tamen etiam pro ad, cum huic casui praeponitur, id est accusativo, ut Virgilius in I. Aeneidos: *Impulit in latus,* pro ad latus. Lucanus in III. *In puppim rediere rates,* pro ad puppim. Quando vero pro ἐν Graeca praepositione accipitur apud nos, ablativo servit, ut in Italia, in urbe, in tempore. In compositione quoque tam diversas habet significationes, quam in appositione: modo enim privativa est, ut indoctus, injustus, inutilis, iniquus, impius, infirmus, improbus: modo intentiva, ut imprimo, incuso, irrumpo, impingo, injicio, immitto, incumbo, incurro, irrideo. Sub quoque quando ad locum habet significationem, vel pro ante, vel pro per ponitur, accusativo jungitur, ut Virgilius in II. Aeneidos: *Postesque sub ipsos nituntur gradibus.* Idem in I. Georgicon: *At si non fuerit tellus foecunda sub ipsum Arcturum.* Idem in III. Georgicon: *Sub lucem exportant calathis,* pro ante lucem, vel per lucem. Idem poeta in I. Aeneidos: *Urit atrox Juno, et sub noctem cura recursat,* pro per noctem. Quando autem in loco significat, ablativo praeponitur, ut Virgilius in VIII. *Arma sub adversa posuit radiantia quercu.* Idem in sexto: *Ibant obscuri sola sub nocte per umbram.* Idem in eodem: *Quale per obscuram noctem sub luce maligna est iter in silvis.* Omnes enim praepositiones locales etiam 51
in temporibus et rebus similem habent constructionem. Quomodo enim dico ad templum, sic dico ad tempus, ad justitiam, ad hominem: similiter sub templum, sub

---

syllabica adjectio. Ita Codices mei. Vulgo, *syllabice adjecta. Virg. in III. Georg.* vs. 53.

§. 50. *Virg. in I. Aen.* vs. 80. *Lucanus in III.* vs. 545. *Virg. in II. Aen.* vs. 443. *Idem in I. Georg.* vs. 67. *Idem in III. Georg.* vs. 402. *Idem in I. Aen.* vs. 662. *Virg. in VIII.* vs. 616. *Idem in sexto.* vs. 268. *Idem in eodem.* vs. 270.

§. 51. *ad tempus.* Additur vulgo *ad diem,* quod Codd. Lips. 1. 2. Heidelb. Luth. aliique omittunt.

diem, sub justitiam, sub hominem, et sub templo, sub die. sub justitia, sub homine, sub muliere. In compositione vero modo localem vim retinet, ut subeo, suppono, subjicio, summitto, subduco, substraho: modo diminutivam, ut subrideo, subtristis, suffundo. Mutat b in sequentem consonantem, quando a c vel f vel g vel m vel p incipiunt ea, quibus adjungitur, ut succumbo, succurro, sufficio, suffero, suggero, summitto, summoneo, supparo, suppono. Super et subter contrarias habent significationes, et utraque tam accusativo quam ablativo conjungitur. Quibusdam tamen videtur ablativo figurate adjungi, quomodo post, et ante, et circum. Virgilius in VI. *Ille admirans venerabile donum fatalis virgae, longo post tempore visum.* Idem in I. Georgicon: *Omnia quae multo ante memor provisa repones.* Idem in IIII. Aeneidos: *Anna, vides toto properari litore circum.* Sic in sexto: *Sedibus optatis gemina super arbore sidunt,* id est in gemina arbore sidunt super. Et in Bucolicis: *Fronde super viridi sunt nobis mitia poma.*
52 Et in IX. *Ferre juvat subter densa testudine casus.* Quod si accipiamus figurate in hujuscemodi locis prolatas, loco adverbiorum necesse est eas accipere, quomodo et post et ante et circum, quando cum ablativo inveniuntur. Super tamen quando loco de ponitur, sine dubio ablativo jungitur, ut *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.* Invenitur tamen etiam verbo adjuncta, vel nominativo participii, in quo sine dubio adverbium esse ostenditur, ut Virgilius in primo Aeneidos: *His accensa super jactatos aequore toto.* Et in undecimo: *Ecce super moesti magna Diomedis ab urbe legati responsa ferunt.* In compositione quoque invenitur, ut supersedeo, supervacuus, supervolo, supereminet, superficies. Et super tamen, et supra a supera, illud per apocopam, hoc per syncopam facta sunt. Sic enim antiqui frequenter protulerunt, et maxime Cicero in poematibus suis,

---

Virg. in VI. vs. 409. *Idem in I. Georg.* vs. 167. *Idem in IV. Aen.* vs. 416. *In sexto.* vs. 203. *In Buc.* Ecl. I. vs. 8. *In IX.* vs. 514.

juvat pro vulgato *libet* e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. reposui.

§. 52. *Virg. in I. Aen.* vs. 29. *In XI.* vs. 226.

§. 53. *componi possunt.* Pro vulgato *possint* restitui e Codd. *possunt.*

quas, quamvis. Vulgo legitur *quae.* Pessime id quidem. Nam

ut in Arato: *Torvus draco serpit subter superaque retorquens sese.* Idem in eodem: *Huic supera duplices humeros adfixa videtur stella micans tali specie, talique nitore.* A super derivativa fiunt superbus, superus, supremus. Cum apud Graecos omnes praepositiones, 53
quae sunt decem et octo, ut supra diximus, et componi possunt et apponi, apud Latinos sunt quaedam, quae et componuntur et apponuntur, ut ad ob per a ab abs de e ex ante circum contra inter post trans cis praeter pro prae. Sunt quae nunquam componuntur, ut apud citra circa erga extra infra juxta pone prope secundum ultra supra. Quorum pleraque adverbiorum vim habent, ut ostendimus. Sunt quae nunquam apponuntur, ut di dis re se an con. Haec enim sex semper in compositione inveniuntur: quas, quamvis, cum per se poni non possunt, separatae in contextu orationis, ideoque partes orationis dici vera ratione non possint, tamen, quia vim et significationem praepositionum habent, et in ipsa compositione semper praepositivae sunt, ideo praepositionibus connumeravere. Et di quidem et dis eandem significationem habent, quomodo a et abs. Sunt autem separativae, ut divido, diduco, distraho, discurro, quod apud Graecos διὰ praepositio facit. Et sciendum, quod tunc dis praeponitur, quando sequitur c vel f vel p vel s vel t vel i loco consonantis, ut discumbo, discutio, differo, diffido, diffundo, in quibus s in f convertitur euphoniae causa, displiceo, disputo, disperdo, disjicio, distraho, disturbo, distorqueo, disjectus, disjungo. Aliis vero quibuscunque consonantibus sequen- 54
tibus di praeponitur, dimitto, diruo, diduco, digero, diluo. Et ubique producitur di, excepto dirimo et dissertus. Lucanus in quarto: *Dirimit tentoria gurges.* Idem in eodem: *Qui medius castris tutam dirimebat Ilerdam.* Idem in quinto: *Et non admissae dirimit suf-*

---

pertinet ad *connumeravere.* Recepi accusativum e Codd. Luth. Heidelb. Dresd. Erl. aliisque.

ideo praepositionibus. Codicum jussu expunxi *et* post *ideo.*

quando sequitur. Pro *cum* e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2. restitui *quando.*

§. 54. *Lucanus in IV.* vs. 18. *Idem in eodem.* vs. 33. *Idem in V.* vs 503. Ineptissime Putschius cum caeteris *amissae* pro *admissae* edidit, cum hoc Codices etiam Heidelb. Luth. Zwicc aliique exhibeant.

fragia plebis. Virgilius in quinto: *Cede deo, dixitque, et praelia voce diremit.* Juvenalis in tertio: *Didicit nam dives avarus tantum admirari, tantum laudare disertos.* Re videtur a retro per apocopam factum, sicut et ipse sensus manifestat, respicio retro spicio, revertor retro vertor, recurro retro curro, vel ex hoc natum esse adverbium, quomodo ab ex extra. Se quoque pro διὰ Graeca praepositione separativa est, ut secubo, separo, seduco. Est etiam abnegativa, ut securus. Praeterea seorsum fit adverbium a se, ut a de deorsum, a super sursum. Quibusdam se a semis, quod separationem facit, quibusdam a secus videtur profectum. Aliis autem magis ea videntur a se praepositione esse derivata. Am etiam περὶ Graecam praepositionem significat, amplector, amputo, ambio: in quo etiam additio b consonantis est propter m. Con pariter loco cum praepositionis, cum de ea disserebamus, accipi supra docuimus.

Virg. in V. vs. 467. *Juvenalis in III.* Sat. VII. vs. 51.
securus. Omisi post hoc *sine cura*, quod libri editi habent, Codices ignorant.
consonantis est. Vulgo *fuit*, quod Codices damnant.

LIBER QVINTVS DECIMVS.

Adverbium est pars orationis indeclinabilis, cujus si- 1
gnificatio verbis adjicitur. Hoc enim perficit adver- 1
bium verbis additum, quod adjectiva nomina appellativis nominibus adjuncta, ut prudens homo prudenter agit, felix vir feliciter vivit. Sunt igitur quaedam adverbia, quae omnibus convenienter sociantur temporibus, ut sapienter dico, sapienter dicebam, sapienter dixi, sapienter dixeram, sapienter dicam. Recte facio, recte faciebam, recte feci, recte feceram, recte faciam. Sunt alia, quae cum separatim tempora significant, necessario separatim eis conjunguntur, ut hodie facio, heri feci, cras faciam, nunc intelligo, antea intellexi, postea intelligam, quamvis usus in eis quoque variat. Sunt quae cum omnibus apte sociantur modis, ut diligenter curas, diligenter cura, utinam diligenter curares, cum diligenter cures, diligenter curare velis. Sunt quae non omnibus 2
modis possunt conjungi, ut ne, cum est dehortativum, indicativo non adjungitur, sed vel imperativo, ut Virgilius in VI. *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito;* vel optativo, ut Terentius in Phormione: *Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset.* Aut subjunctivo, ut idem in Adelphis: *Ne dicam dolo.* Aut infinito, ut Cicero in Invectivis: *Ne dici quidem opus est,*

Lib. XV. §. 1. *adjicitur.* Alii Codicum *addicitur*, alii *additur*, alii *adicitur.*

variat. Ita secundum Codd. Heidelb. Erl. 2. scripsi pro *variatur.* Lips. 1. *variet.*

§. 2. *Virg. in VI.* vs. 95. *Terentius in Phorm.* Act. I. Sc. 5. vs. 5. *Cicero in Invect.* Cap. X. Or. III.

quanta diminutione civium. Utinam optativo conjungitur. Lucanus in II. *O utinam caelique deis Erebique liceret.* Ni subjunctivo copulatur, ut Terentius in Andria: *Ni metuam patrem.* Idem in Phormione: *Ni mihi esset spes ostentata.* Virgilius in III. *Ni teneant cursus.* Idem in I. Aeneidos: *Ni faciat maria ac terras caelumque profundum.* Sed et ni et ne, quando pro neque accipiuntur, inter conjunctiones plerique posuerunt causales, quamvis significatio abnegativa adverbiis ea magis applicat. Quod autem etiam ne pro neque ponatur, usus approbat. Cicero Invectivarum III. *Ne dici quidem opus est, quanta diminutione civium.* Ni quoque pro ne accipitur, sicut supradictus usus ostendit: *Ni teneant cursus*, pro ne teneant. Quod etiam Donatus in commento Aeneidos affirmat dicens: *Ni pro ne. Sic veteres.*

3 Non vero imperativo proprie adjungi non potest, nisi in compositione, ut noli, aptissime autem indicativo sociatur, vel subjunctivo, vel optativo. Indicativo, ut Virgilius in II. Aeneidos: *Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae, culpatusve Paris, verum inclementia Divum has evertit opes.* Subjunctivo, ut Virgilius in VI. *Non mihi, si linguae centum sint, oraque centum, ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas, omnia poenarum percurrere nomina possim.* Optativo, ut Virgilius in I. Georgicon: *Non illa quisquam me nocte per altum ire, neque a terra moneat convellere funem.* Num quoque indicativo soli adjungitur, ad quod pertinet interrogatio. Terentius in Phormione: *Num quid meministi?* Idem

4 in eodem: *Num quid subolet patris?* Et verbum quidem sine adverbio perfectam potest habere significationem. Adverbium vero sine verbo vel participio, quod vim verbi possidet, non habet plenam sententiam. Quamvis enim ab aliqua persona per se proferantur adverbia,

---

Lucanus in II. vs. 306. *Terentius in Andria.* v. Ind. *Idem in Phorm.* v. Ind.

Virg. in III. vs. 656. *Idem in I. Aen.* vs. 58. *faciat.* Putschius pro negligentia sua cum caeteris vitiosissime edidit *faciant*, quod equidem vitium non auctoritate librorum Virgilii, sed Codicis Heidelb. auctoritate sustuli.

supra dictus usus. Putschius Bas. secutus edidit *supradictus Virgilii versus.* Colon. *Virgilii usus.* Ita et Cod. Heidelb. Equidem auctoritati Codd. Zwicc. 2. Lips. 2. Erl. 1. parui, et *Virgilii* delevi.

necesse est ea, vel ad antedicta ab alia persona referri verba, ut si quis me interrogaverit, bona est superbia? et respondeam, non, vel per eclipsim dici, ut si recitante aliquo dixero, bene, diserte, eloquenter: ubique enim subauditur dicis. Similiter si dicam, non malus homo qui pro viribus suis subvenit clientibus, subaudi est. In multis quoque aliis per hanc figuram inveniuntur sine verbis vel participiis adverbia, ut Virgilius in I. *Genus unde Latinum*, subauditur est. Et sciendum, quod, ut supra dictum est, participiis quoque aptissime adjunguntur adverbia. Quid enim est aliud participium nisi verbum casuale? ut bene lego, bene legens, sapienter loquor, sapienter loquens, quod si aliud verbum verbo subjungas, idem significat. Sed hoc interest, quod participium non eget conjunctione, verbum eget, ut bene legens edisco, bene lego et edisco, sapienter loquens doceo, sapienter loquor et doceo. Accidit autem II
adverbio species, significatio, figura. Species primi- 5
tiva et derivativa. Primitiva quidem, quae a se nascuntur. ut non, ita, ceu, clam, saepe. Derivativa vero, quae ab aliis nascuntur, ut clam clanculum, saepe saepius saepissime, docte a docto, cursim a cursu, ductim ἀπενεκτί a ductu. Derivativa igitur adverbia, vel ab aliis adverbiis derivantur, ut a prope propius, et ultra ulterius, citra citerius; vel a nominibus, ut Tullius Tulliane, Latinus Latine, felix feliciter; vel a verbo sive participio, vel participiali nomine, ut sentio sensus sensim, sto status statim, singultio singultim. Horatius in I. Sermonum: *Ut veni coram, singultim pauca locutus.* Tractus tractim. Virgilius in IIII. Georgicon: *Tractimque susurrant.* Vel a nomine et verbo, ut a pede et tento pedetemptim; vel a pronomine, ut hic illic ab hic et ille; vel a praepositione, ut ex, extra, in, intra, con,

---

§. 3. *Virgilius in II. Aen.* vs. 601. *Virg. in VI.* vss. 625 — 27. *Virg. in I. Georg.* vs. 456. 57.

§. 4. *bene legens edisco.* Pro vulgato *disco* restitui e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Lips. 2. aliisque *edisco.* Idem mox post *bene lego* in textu reposui.

§. 5. *quae a se nascuntur.* Vulgo *nascitur.* Item singularem post *ab alia* mutavi in pluralem Codicum auctoritate.

Horatius in I. Serm. 6. vs. 56.

Virg. in IV. Georg. vs. 260.

contra, sub, subter. Est quando etiam nominum terminatio diversorum casuum constructionem adverbialem suscipiens, loco adverbiorum accipitur, ut Virgilius in VI. *Nimium nobis Romana propago visa potens superi.* Nimium dixit pro nimis. Similiter in primo Aeneidos: *Multum ille et terris jactatus et alto.* Idem in VIII. *Jam primum saxis suspensam hanc aspice rupem.* Idem in primo Georgicon: *Sublime volans.* Similiter idem in primo Aeneidos: *Una Eurusque Notusque ruunt.*

6 Pronomina quoque pro adverbiis ponuntur, ut Virgilius in VIII. *Hoc tunc Ignipotens caelo descendit ab alto,* hoc pro huc. Idem in I. Aeneidos: *Namque videbat, uti bellantes Pergama circum, hac fugerent Graji, premeret Trojana juventus hac Phryges.* Neque enim ea indubitanter adverbia esse accipimus, sed nomina vel pronomina esse dicimus loco adverbiorum posita per diversos casus. Per nominativum, ut Virgilius in XI. *Fors et vota facit cumulatque altaria donis.* Et in III. Georgicon: *Sole recens orto.* Per genitivum, ut Romae. Cicero pro Ligario: *Romaene sit? neve cum fratribus?* Salustius in I. Historiarum: *Ac deinde militiae et domi gestas composui.* Idem in eodem: *Itaque Servilius aegrotum Tarenti collegam prior transgressus.* Per dativum, ut vesperi, ruri, sorti. Terentius in Andria: *Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?* Virgilius in IIII. Georgicon: *Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti.* Terentius in Phormione: *Cui opera vita erat, ruri fere se continebat.* Per accusativum, ut Romam, Athenas. Terentius in Andria: *Quid tu Athenas insolens?* Per ablativum. Virgilius in Bucolicis: *Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.* Idem in eodem: *Alternis dicetis,*

7 *amant alterna Camoenae.* Cum autem loco adverbio-

Virg. in VI. vs. 871. *Idem in VIII.* vs. 190.

§. 6. *Virg. in VIII.* vs. 414. *Virg. in I.* 466 seqq. *Virg. in XI.* vs. 50. *In III. Georg.* vs. 156. *Cic. pro Lig.* Est, nisi fallor, Cap. II. Pro *sit* plures Codd. et Edd. Ven. *sint.*

Idem in eodem. Codicum auctoritate pro vulgato *atque* scripsi *itaque,* quod et editio Paris. Ascens. habet.

Terentius in Andria. Act. IV. Sc. 4. vs. 29. *Virg. in IV. Georg.* vs. 165. *Terentius in Phorm.* Act. II. Sc. 3. vs. 16. *Terentius in Andria.* Act. V. Sc. 4. vs. 4. *Virg. in Buc.* Ecl. VII, 1. *Idem in eodem.* Ecl. III. vs. 59.

§. 7. *a similitudine vel collatione.* Vulgo, *ad similitudinem vel*

rum accipiuntur, manent indeclinabilia, licet jungantur nominum vel pronominum vel participiorum diversis casibus, ut sublime volans, sublime volantis, sublime volanti. Sic igitur omnia discernas nomina vim adverbiorum recipientia, vel non. Et primitiva quidem uniformia sunt, nec regulam aliquam a similitudine vel collatione aliorum possunt accipere, ut cras, cur, heus, sic, nempe. Derivativa vero, quae sub aliqua certa proferuntur forma, inter sese adhibita collatione, rationem plerumque regulae possunt accipere pro similitudine terminationum. Plerumque autem diximus propter excepta vel anomala, ut bene, male, duriter. Ergo per singulas terminationes necessarium est eorum formas inspicere. A igitur terminantia vel primitiva sunt, ut 8
ita, quod solum a correptam habuit, quamvis quidam puta quoque adverbium esse accipiant, ideoque Persium id corripuisse, ut: *Hoc puta non justum est, illud male, rectius illud.* Vel composita, ut praeterea, interea, postea, antea, quae omnia producunt a terminalem. Vel sunt ablativi nominum, qui pro adverbiis accipiuntur, ut una, qua, nequa, Roma, ut Virgilius in I. Aeneidos: *Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis.* Idem in eodem: *Qua data porta ruunt, et terras turbine perflant.* In eodem: *Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit.* Et sciendum, quod propria civitatum nomina, si primae vel secundae sint declinationis, genitivo quidem casu pro adverbio in loco accipiuntur, ut Romae sum vel Tarenti; accusativo vero ad locum, cujuscunque sint declinationis, ut Romam eo, vel Tarentum, vel Carthaginem, vel Athenas. Ablativo de loco vel per locum, ut Roma exeo, Tarento transeo. Sin tertiae sint, ablativo, tam in loco quam de loco, vel per locum,

---

collationem. Receptam lectionem praestant Codd. Luth. Heidelb. Erl. 2 Lips. 3. Ed. Paris. Asc.

propter excepta vel anomala. Inserui ego *vel* e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Dresd. Erl. ed. Paris. Asc.

§. 8. *Persius.* Sat. IV, 9. In libris Persii legitur *puto.*

Virg. in I. Aen. vs. 85. *Idem in eodem.* vs. 83. *In eodem.* vs. 682.

genitivo quidem. Ante *genitivo* omisi *in* Codd. auctoritate.

vel Athenas. Auctoritate Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. omisi *vel Delphos vel Trallis.* Edd. Ven. Paris. Asc. omittunt *Trallis*, exhibent vero *Delphos.*

ut Carthagine sum, Carthagine venio, Carthagine transeo. Idem semper pluralibus invenitur, ut Athenis sum,
9 Athenis venio, Athenis transeo. Inveniuntur tamen et cum praepositionibus nomina civitatum saepe prolata, et maxime apud historicos. Livius in VIII. ab urbe condita: *Venerant et ab Lanuvio Antioque auxilia.* Salustius in Catilinario: *Nam tum Brutus ab Roma aberat.* Idem in Jugurtino: *Ad Cirtam oppidum iter constituunt.* Livius in IX. *Et Fabius supplementum ab Roma adduxit.* Idem in VIII. *Quem autem ab Roma posse excipi.* In eodem: *Qua via ad Veserim ferebat.* Salustius in I. Historiarum: *Ad Olympum atque Phaselida.* In eodem: *Ad Corycum,* et, *Apud Lete oppidum,* et, *Repulsus a Lete oppido,* et *Apud Ilerdam, cum multa opera circumdata.* Idem: *Apud Praeneste locatus.* Idem: *Apud Mutinam.* Ex Rhodo. Plautus in Mercatore: *Navem ex Rhodo, qua est heri advectus filius.* Inveniuntur tamen quaedam etiam appellativa supradictam regulam servantia, ut militiae, militiam, militia, domi, domum, domo, humi, humum, humo. In e correptam vel primitiva sunt, ut pone, pene, ex quo etiam aliud derivavit Plautus in Mostella-
10 ria: *Ita mea consilia pervortit penissime.* Ne, prope, nempe, quippe, saepe, inde, et ex eo composita, deinde, subinde, perinde, exinde, proinde, quae omnia antepenultimam habent acutam, vel quia per adjectionem habent de, ut quibusdam videtur, unde frequenter invenimus exin et dein. Virgilius in VII. *Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis.* Vel magis quia praepositiones separatae gravantur. Et ut conjunctae esse ostendantur, acutum in his assumpserunt accentum, quomodo et conjunctio si, et ne adverbium, cum praeponuntur quando, ut siquando, nequando. Nam aliquando differentiae causa ad aliquanto, quod consimilem so-

---

§. 9. *Ex Rhodo. Plautus in Merc.* (Act. II. Sc. 1. vs. 32. s. 253. Bothe.) Ab initio *Ex Rhodo* e Codd. et ed. Paris. adjeci. *Plautus in Mostellaria.* v. Ind. *pervortit* tuentur Codd. Heidelb. Lips. 2. Dresd. Zwicc. 2.

§. 10. *antepenultimam acutam* scripsi secundum Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. Erl. 1. 2. pro *accentu acuto.*

Virg. in VII. vs. 341. *Salustius in Iug.* 17, 2. *Virg. in III.* vs. 22. *Idem in X.* vs. 665. Vulgo positus est numerus quintus pro decimo.

num habere videtur, acuit antepenultimam. Vel derivativa sunt, ut peragro peregre, punio impune, abundo abunde, rito, unde irrito, rite. Nomina quoque pro adverbiis in e correptam desinentia invenimus, ut Sallustius in Jugurtino: *Caetera haud facile comperta narraverim.* Virgilius in III. Aeneidos: *Forte fuit juxta tumulus, quo cornea summo virgulta.* Idem in X. *Sed sublime volans nubi se immiscuit atrae.* Quamvis facile et sublime accusativi sint, forte autem ablativus. Sic etiam sponte sua, et mane primo, nomina esse ostenduntur conjunctione aliorum casualium, ut domi suae. Sunt etiam composita in e correptam desinentia adverbia, ut supra dicta, exinde, perinde, deinde, et punio impune. Virgilius in II. Georgicon: *Et saepe alterius ramos impune videmus vertere in alterius.* Utpote quoque compositum est ab adverbio et nomine. Pote enim ab eo, quod est potis, nascitur, hic et haec potis et hoc pote, unde Persius: *Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi calve,* id est quomodo possibile? Ab eo autem, quod est hic et haec potis et hoc pote, fit comparativum hic et haec potior et hoc potius, et superlativum potissimus, ex quibus etiam adverbia potius et potissime. In e pro- III
ductam primitiva non inveni, sed derivativa a nomini- 11
bus secundae declinationis, quorum dativus in o desinens in e longam convertitur, et facit adverbium, ut huic claro clare, optimo optime, pulchro pulchre, affabro affabre. Cic. in Verrinarum VI. *Deum nullum, qui ei paulo affabre factus.* Huic sano sane, fero fere. Excipitur bene et male a bono et malo in e brevem desinentia. Multa autem ex supradictis nominibus ipsa terminatione dativi pro adverbiis accipiuntur, ut falso, consulto, postremo, sedulo, auspicato, augurato, manifesto, privato, precario, merito. Terentius in Eunu-

---

aliorum casualium e Cod. Heidelb. Luth. restitui pro *aliarum casualium.*

deinde secundum Codd. edidi pro *proinde. Virg. in II. Georg.* vs. 32. *Persius.* Sat. I, 56. Post *possibile* Codicum jussu omisi *est.*

§. 11. Post *non inveni* omisi Codicum jussu *nisi ne*, quod ab interpolatore additum esse patet.

Cic. in Verr. VI. Act. I. Cap. 5. Cod. Heidelb. pro *VI.* exhibet *V. Terentius in Eun.* Act. II. Sc. 5. vs. 27.

cho: *Seu vi, seu clam, seu precario.* Idem in Andria: *Haud auspicato huc me attuli.* Idem in Eunucho: *Merito te amo.* Idem in Phormione: *Postremo si nullo alio pacto, vel foenore.* Livius in XIIII. *Privato nos tenuissemus.* Dicitur tamen et privatim. Salustius in Catilinario: *Ea privatim et publice rapere.* Et saepe corripiunt o terminalem, quando in adverbia transeunt, ut cito, sero, modo. Juvenalis in III. *Et cito rapturus de nobilitate comesa, quod superest.* Virgilius in IIII. Aeneidos: *Tu modo posce deos veniam sacrisque litatis.* Statius in I. Thebaidos: *Sero memor thalami moestae solatia mortis, Phoebe, paras.* Idem in secundo: *Queriturque fidem*
12 *tam sero reposci.* Necessario dicitur et necesse, sed necesse eget verbo substantivo. Sunt tamen quaedam ex eadem declinatione, quorum neutra pro adverbiis accipiuntur, ut multum, nimium, verum et vero, primum et primo. Terentius in Andria: *Primo haec pudice vitam, parce ac duriter agebat.* Quod autem etiam prime dicitur, ostendit idem Terentius, qui compositum ab eo in Andria protulit: *Nam id arbitror apprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.* Nimium quoque pro nimis frequenter invenimus, et parum pro parvum. Lucanus in
13 V. *Et quam nimiumque parumque distulimus.* Excipiuntur a duro dure et duriter, a largo large et largiter, ab humano humane et humaniter, ab inhumano inhumane et inhumaniter, a firmo firme et firmiter. Terentius in Andria: *Primo haec pudice vitam, parce ac duriter agebat.* Cicero in III. Verrinarum: *Respondit illa ut meretrix non inhumaniter.* Idem in XIII. Philippica: *Putare aliquid moderate, aut humane facturum.* Idem de Repu-

---

Idem in Andria. Act. IV. Sc. 5. vs. 12. Pro vulgato *appuli*, quod Putschius pro incuria summa, quam in edendo Prisciano ostentavit, reliquit, e Codd. restitui *attuli.*

Idem in Eunucho. I, 2, 106. *Idem in Phormione.* II, 1, 71. Pro *Eunucho* legitur vulgo *Phormione* et pro *Phormione* scriptum reperitur *in eadem*; utrumque falso.

Salustius in Catil. Cap. 11. *Juvenalis in III.* Sat. I. vs. 34. *Virg. in IV. Aen.* vs. 50. *Statius in I. Theb.* 596. Pro *mortis* unus meorum Codd. *noctis.* *Idem in II.* vs. 384.

§. 12. *eget verbo substantivo.* Post haec sequuntur in libris editis haec: *Terentius in Eunucho: Quod des paululum est et necesse est multum accipere Thaidem. invenitur tamen et ne-*

blica in VI. *Firmiter enim majores nostri stabilita matrimonia esse voluerunt.* Idem ad Pansam in I. de Antiocho: *Fecisti humaniter.* Inveniuntur et alia, quibus tamen non est utendum. Pomponius in Authorato: *Ludit nimium insaniter,* pro insane. Severiter pro severe. Titinnius in Proclia: *Severiter hodie sermonem amica mecum contulit.* Idem *blanditer, benigniter.* Plautus *amiciter, veraciter, avariter, munditer, severiter, moestiter, aequiter, asperiter.* Novius *festiviter.* Lucilius *ampliter, ignaviter.* Varro *probiter, mutuiter.* Ennius *proterviter, ignaviter, inimiciter, iracunditer, superbiter, temeriter, praeclariter, torviter, puriter, reverecunditer, miseriter, prosperiter.* Dicitur etiam abunde ab abundo, et abundanter ab abundans. Sciendum tamen, quod 14
quaedam adverbia non plene servant significationem, quae in nominibus est, a quibus derivantur, ut ferus fere, sanus sane, sensus sensim. Ideo autem diximus non plene, quia potest esse aliqua ratio, ut ferae dicuntur, quae omni corpore feruntur, quippe cum quatuor pedibus utantur; fere ergo pro juxta, quod celeribus omnia juxta sunt. Sanus pro validus accipitur; ergo et sane pro valide. Hoc quoque notandum, quod a valido valde pro valide per syncopam profertur. Sensim pro paulatim, quia ea maxime faciunt sensum, quae morantur. A rito verbo vel ritu rite pro recte, quia nihil traditur ritibus, nisi quod rectum esse credatur. A quintae quoque declinationis nominibus composita e producunt, ut pridie, hodie, postridie. Meridie quoque pro adverbio accipitur, cum sit nomen. In i quoque desinentia inveniuntur adverbia, sed pauca primi-

---

cessarium. Quae, cum absint a Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. Dresd. Erl. 1. 2. Lips. 1., omittenda esse censui.

Terentius in Andria. Act. I. Sc. 1. vs. 47. *Primo* e Codd. reposui pro *primum.* *Idem in Andria.* Act. I. Sc. 1. vs. 54.

Lucanus in I. vs. 741.

§. 13. *Cic. in III. Verr.* v. Ind. *Idem in III. Phil.* v. Ind.

Idem ad Pansam. Unus meorum pro *fecisti* exhibet *fecistin'.*

severiter pro severe. Post *severiter* Codd. Zwicc. 2. Lips. 2. auctoritate omisi *quoque.*

§. 14. *non plene.* Plures Codd. *non plane,* quod e correctione ortum esse puto.

a rito verbo. Post *rito* omisi auctoritate Codd. Zwicc. 2. Lips. 2. *vero.*

tiva, ut heri, ubi, ibi. Dicitur tamen et here. Juvenalis in I. *Res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras deteret exiguis aliquid.* Horatius in II. Sermonum: *Nam mihi convivam quaerenti ductus here, illic de*
15 *medio potare die.* Alia vero nomina sunt loco adverbii posita, per genitivum pleraque, ut domi, Tauromînii, Lampsaci, Tyri, Ephesi, belli. Livius in III. ab urbe condita: *Duo nefanda facinora decemviri belli domique adjiciunt.* Inveniuntur etiam per dativum, ut vesperi et sorti. Terentius in Andria: *Quemne ego heri vidi ad vos afferri vesperi?* Virgilius in IIII. Georgicon: *Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti.* Nec non etiam per ablativum, ut qui pro quomodo, vel unde, ut Terentius in Andria: *Nam qui tibi istaec incidit suspicio? Qui? quia te noram.* Idem in eadem: *Audivi et credo, multa concurrunt simul, qui conjecturam hanc nunc facio.* Est enim ablativus a quo vel a qui. In o primitiva quidem, ut quando temporale, et ex eo composita, siquando, nequando, aliquando, quae antepenultimam habent acutam, ne duae partes, ut supra dictum est, esse putentur divisae, vel differentiae causa. Derivativa vero, a cis citro, unde dicitur ultro citroque. Cicero pro Roscio: *Postea homines cursare ultro citroque non destiterunt.*
16 Ab in quoque, intra, et intro, et intus, et inter. Sunt etiam composita praesto, profecto. Alia vero nomina sunt vel pronomina adverbialiter prolata, ut falso, merito, sedulo, cito, sero, vero, utro, utroque. Livius in VIII. ab urbe condita: *Utroque exercitus missi.* Similiter quo, aliquo, eo, illo. Sed quando pro adverbiis accipiuntur, inveniuntur interdum corripientia o, sicut ostendimus. In u pauca inveniuntur denominativa, ut diu, et ex eo compositum interdiu, et a nocte noctu. Nam astu nomen est indeclinabile, quomodo cornu. Terentius in Eunucho: *Hem quid? amat? an scit ille, quod*

Juvenalis in I. Sat. III. vs. 23. *Horatius in II. Serm.* 8, 3.

§. 15. *Livius in III.* (vulgo *II.*) *ab u. c.* Cap. 43. ab in.

Terentius in Andria. Cf. supra ad §. 6. vel Ind. *Virg. in IV. Georg.* v. supra ad §. 6. vel Ind. *Terentius in Andria.* Act. III. Sc. 2. vs. 21. *Idem in eadem.* Act. III. Sc. 2. vss. 31. 32. Pro *concurrunt* duo meorum Codd. *concurrerunt.* *Cic. pro Rosc.* v. Ind.

§. 16. *Terentius in Eunucho.* v. Ind.

meretrix siet. An in astu venit? quod nisi esset nomen, praepositio separata ei non praeponeretur. In ae di- 17
phthongum nomina sunt genitivi casus loco adverbii posita, ut Romae, Cosae, Capuae. Salustius in Jugurtino: *Haec ubi Romae comperta sunt.* Idem in I. Historiarum: *Res populi Romani Marco Lepido Catuloque consulibus, ac deinde domi et militiae gestas.* In hoc, au, heu, ei, oh, ah terminantia interjectiones sunt, quas Graeci adverbiis connumerant. Horatius in Carminibus: *Heu hoc Bacche precor.* Idem in II. Carminum: *Heu hoc recenti mens trepidat metu.* Terentius in Eunucho: *Au obsecro, ne conferendus hic quidem cum illo est.* Idem in eodem: *Hoe ei.* In eodem: *Oh illud vide, os ut sibi distorsit carnifex.* Idem in Andria: *Dicturane es quod rogo? au.* Ei. Virgilius in II Aeneidos: *Ei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore.* Idem in eodem: *Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.* In c primitiva inveniuntur, sic, donec, quod etiam donicum antiqui dicebant. Plautus in Captivis: *Ausculta dum, scies, ego me amitti, donicum ille huc redierit.* Et derivativa pronomi- 18
num, illic, istic, huc, illuc, istuc, hinc, illinc, istinc, hac, illac, istac. Et omnia vel natura vel positione producunt extremam syllabam, excepto donec, et in fine circumflectuntur, si vocalem longam habuerint natura. Composita quoque inveniuntur, ut adhuc, abhinc, dehinc. In l pauca inveniuntur, ut semel, pol, aedepol, vel, etiam conjunctio, pro valde frequenter invenitur. Cicero pro Muraena: *Vel maximum bellum populo Romano cum rege Antiocho gessisse.* In am primitiva, ut clam, coram: derivativa, vel composita, nequicquam, nequaquam, neutiquam. Praeterea quam, quando est similitudinis vel comparationis, sive electionis, adverbium accipitur. Virgilius in XI. *Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto.* Salustius: *Mare Ponticum dulcius*

---

§. 17. *Horatius in Carm.* Od. II, 19. 5. 7. *Terentius in Eun.* IV, 4, 13. Cod. Heidelb. *conferundus. In eodem.* IV, 4, 5.

Idem in Andria. IV, 4, 12. *Virg. in II. Aen.* v. Ind. *Idem in eodem.* v. Ind

Plautus in Captivis. Act. II. Sc. 2. vs. 89. *ausculta dum* scripsi pro *auscultatum.*

§. 18. *Virg. in XI.* vs. 721. Mox post *caetera* in loco Salustii omisi *maria* Codicum meorum auctoritate.

est, quam caetera. Quamvis interpretatio ejus, id est ἤπερ, apud Graecos conjunctio sit electiva. Bifariam etiam, trifariam et omnifariam composita sunt a fando et praepositis dictionibus. In em primitiva, item, tandem, composita, ut itidem, ibidem, indidem, identidem. Cicero pro Roscio Amerino: *Indidemne Ameria.*

IV 19 In im denominativa inveniuntur, et verbalia, sive participialia, ut a parte partim, a viro viritim, a vice vicissim, ab ostio ostiatim, a statu statim, a raptu raptim, a saltu saltim et saltuatim, a cursu cursim, a stricto strictim, a furto furtim, a sensu sensim, a singulis singillatim, ab affatu affatim, vel magis a Graeco ἀφάτως, id est abunde, et corripitur fa, a privato privatim, a paulo paulatim, a singultu singultim. Horatius in I. Sermonum: *Ut veni coram singultim pauca locutus.* Praesertim, confestim, a tractu tractim, a carptu carptim, a ductu ductim. Plautus in Curculione: *Sine ductim, sed haec abiit, hac persequar.* In um primitiva pauca sunt, iterum, sursum, rursum et rursus, prorsum et
8. prorsus. Derivativa vel composita dextrorsum, sinistrorsum. Horatius Sermonum II. *Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: unus utrique error.* Sed antiqui etiam dextrovorsum dixerunt. Plautus in Rudente: *Sed dextrovorsum aversa est in malam crucem.* Sursum, deorsum, horsum, versum, orientem versum, occidentem ver-
20 sum. *Deorsum versum* Terentius in Adelphis. Similiter utroque vorsum. Plautus in Captivis: *Utroque vorsum rectum est ingenium meum.* Haec enim quoque composita esse videntur, cum sub uno accentu proferantur. Melius tamen dicimus, quod inclinant sibi supraposita nomina. Similiter actutum derivatum est ab actu, id

---

§. 19. *In im denominativa.* Post *im* Codicum jussu delevi *et. Horatius in I. Serm.* 6, 56.

Plautus in Curc. I, 2, 12. Pro *sine* rectius quidem, incertum tamen qua auctoritate, ed. Paris. Asc. *sino.* Equidem cum Codd. et Edd. Ven. Bas. Ald. Colon. retinendam putavi vulgatam.

Horat. in II. Serm. 3. vs. 50. *Plautus in Rudente.* II, 3, 38.

Terentius in Adelphis. Ante *Terentius* e Cod. Heidelb. adjeci *Deorsum versum.* Hae enim voces reperiuntur IV, 2, 36.

§. 20. *Plaut. Capt.* II, 3, 8. *Virg. in IX.* vs. 255. Vulgo legitur numerus octavus. *Lucanus in II.* v. Ind.

est celeritate. Virgilius in IX. *Tum caetera reddet actutum pius Aeneas, atque integer aevi Ascanius.* Nomina quoque loco adverbiorum in eadem terminatione inveniuntur, ut multum, nimium, primum, parum pro parvum. Lucanus in II. *Et quam nimiumque parumque distulimus*, pro et multum et parvum. In n pauca inveniuntur, ut en, non, forsan, forsitan. In r primitiva, cur et per, quando pro valde accipitur. Derivativa a nominibus vel participiis tertiae declinationis 22 veniunt in ter exeuntia. Sed si in ens desinat nominativus, is genitivi in er convertunt, ut sapiens sapientis sapienter, prudens prudentis prudenter, indulgens indulgentis indulgenter, diligens diligentis diligenter. Alia vero assumunt dativo ter penultima correpta, ut fortis forti fortiter, utilis utili utiliter, felix felici feliciter, audax audaci audaciter, sed per syncopam in usu est frequentiore audacter. Terentius in Phormione: *Manus multo audacter, quam nunc laedit, laederet.* Salustius tamen Historiarum II. *audaciter* protulit secundum analogiam. Et Cicero pro Sexto Roscio: *Multa scelerate, multa audaciter, multa improbe fecisti.* Excipitur facilis, quod pro faciliter facile adverbii loco habuit in usu. Virgilius in XI. *Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto.* Difficilis autem difficulter facit. pro difficiliter, et ab omni omnino. Praeterea a tribus et quatuor nascuntur adverbia ter et quater. Obiter enim compositum est ab ob et iter. Similiter paulisper, tan- 22 tisper, parumper, composita sunt. Vetustissimi tamen quaedam contra supradictam regulam protulerunt. Sed si quidem sunt nomina neutra pro adverbiis, ut sublime volans, assumuntur: aliter vero rejicientur, ut Pom-

---

pro et multum et parvum. In libris editis sequuntur haec: *Cicero in IV de Rep. Non enim facile valenti populo resistitur, si aut nihil impertias juris aut parum, pro parvum.* Hic locus desideratur in Codd. Heidelb. Erl. 2. Lips. 2. Omisi ergo.

§. 21. *Terentius in Phorm.* Prol. vs. 11. In Cod. Heidelb. erasa est littera *i* in *audacter*.

Cic. pro Sexto Rosc. Cap. 36. *Virg. in XI.* v. ad §. 18. vel Ind.

§. 22. *si quidem sunt.* Codicum fusu Erl. 1. Heidelb. scripsi *sunt* pro *sint*. Mox e Cod. Heidelb. recepi *assumuntur* pro *assumantur*. Ipsedemque Cod. auctoritate scripsi *rejicientur* pro *rejiciantur*.

ponius de philosophia: *Cum istaec memore meminit,* pro memoriter. Aliter quoque ab eo, quod est hic alis hujus alis huic ali, pro alius alius alii, secundum supradictam analogiam profertur. In as denominativa invenio as extrema circumflexa, aliàs. In es productam, sodes, Hercules. Pleraque tamen a numeris nascuntur, id est a
22 quinque usque ad mile, ut semel, bis, ter, quater, quinquies, sexies, decies, vicies, centies, quingenties, mi-
23 lies. In is correptam, nimis, quod etiam nimium dicimus. Satis, quod etiam loco nominis positivi accipitur, itaque etiam comparationem recipit satius. Terentius in Eunucho: *Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.* Lucanus in primo: *Tu satis ad vires Romana in carmina dandas.* Juvenalis in IIII. *Hoc satius, quam si dicas, sub judice vidi, quod non vidisti:* satius pro melius. In us correptam, penitus, rursus et rursum, prorsus et prorsum, secus, caelitus a caelo, stirpitus a stirpe, funditus a fundo. Virgilius in III. Aeneidos: *Rursus et alterius.* In eodem: *Rursus ab adverso caeli, caecisque latebris.* Radicitus a radicibus. Virgilius in quinto Aeneidos: *Radicitus eruta pinus.* Mordicus, divinitus, humanitus. Dicitur tamen et divine et humane et humaniter, sed diversas habent significationes. Nam divinitus a divis, et humanitus ab hominibus monstrat. Divine autem, et humane vel humaniter, similiter divis et hominibus significant. Eminus quoque et comminus localia sunt. Adversus quoque quod etiam nominativus est, quomodo nullus pro minime. Terentius in Andria: *Liberatus sum, Dave, hodie tua opera. Ac nullus quidem.* Similiter fors, cum sit nominativus, accipitur pro adverbio. Virgilius in XI. *Fors et vota facit cumulatque altaria donis.* Et omnia comparativa, quae nominum comparativorum generis neutri similia sunt, ut clarius,
24 prudentius, ocyus, satius. In ens totiens a tot, quotiens

---

§. 23. *Terentius in Eunucho.* Act. I. Sc. 2. vs. 5. *Luc. in I.* vs. 66. *Juven. in IV.* Sat. VII. vs. 13. *Virg. in III. Aen.* vs. 31.

In eodem. vs. 232. *Rursus ab adverso.* Hanc lectionem recepi e Cod. Lips. 2. pro vulgato *rursum ex diverso.* Pro *caecis* unus alterve Codicum meorum *caeli.* *Virg. in V. Aen.* vs. 449.

Terentius in Andria. Act. II. Sc. 2. vs. 33. Pro vulgato *at re-*

a quot, et a multo multotiens, et aliquotiens ab aliquot. Sallustius in I. Historiarum: *Neque detrusus aliquotiens terretur.* In t sat pro satis, et duntaxat, quod ab adverbio componitur et verbo, et forsit pro forsitan. Horatius Sermonum I. *Dissimile hoc illi est, quia non ut forsit honorem jure mihi invideat quivis.* In x, vix, mox, pax: quod est Graecum, quando significat tantummodo. In nc, nunc, hinc. In ps, deinceps. Inveniuntur diversae adverbia formae ex eisdem derivata nominibus, ut a fors forte, forsan, forsitan, forsit, fortasse, fortassis. Virgilius in XI. *Fors et vota facit, cumulatque altaria donis.* Idem in Bucolicis: *Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.* Idem in I. Aeneidos: *Forsan et haec olim meminisse juvabit.* In Bucolicis: *Forsitan illum, aut herba captum viridi.* Idem in X. *Cacloque animum fortasse ferebat.* Et fors quidem et forsan et forsitan dubitandi sunt, forte vero eventus pro fortuitu, quod a fortuitus derivativo nomine fit. Fortasse autem et fortassis pro temere. Quomodo a divino quoque divinitus θειόθεν, divine θείως. Similiter a fato fatuito μοιρῆθεν fato, et fataliter μοιραίως, ab omni omnino παντελῶς, et omnifariam in omnem partem, vel ex omni parte. Derivativorum adverbiorum species est etiam in comparativis et superlativis. Praeterea in diminutivis, quod apud Graecos non est: et plerumque denominativa sunt haec, ut clarus clarior clarissimus, clare clarius clarissime, felix felicior felicissimus, feliciter felicius felicissime, bonus bellus, bene belle, primus primulus, primum primulum, longus longulus, longe longule. Inveniuntur tamen pauca, quae quamvis a nominibus non deriventur, tamen lubent comparativa vel diminutiva, ut saepe saepius saepissime et saepiuscule. Antiqui tamen et saepior et saepissimus protulisse inveniuntur, sicut ultra ulterius ultime, ulterior ultimus. Non enim ad-

posui e Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. ac.

Virgilius in XI. vs. 50. Mox pro *aliquotiens terretur* nonnulli Codd. *aliquotiens deterretur* vel etiam *deterreretur.*

§. 24. *Horat. I. Serm.* 6, 49. *Virg. in Buc.* Ecl. 7. vs. 1.

Idem in I. Aen. vs. 203. *In Buc.* Ecl. 6. vs. 59. *Idem in X.* vs. 548.

verbia a nominibus, sed ab adverbiis hujuscemodi nomina nascuntur, supra superius supreme, superior supremus, citra citerius citime, citerior citimus, extra exterius extreme, exterior extremus, infra inferius infime, inferior infimus, diu diutius diutissime, diutior diutissimus, nuper nuperius nuperrime. Antiqui nuperus nuperior nuperrimus. Ocior quoque ocissimus, et ocius ocissime; a Graeco est ὠκύς. Satis quoque, quia pro sufficiens accipitur, quomodo supra diximus, ideo habuit comparationem satius. Attendendum igitur, quod non inveniuntur comparativa adverbia, nisi sint adjuncta comparativis nominibus. Diminutiva tamen rarissime, ut clam clanculum. Terentius in Eunucho: *Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.* Derivantur autem a nominibus, sapiens sapienter; a pronominibus, ab ille illic; a verbis, detero deterius; a participiis, indulgens indulgenter; a praepositionibus, ex, extra, sub, subter, in, inter.

27 Figurae adverbiorum sunt tres, simplex, composita, et decomposita. Simplex, ut diu, huc. Composita, ut interdiu, adhuc. Decomposita, quae a compositis derivantur, ut a potente potenter, a misericorde misericorditer, ab indocto indocte, ab imprudente imprudenter. Haec tamen, quae et simplicia habent adverbia, etiam composita possunt esse, ut docte, indocte, prudenter, imprudenter. Nam efficaciter sine dubio decompositum est, cum a simplici adverbio non componitur, sed a nomine composito derivatur.

V Significatio adverbiorum diversas species habet.
28 Sunt enim temporalia, quae praeteritum tempus significant solum, ut pridem, nuper, antea, nudiustertius;

---

§. 26. *Terentius in Eun.* II, 3, 18. Post *derivantur autem* Codicum meorum jussu omisi *adverbia.*

§. 28. *Terentius in Adelphis.* Act. III. Sc. 1. vs. 2.—Putschius non sustulit vitium priorum editionum *Andria* pro *Adelphis* exhibentium.

Idem in Heautont. v. Ind. *Idem in Andria.* I, 5, 18. 19. Post *forum* interponunt Codices *dixit,* quod et Edd. Ven. et Paris. habent. Sed cum Cod. Heidelb. *inquit,* certe *quit,* exhibeat, servavi hoc, non tamen potuit, quin expungerem *hodie,* propterea quod abest a Codicibus.

Idem in Eunucho. Act. IV. Sc. 4. vs. 30. *Virg. in IV. Aen.* vs. 109. *Virg. in IV. Georg.* vs. 421. *Horatius in I. Serm*

sunt alia, quae praesens, ut nunc, praesto; vel et praesens, et non multo ante praeteritum perfectum, ut modo. Terentius in Adelphis: *Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.* Idem in Heautontimorumeno: *Age modo hodie sero ac nequicquam voles.* Idem in Andria: *Praeteriens modo mihi apud forum, Uxor tibi ducenda est, Pamphile, inquit.* Idem in Eunucho: *Venit Chaerea. Fraterne? Ita. Quando? Hodie. Quam dudum? Modo.* Accipitur et pro infinito, quomodo et nunc. Idem in eadem: *Modo ait, modo negat.* Invenitur etiam pro duntaxat. Virgilius in IIII. Aeneidos: *Si modo quod memoras factum fortuna sequatur.* Alia futurum, ut cras, postridie, perendie. Alia communia diversorum temporum, ut olim, dudum, quondam. Virgilius in IIII. Georgicon: *Deprensis olim statio tutissima nautis*, infinite dixit. Olim pro praeterito. Horatius in I. Sermonum: *Olim truncus erat ficulnus inutile lignum.* Praesentis. Virgilius in II. Georgicon: *Ac jam olim seras posuit cum vinea frondes, frigidus et silvis aquilo decussit honorem. jam tum acer curas venientem extendit in annum rusticus.* Idem in quinto: *Quod tumidis submersum tunditur olim fluctibus.* Futuri. Idem in I. Aeneidos: *Forsan et haec olim meminisse juvabit.* Dudum praeteriti. Terentius in Andria: *Ego dudum nonnihil veritus sum, Dave.* Praesentis temporis. Virgilius in II. Aeneidos: *Jam dudum sumite poenas.* Quondam praeteriti. Cicero in I. Invectivarum: *Fuit ista quondam in hac republica virtus.* Futuri. Virgilius in Bucolicis: *Quondam tua dicere facta tempus erit.* Idem in II. Aeneidos: *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.* Instantis temporis protulit similiter aliquando Cicero in primo

8. init. Non dubitavi recipere lectionem Codd. Erl. 1. 2. Dresd. et Edd. Ven. *erat* pro *eram* scribentium; nam genuinam hanc credo.

Virg. in II. Georg. vs. 403. *Idem in V.* vs. 125. *Idem in I. Aen.* vs. 203. *Terentius in Andria.* III, 4, 5. *Virg. in II. Aen.* vs. 526.

Cic. in I. Invect. Cap. 2. Equidem *fuit* non, ut vulgo, iteravi, cum id facere Codd. Heidelb. Lips. 2. Erl. 1. 2. Dresd. aliique, editiones etiam Ven. Paris. prohibeant.

Virg. in Buc. 8. 8. *Idem in II. Aen.* vs. 567. Codd. Luth. Lips. 1. Erl. 2. *sanguis* pro *virtus* exhibent.

Invectivarum: *Ibis tandem aliquando.* Idem in II. *Tandem aliquando Quirites vel Catilinam.* Quando quoque simplex, et ex eo composita omnia, aliquando, siquando, nequando, quae et infinita sunt, et antepenultimo acuto proferuntur, quomodo etiam ab inde composita, exinde, perinde, subinde, deinde, proinde. Quando autem et interrogativum et relativum est, et infinitum. Interrogativum, ut quando venisti? Relativum, ut quando eram juvenis, peccavi. Infinitum, quando veniam, faciam. Accentu tamen discernitur, quomodo et nomina interrogativa et relativa. Invenitur tamen etiam pro aliquando, et pro causali conjunctione. Virgilius in X. *Aspera quis natura loci dimittere quando suasit equos.* Quando pro aliquando. Idem in I. Aeneidos: *Hic tibi, fabor enim, quando haec te cura remordet:* quando pro quoniam hic accipitur. Alia localia. Haec quoque vel discretas, vel communes habent locorum significationes. Discretas ad locum, ut huc, illuc, quo; in loco, ut illic, hic, ubi, quod interrogativum penultimam acuit, ut si dicam, ubi est Pamphilus? Relativum gravatur, ut Virgilius in primo Aeneidos: *Saevus ubi Aeacidae telo jacet Hector, ubi ingens Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis.* Quomodo et unde, ut Horatius in II. Sermonum: *Unde et quo Catius?* Interrogativum acutam penultimam habet. Relativum gravatur. Virgilius in I. Aeneidos: *Genus unde Latinum.* De loco, ut hinc, illinc, istinc, inde. Per locum, ut hac, illac, qua. Hoc quoque, quomodo omnia infinita, id est, quo, ubi, unde, quando relativum est, gravatur, aliter suum accentum servat. Communes, ut peregre sum, peregre abeo, peregre advenio, peregre transeo. Similiter pone, supra, intra, infra, extra, ultra, citra, quae etiam casibus frequenter solent jungi gravarique, atque ideo a quibusdam praepositiones esse putantur. Sed illa proprie est

---

§. 29. *antepenultimo acuto.* Ita Codd. mei. Vulgo *antepenultimae accentu acuto.*

Virg. in X. vs. 367. *Idem in I. Aen.* vs. 261.

§. 30. *Virg. in I. Aeneid.* vs. 99. 100. *Horat. in II. Serm.* 4, 1. *Virg. in I. Aen.* vs. 6.

§. 31. *supra posita nomina.* Post haec leguntur in Codd. Zwiec. 1. Erl. 1. Lips. 2. Dresd. ea, quae in editionibus vulgatis et in hac editione infra §. 33. inde a verbis *similiter militiae*

praepositio, quae separata nunquam potest sine casualibus proferri, ut e ex a abs de pro sub in et similia. Adverbia vero, quae conjungi solent casualibus, etiam 31
per eclipsim casualium licet proferre, ut pone subit conjunx, et ultra citraque nihil est. Et quod adverbia etiam per se habent aliquam certam significationem, praepositio vero non, ut si dicam de vel in, nescio, per se quid significent, nisi conjungantur cum aliqua dictione. Si enim dicam de partibus orationis, aliam habet significationem, et si dicam de loco in locum, aliam. In superiore enim τὸ περὶ, in sequenti τὸ ἀπὸ significat. Similiter deduco κατάγω, descendo κατέρχομαι. Extra vero et pone et supra indubitabilem habent loci significationem, ex quo ostenduntur magis adverbia esse. Sunt quaedam unam loci significationem habentia, quae est ad locum, ut orsum, istorsum, deorsum, sursum, sinistrorsum, dextrorsum. Similiter adverbia ostenduntur composita, Italiam versus, Siciliam versus, quae ipse accentus ostendit esse composita, nisi dicamus, quod versus inclinat sibi supraposita nomina. Dehortativum est nę: hoc etiam accipitur pro neque et pro ut non et pro valde. Pro neque, ut Cicero in quarto Invectiva- 32
rum: *Ne dici quidem opus est*, pro neque opus est dici. Pro ut non. Terentius in Adelphis: *Ne dicam dolo*, pro ut non dicam. Pro valde, ut idem in Andria: *Ne illa illum haud novit, cujus causa haec incipit.* Abnegativum est, ut non, haud, nunquam, minime. Sciendum tamen, quod etiam aliae partes accipiuntur pro adverbiorum diversis significationibus: et est quando duae pro una, ut nullomodo, nullatenus. Quomodo et adverbia loco nominum posita invenimus. Virgilius in VII. *Sponte sua.* Similiter *et mane novum.* Ut Lucanus in primo: *Tu satis ad vires Romana in carmina dandas.* Et Salustius in Catilinario: *Satis eloquentiae, sapientiae*

---

usque ad *nuper postquam.* In Cod. Erl. 2. uncis inclusa sunt. Equidem Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 2. auctoritatem secutus vulgatam servandam esse putavi.

§. 32. *Cic. in IV. Invect.* Cf. supra §. 2. *Terent. in Ad.* v. Ind. *Idem in Andria.* IV, 4, 5. *Virg. in VII.* cf. ad Lib. XIV. §. 17. *Lucanus in I.* vs. 66. *Salustius in Catilin.* Cap. 5. Pro vulgato *loquentiae* Codd Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Erl. 1. 2. Lips. 1. 2. Dresd. *eloquentiae* scribi jusserunt.

parum. Confirmativa, ut profecto, scilicet, quippe, vi-
33 delicet, nempe, ut Persius: *Nempe haec assidue.* Duae quoque partes pro his ponuntur, ut quidni, curnon, sicest, quidistic, quo frequenter Terentius utitur in confirmatione. ut in Adelphis: *Quidistic? accedo, ut rectius dicas.* Similiter militiae in loco solum invenitur, quomodo vesperi in tempore. Et sciendum, quod pleraque adverbia localia pro temporalibus accipiuntur. Virgilius in II. Aeneidos: *Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto*, pro deinde dixit; et in I. *Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem*, pro postquam; et Terentius in Eunucho: *Hic ego illum contempsi prae me,*
VI pro tunc. Temporalia autem pro localibus non acci-
34 piuntur, ut nunc, modo, nuper, postquam. Iurativa, aedepol, castor, hercle, mediusfidius. Per quoque praepositio potest etiam pro adverbio accipi jurandi, ut Virgilius in X. *Per te, per qui te talem genuere parentes.* Idem tamen etiam confirmativum est adverbium, ut Terentius in Andria: *Tu quoque perparce nimium, non laudo.* Sic quoque, quomodo per, conjunctum casualibus et gravi accentu prolatum, jurativum est. Virgilius in Bucolicis: *Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.* Optativa utinam, o, ut, si, ut Virgilius in primo Aeneidos: *Atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem afforet Aeneas.* Idem in VIII. *Adsis o tantum, et propius tua numina firmes.* Idem in VI. *Si nunc se nobis ille aureus ar-*
35 *bore ramus ostendat nemore in tanto.* Ut autem et si sunt etiam conjunctiones causales. Sed ut est etiam similitudinis adverbium: potest etiam pro temporali accipi, *Ut vidi, ut perii.* Et ex hoc componitur utinam. Invenitur etiam ut pro utinam, ut Horatius in II. Sermonum: *O pater et rex, Juppiter, ut pereat positum rubigine ferrum*, ut pro utinam. Uti enim et ut idem est. Hortativa, eia, age. Et notandum, quod videtur hoc

---

Persius. Nempe haec assidue. Haec pro *hoc* scripsi auctoritate Codd. MSS. Zwicc. 2. Heidelb. Lips. 2. Dresd. Erl. 2.

§. 33. *Terentius in Adelphis.* III, 2, 52. *istic* e Codicibus meis pro vulgato *istuc* in textum recepi.

Virg. in II. Aen. vs. 2. *et in I.* vs. 81. *Ter. in Eun.* II, 2, 8.

§. 34. *Virg. in X.* vs. 597. *Terent. in Andria.* III, 3, 38. *Virg. in Buc.* Ecl. IX. vs. 30. Pro *Cyrneas*, quod auctoritate Cod. Heidelb. retinui, plures Codd. exhibent *grineas.*

Virg. in I. Aen. vs. 575. *Idem in VIII.* vs. 78.

adverbium etiam pluralem habere, ut agite, ut Virgilius in VIII. *Ergo agite o juvenes tantarum in munere laudum.* Remissiva sunt superioribus contraria, ut pedetemptim, paulatim, sensim. Qualitatis, ut bene, male. Quantitatis, ut nimium, parum. Haec autem plerumque a nominibus adjectivis fiunt, ut disertus diserte, celsus celse, maximus maxime, paulus paulatim. Nec non etiam a participiis, sive verbis, ut cursim, strictim, minutatim. Dubitativa, forsan, fortassis, et fortasse, fors, forsit. Virgilius in XI. *Fors et vota facit cumulatque altaria donis.* Idem in I. Aeneidos: *Forsan et haec olim meminisse juvabit.* Terentius in Andria: *Forma bona fortasse.* Horatius in I. Sermonum: *Dissimile hoc illi est, quia non ut forsit honorem jure mihi invideat.* Con- 56
gregativa loci sunt et temporis communia, ut simul, una, pariter. In eodem loco, et in eodem tempore, ut Virgilius: *Simul hoc simul ingens.* Et in I. *Una Eurusque Notusque ruunt.* Discretiva, seorsum, deorsum, secus, separatim, secreto, utrinque, divise, singillatim, bifariam, multifariam. Similitudinis, ut quasi, ceu, velut, veluti, sic, sicuti, ut, uti. Haec etiam conjunctionum vim habent causalium, quando ἵνα vel ὅτι significant Graecas conjunctiones. Virgilius in undecimo: *Capias ut digna Camillae praemia.* Cicero in III. Invectivarum: *Illud vero nonne ita praesens est, ut nutu Jovis Optimi Maximi factum esse videatur? ut, cum hodierno die mane per forum meo jussu, et conjurati, et eorum judices in aedem Concordiae ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur.* Ordinativa sunt, deinde, continuo, protinus, postea, praeterea. Intentiva, ut valde, nimium, prorsus, penitus, omnino. Comparativa, ut magis, minus. Hoc cum adversa qualitate conjunctum, contrariae qualitatis comparativum significat, ut minus prudens pro stultior, et minus stultus pro prudentior. Superlativa, maxime,

---

Idem in VI. vss. 187. 88.

§. 55. *Horat. in II. Serm.* 1, 43.

' *idem est.* Ita Codd. Zwicc. 1. Luth. Lips. 2. Heidelb. aliique. Vulgo, *idem sunt.*

Virg. in VIII. vs. 273. *Virg. in XI.* vs. 50. *Idem in I. Aen.* vs. 203. *Terentius in Andria.* I, 1, 92. *Horat. in I. Serm.* 6, vs. 49.

§. 56 *Virgilius in I.* vs. 85. *Virg. in XI.* vs. 857. *Cic. in III. Invectiv.* (vulgo *IV.*) Cap. 9.

37 minime, ocissime. Et sciendum, quod omnia, quae ab aliis derivantur, illorum significationem vel qualitatem generalem seu specialem servant, ut a propriis Demosthenes Demosthenice dicitur, Tullius Tulliane, Salustius Salustiane. Similiter ab appellativis generalibus, a corpore corporaliter, a quali qualiter, ab alio aliter, a genere generaliter, a specie specialiter, a Latino Latine, a Graeco Graece, a viro viriliter, a muliere muliebriter. Et nota, quod pleraque ex nominibus fiunt derivativis. A Graecis quoque nominibus derivantur adverbia, ut ὠκὺς ocius ocissime. Habent tamen nomina ocior ocissimus. Praeterea quomodo apud Graecos anomale ἀπὸ τοῦ εἷς ἅπαξ adverbium dicitur, sic et apud nos inaequaliter ab uno semel profertur. A duobus quoque pro Graeco δὶς nos bis dicimus. Caeteri enim numeri a vocibus suis faciunt adverbia, tres, ter, quatuor, quater. A quinque vero usque ad mile in es productam desinunt adverbia, ut quinquies, sexies, septies. Sic reliqui, ut supra dictum est. A quot vero et tot in ns ter-
38 minantur, quotiens et totiens. Sunt igitur haec numeralia. Inveniuntur apud nos praeterea adverbia diminutiva, quae apud Graecos non sunt, ut clam, clanculum, bene, belle, bellissime. Quomodo autem sunt nomina, synonyma, et polyonyma, sic inveniuntur adverbia, vel in una significatione multas habentia voces, vel in una voce multas habentia significationes, ut ubi *ποῦ καὶ ὅπου*. Similiter quo, qua, quando, et infinita sunt et interrogativa, et relativa. Quando autem etiam et pro conjunctione causali invenitur. Tandem quoque non solum pro adverbio temporali, sed etiam pro conjunctione repletiva invenitur, ut Cicero in I. Invectivarum: *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* O quoque diversas habet significationes. Est enim adverbium vocandi, ut Virgilius in I. Aeneidos: *O regina, novam cui condere Juppiter urbem.* Est admirandi, ut Juvenalis in IIII. *O qualis facies et quali digna tabella.* Est indignandi, ut Cicero in I. Invectivarum: *O tempora, o mores.* Est optandi, ut Virgilius in VIII. *Adsis o*

---

§. 38. *Cic. in I. Invect.* 1. *Virg. in I. Aen.* vs. 522. *Juvenalis in IV.* Sat. X, 157. *Cic. in I. Inv.* Cap. 1. *Virg. in VIII.* vs. 78.

§. 39. *Terentius.* Adelph. IV, 1, 3. 4.

tantum, et propius tua numina firmes. Est etiam nomen ipsius literae. In aliis quoque multis adverbiis invenis 59
diversas significationes in una eademque voce. Quomodo etiam ex contrario in diversis vocibus unam significationem, ut quando, aliquando, olim, dudum, cito, propere, celeriter, actutum. De ordine quoque adverbiorum quaeritur, utrum praeponi, aut supponi verbis aptius possint. Et manifestum est, quod aptius quidem praeponuntur, quomodo adjectiva nomina, ut bonus homo bene agit, fortis imperator fortiter pugnat. Licet tamen tam haec quam illa praepostere proferre, exceptis monosyllabis quidem omnibus, ut o, non, ne, dum, cum temporale, per, sic, quod adverbium est, quando affirmationem significat, sicut etiam vel, cum pro valde ponitur. Demonstrativa quoque et interrogativa praeponuntur verbis, ut en, ecce, cur, quare, quamobrem. Similiter hortativa et similitudinis et vocandi et optandi, ut eia, age, quasi, ceu, veluti, heus, o, utinam. Terentius: *Utinam, quod cum salute illius fiat velim, ita se defatigarit.* Virgilius in Bucolicis: *Sic tua Cyrneas fugant examina taxos.* Idem in nono: *Non ita me referat tibi magnus ovantem Juppiter.*

Interjectionem Graeci inter adverbia ponunt, quo- VII
niam haec quoque vel adjungitur verbis, vel verba ei 40
subaudiuntur, ut si dicam, papae quid video? vel per se papae, etiamsi non addatur miror, habet in se ipsius verbi significationem. Quae res maxime fecit Romanarum artium scriptores separatim hanc partem ab adverbiis accipere, quia videtur affectum habere in sese verbi, et plenam motus animi significationem, etiamsi non addatur verbum, demonstrare. Interjectio tamen non solum quam dicunt Graeci σχετλιασμὸν significat, sed etiam voces, quae cujuscunque passionis animi pulsu per exclamationem interjiciuntur. Habent igitur diversas significationes. Gaudii, ut euax; doloris, ut ei. Virgilius in II. Aeneidos: *Ei mihi qualis erat, quantus mutatus ab illo Hectore.* Et: *O dolor atque decus magnum rediture parenti,* Virgilius in XI. Et in Bucolicis: *Ah*

Virg. in Buc. Ecl. IX. vs. 59. Cf. supra ad §. 54. *Idem in IX.* (vulgo *VIII.*) vs. 208

§. 40. *quam dicunt.* Hoc Codd. Vulgo, *illa quam dicunt. Virg. in II. Aen.* vs. 274. *Et.* Aen. X. vs. 507. *In Buc.* Ecl. I. vs. 15.

silicé in nuda connixa reliquit. Idem in eodem: *Ah*
41 *tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.* Timoris, ut, *Atat, mi homo, num formidolosus es?* Terentius in Eunucho. Admirationis, ut idem in eodem: *Papae, haec superat ipsam Thaidem.* Inter has ponunt etiam sonituum illiteratorum imitationes, ut risus ha ha, he he, phi, eu, hoe, et au. Possunt tamen esse quaedam dubiae inter adverbia et interjectiones, ut o, quando indignationem significat, vel dolorem, vel admirationem, interjectionem hoc accipiunt: quando vero vocandi est, vel optandi, adverbium. Potest tamen etiam nomen esse ipsius literae, ut supra diximus. A quoque et praepositio est, et interjectio, et nomen. Praepositio, ut a summo ad imum; interjectio, ut praemonstravimus in Bucolicis esse positum; nomen ipsius literae.
42 Pro quoque tam praepositio quam interjectio. Praepositio, ut Virgilius in XII. *Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum.* Et in quinto: *Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris.* Interjectio, ut Lucanus in III. *Pro si remeasset in urbem Gallorum tantum populis Arctoque subacta.* Optime tamen de accentibus eorum docuit Donatus, quod non sunt certi. Quippe cum et abscondita voce, id est non plane expressa, proferantur, et pro affectus commoti qualitate, confundantur in eis accentus. Aliae tamen quoque partes orationis singulae vel plures solent interjective proferri, ut Virgilius in I. Aeneidos: *Navibus infandum amissis unius ob iram,* infandum pro interjectione protulit. Proprie tamen voces interjectionum primitivae sunt, ut papae, euax, ei, eu, euoe, hoe, et similia.

Idem in eodem. Ecl. X. vs. 49.

§. 41. *Terentius in Eun.* IV, 6, 18. *Idem in eodem.* II, 1, 25. 25. Hic locus, si quis alius, luculentissime demonstrat, Priscianum in referendis scriptorum locis parum laborasse.

ha ha, he he. Cod. Heidelb. *ah ah eh eh,* et in margine *he he.* Alii Codd. *he.* Unus *che.* Pro vulgato *heu* scripsi secundum Codd. Lips. 2. Dresd. *eu,* et mox pro *hau* secundum Codd. Heidelb. Luth. Lips. 2. aliosque *au.*

§. 42. *Virg. in XII.* vs. 820. *Et in V.* vs. 501. *Virgilius in I. Aen.* vs. 251.

ei, eu, euoe. Sic scripsi Codd. auctoritate pro *hei, heu, heuhoe.*

LIBER SEXTVS DECIMVS.

Conjunctio est pars orationis indeclinabilis, conjunctiva aliarum partium orationis, quibus consignificat, vim vel ordinationem demonstrans. Vim, quando simul esse res aliquas significat, ut et pius et fortis fuit Aeneas. Ordinem, quando consequentiam aliquarum demonstrat rerum, ut si ambulat, movetur. Sequitur enim ambulationem motus, non tamen etiam motum omnimodo sequitur ambulatio. Potest enim aliquis et sedens et accumbens moveri, ambulare autem sine motu non potest. Accidunt igitur conjunctioni figura, species, quam alii potestatem nominant, quae est in significatione conjunctionum, praeterea ordo. Figura simplex quidem, ut at, et, sed; composita vero, atque, etenim, sedenim. Haec enim ex accentu composita esse noscuntur. Species sunt, copulativa, continuativa, subcontinuativa, adjunctiva, causalis, effectiva, approbativa, disjunctiva, subdisjunctiva, diertiva, ablativa, praesumptiva, adversativa, abnegativa, collectiva vel rationalis, dubitativa, completiva. Copulativa est, quae copulat tam verba quam sensum, ut et, que, ac, atque, quidem, quoque, quando pro que ponitur, at, ast, sed,

1 a

Lib. XVI. §. 1. *figura, species.* Ante *species* expunxi Codd. auct. *et.* Mox ante *atque* delevi eadem ratione *ut.* Denique post *species sunt* omisi *conjunctionum.* Nomina specierum diversarum edidi secundum Cod. Heidelb. cum quo plures caeterorum faciunt, discrepantes a vulgata. Sic *ablativa* ante *praesumptiva* inserui e Codd. Heidelb. Luth. Lips. 3. Erl. 2. Post *rationalis* delevi *vel illativa*, quod hoc quidem loco Codices tantum non omnes damnant.

autem, vero, quando pro autem accipitur. Haec enim copulant cum confirmatione intellectum. Inveniuntur tamen multae, tam ex supradictis, quam ex aliis conjunctionibus, diversas significationes una eademque voce habentes, sicut usibus ostendemus. ut quae invenitur etiam completiva, ut Virgilius in IX. Aeneidos: *Alcandrumque Haliumque Nemonaque Prytaniumque.* Ac non solum pro et, sed etiam pro quam accipitur, ut Virgilius in III. Aeneidos: *Haud secus ac jussi faciunt, tectosque per herbam.* Terentius in Phormione: *Nunquam aeque, inquit, ac modo paupertas onus visa est mihi et miserum et grave.* Salustius in Jugurtino: *Praeterea transversis itineribus cotidie castra movere juxta ac si hostis adesset, vallo atque fossa munire.* Similiter atque Terentius in Phormione: *Ne simili utamur fortuna atque usi sumus.* Continuativae sunt, quae continuationem et consequentiam rerum significant, ut si, cum εἰ Graecum significat: quando enim ἐὰν, causalis est. Similiter sive, sin, seu, tam continuativae sunt, quam causales. Proprie autem continuativae sunt, quae significant ordinem praecedentis rei ad sequentem, ut si stertit, dormit, et si aegrotat, pallet, et si febri vexatur, calet. Non enim converso ordine in his consequentiam sententiae servat oratio: non enim qui dormit omnimodo stertit, quomodo qui stertit omnimodo dormit, nec qui pallet omnimodo aegrotat, quomodo qui aegrotat omnimodo pallet, nec qui calet omnimodo febri vexatur. Et hae quidem, id est, continuativae, qualis est ordinatio et natura rerum, cum dubitatione aliqua essentiam rerum significant. Subcontinuativae vero causam continuationis ostendunt consequentem cum essentia rerum, ut quoniam, quia: ut quoniam ambulat, movetur: quia sol super terram est, dies est. Utrumque enim significat fieri ordine consequenti. Quidam

---

§. 2. *Virgilius in IX. Aen.* vs. 767. *ut Virg. in III. Aen.* vs. 236. *ut* inserui ego e Codd.

Terentius in Phorm. I, 2, 44. *Salustius in Jug.* 45. ed. Cort. *cotidie* auctoritate Codd. Luth. Heidelb. edidi pro *quotidie.*

Terentius in Phorm. Prol. 32.

§. 3. *febri vexatur.* Codicum meorum auctoritate textu expuli haec: *quomodo qui febri vexatur omnimodo et calet.*

tamen et has continuativas et subcontinuativas inter species causalium posuerunt, quomodo et adjunctivas et effectivas. Nec irrationabiliter; et continuationis enim et subcontinuationis, et adjunctionis, et effectionis per has causa ostenditur reddi. Continuationis, ut si ambulat, movetur. Subcontinuationis, ut quia ambulat, movetur; adjunctionis, ut moveatur, ambulat; effectionis, movetur, ambulat enim. Est autem quando ut etiam pro ὅτι Graeca ponitur. Terentius in Phormione: *Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit, non causam dico.* Sunt etiam causales quasi proprio nomine. Quoniam prodest tibi, lege. Et: *Heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi,* Virgilius in V. Et: *Quamobrem discede.* Causales igitur, quas alii in una specie posuerunt, Apollonius pater Herodiani in quinque species dividit, quas supra ostendimus, id est continuativas, subcontinuativas, causales, adjunctivas, effectivas. Adjunctivae sunt, quae verbis subjunctivis adjunguntur, ut si, cum, ut, dum, quatenus, quando ἵνα Graecam conjunctionem significat. Similiter cum, quando ἐπάν Graeca intelligitur, ut, si venias, faciam, et, ut prosit tibi, facio. Virgilius in I. Aeneidos: *Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem, inferretque deos Latio.* Similiter quatenus id libenter faciat. Ut Virgilius in Bucolicis: *Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.* In- 5
veniuntur tamen ex his quaedam simul et causales, ut exerceo te, ut sis sanus; erie doctus, si legas. Et hoc interest inter adjunctivas et proprie causales, quod hae cum affirmatione, illae cum dubitatione proferuntur. Inveniuntur tamen nomina vel pronomina, vel etiam praepositiones, vel adverbia, quae loco causalium accipiuntur conjunctionum. Pronomina, ut ideo, eo; nomina, qua causa, qua gratia, quapropter, quamobrem, et quas ob res. Ne quoque, quando ἵνα μὴ significat,

---

essentiam rerum. essentiam pro *essentiae* edidi secundum Codd. meos.

§. 4. *Terentius in Phorm.* II, 1, 40. sive I, 5, 40. Ante *patrue* Codicum meorum jussu expunxi interjectionem *o*.
Virg. in V. vs. 13. *Virg. in I. Aen.* vss. 5. 6. *Virg. in Buc.* Ecl. III. vs. 77.

§. 5. *quod hae.* Omisi Codicum meorum suasu *causales*, quod libri impressi subjiciunt.

conjunctio est causalis. Virgilius in II. Aeneidos: *Neu recipi portis, aut duci in moenia possit, neu populum antiqua sub religione tueri.* Et nota, aut quoque et neu hic pro copulativis esse conjunctionibus. Invenitur etiam ne pro neque, quae copulativa et conjunctio. Sub una enim abnegatione copulat res, quomodo et nec. Lucanus in primo: *Nec se Roma ferens.* Cicero in IIII. Invectivarum: *Ne dici quidem opus est, quanta diminutione civium.* Terentius in Eunucho: *Non eam, ne nunc quidem, cum accersor ultro?* pro neque nunc. Hoc autem, id est ne, quando μὴ vel πάνυ significat, adverbium est.
6 Invenitur tamen etiam verbum pro adversativa conjunctione cum adverbio, ut quamvis pro quanquam, et pro etsi, quomodo licet et licebit. Virgilius in XI. *Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur,* pro quanquam minetur. Lucanus in VII. *Omnia majorum vertamus busta licebit, et stantes tumulos, et qui radice vetusta effudere suas victis compagibus urnas, plus cinerum Haemoniae sulcis telluris aratur.* Et proprie causales sunt, quae causam antecedentem causative, id est res ex causa antecedente evenientes, significant, ut doctus sum, nam legi. *Aeole, namque tibi divum pater atque hominum rex et mulcere dedit fluctus, et tollere vento,* Virgilius in I. Aeneidos. Idem in eodem: *Hic tibi, fabor enim, quando haec te cura remordet.* Approbativae sunt, quae approbant res, ut Virg. in XII. *Equidem merui, nec deprecor, inquit.* Terentius in Phormione: *Ita cognatam quidem ad nos? Unde?* Inveniuntur et causales pro approbativis, ut Virgilius in II. Aeneidos: *Dii, si qua est caelo pietas, quae talia curet.* Idem in I. *Si quid usquam justitiae est.* Idem in V. *Si concessa peto, si dant ea*
7 *moenia Parcae.* Et sciendum, quod, quando approbativae sunt, indicativo modo junguntur. Disjunctivae sunt, quae, quamvis dictiones conjungant, sensum tamen disjunctum habent, et alteram quidem rem esse,

---

Virg. in II. Aen. vs. 187. *Lucanus in I.* vs. 72. *Cic. in IV. Inv.* Cap. 9.

§. 6. *Virg. in XI.* vs. 348. *Lucanus in VII.* 855 seqq. *Virg. in I. Aen.* vs. 65. *Idem in eodem.* vs. 261. *Virg. in XII.* vs. 931. *Terent. in Phorm.* v. Ind. *Virg. in II. Aen.* vs. 236. *Idem in I.* vs. 604. *Idem in V.* vs. 798.

§. 7. *Virg. in VII.* vs. 199. *Juvenalis in I.* Sat. III. vs. 295.

alteram vero non esse significant, ut ve, vel, aut. Virgilius in VII. *Sive errore viae, seu tempestatibus acti.* Et, vel dies est, vel nox. Juvenalis in primo: *Aut dic, aut accipe calcem.* Virgilius in II. Aeneidos: *Aut aliquis latet error, equo ne credite, Teucri.* In eodem: *Aut haec in nostros fabricata est machina muros.* Et est quando indicative dicuntur, est quando dubitative. Indicative, ut, aut lux est aut tenebrae. Dubitative, ut, aut prodest aut non prodest divitias quaerere. Subdisjunctivae sunt, quae voce disjunctivarum utrumque tamen esse significant, vel simul, ut copulativae, vel discrete. Simul, ut Terentius in Eunucho: *Vel rex semper maximas mihi gratias agebat;* pro etiam rex. Idem in Phormione: *Vel oculum excludito, est ubi vos ulciscar locus.* Et Alexander sive Paris, pro Alexander qui et Paris dicitur. Similiter Mars sive Mavors, Gradivus vel Maspiter, praesul est bellorum. Discrete utrumque tamen esse signi- 8
ficat, ut tota die vel legit iste, vel cogitat. Significat enim et legere, et cogitare, sed non simul utrumque facere, sed aliis horis legere, aliis cogitare. Similiter remex vel expellit remum, vel attrahit, cum simul pene utrumque fieri intelligo, sed distincte. Alius est enim motus pellentis, alius trahentis. Similiter si dicam, vel tunicam mihi accommoda, vel etiam paenulam, subdisjunctivum est: videor enim in alterius petitione libenter utrumque accipere. Sed potest hic etiam disjunctiva esse; aliud est enim alterutrum petere, aliud utrumque. Ergo si dicam, vel tunicam, vel paenulam, alterutrum ostendo: cum vero addam, vel etiam tunicam, ostendo, vel unam rem velle, vel duas, quod disjunctivum est. Invenitur tamen vel conjunctio etiam diminutionem significans, ut Lucanus in septimo: *O felix si te vel sic tua Roma videret.* Disertivae vel electivae II
sunt, quando diversis propositis aliquid ex eis nos eli- 9
gere ostendimus, ut dives volo esse quam pauper. Teren-

Virg. in II. Aen. vs. 18. *In eodem.* vs. 46. *Terentius in Eun.* III, 1. 7. 8. *Idem in Phorm.* V, 7. 96.

§. 8. *vel expellit.* Vulgo, *impellit.* Nos Codd. Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2 Lips. 1. 2. Dresd. Erl. 1. 2. secuti sumus. *Lucanus in VII.* vs. 29.

§. 9. *Terentius in Andria.* IV, 5. 2. 3. Confirmant Codices mei *parare* pro *parere.*

tius in Andria: *Quae inhoneste hic voluit divitias parare, quam honeste in patria pauper vivere.* Est autem quam accusativus quae infiniti nominis, et adverbium similitudinis. Ut Terentius in Phormione: *Quam inique comparatum est,* pro ut. Et duplicatum pro conjunctione adversativa quoque accipitur, ut Virgilius in quinto: *Quanquam o, sed superent quibus hoc, Neptune, dedisti.* Idem in II. Aeneidos: *Quanquam animus meminisse horret.* Adversativae sunt, quae adversum convenienti significant, ut tamen, quanquam, quamvis, etsi, etiamsi, saltem. Haec etiam diminutivam significationem habent, ut Virgilius in IIII. Aeneidos: *Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset ante fugam suboles.* Idem in II. *Et magis atque magis quanquam secreta parentis Anchisae domus arboribusque obtecta recessit, clarescunt sonitus.* Adversum enim convenienti significat. At quoque pro saltem, et vel et aut invenitur. Virgilius in VI. *Si te nulla movet tantae pietatis imago, at ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat) agnoscas.* Et, si non vis ediscere, vel intellige, pro saltem intellige. Similiter, si non factis debitum reddis, aut verbis age gratias, pro saltem verbis. Ne quoque in eadem invenitur significatione. Salustius in Catilinario: *Quippe secundae res sapientium animos fatigant; ne illi corruptis moribus victoriae temperarent.* Inveniuntur etiam in hac significatione nec et neque; ut, nec una hora avarus negligit lucrum, neque pius justitiam, neque unum assem praestat ille egenti, nec hic abnegat petenti aliquid prorsus, quod potest et decet. Abnegativae sunt apud Graecos κὲν et ἂν, quae verbis conjunctae posse fieri rem ostendunt, sed propter causam aliquam, ne fiat, impediri, ut ἐποίησα ἄν, εἰ δυνηθείην, et καί κεν γηθήσῃ Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες. Nos autem sine conjunctionibus subjun-

---

Terentius in Phorm. I, 1, 7. *Virg. in V.* vs. 195. (vulgo *VI.*) *Idem in II. Aen.* vs. 12.

§. 10. *Virg. in IV. Aen.* vs. 328. *Idem in II.* vss. 300. 301. *Virg. in VI.* vss. 405. 406. *Salustius in Catilin.* Cap. 11. §. 8. Pro *temperarent* non unus Codicum meorum *obtemperarent.* Unus etiam pro *illi* exhibet *illis.*

§. 11. *καί κεν γηθήσῃ.* Iliad. *A.* 255. Codices consentiunt voce *καί* pro ἦ. Idem *γηθήσῃ* pro *γηθήσει.*

Virgilius in XI. vs. 173. *Cicero pro Ligario.* Cap. 1. *Lucanus in IX.* vs. 256.

ctivis utimur verbis in hujuscemodi sensibus, ut, fecissem, si potuissem. Et, gaudeat Priamus, si audiat. Virgilius in XI. *Tu quoque nunc stares immanis truncus inermis, esset par aetas et idem si robur ab annis.* Stares, ἕστησας ἄν. Collectivae vel rationales sunt ergo, igitur, itaque, (quando antepenultima acuitur,) quin, alioquin, imo, utique, atqui. Hae enim per illationem colligunt supradictum, hoc est ratione confirmant, ut Cicero pro Ligario: *Habes igitur, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum.* Lucanus in IX. *Ergo pari voto gessisti bella juventus.* Invenitur tamen etiam pro ex- 12
pletiva, ut Terentius in Andria: *Mihine? Tibi ergo.* Virgilius in X. *Quin occidit una Sarpedon, mea progenies.* Terentius in Eunucho: *Atqui ita opus est.* Cicero pro Ligario: *Itaque quo me vertam nescio.* Dicuntur tamen hae eaedem illativae, quod praepositis aliis inferuntur, ut, etenim Catilinam Cicero solus sapientia domuit; solus igitur Cicero patriam servavit. Dubitativae sunt, quae significant dubitationem, ut an, ne correpta, nec ne, ut Virgilius in III. Aeneidos: *Eloquar an sileam, gemitus lacrimabilis imo.* Idem in I. Aeneidos: *An Phoebi soror, an Nympharum sanguinis una.* Idem in XI. *Justitiaene prius mirer belline laborum?* Frequentissime tamen hae eaedem interrogativae sunt, ut Virgilius in III. Aeneidos: *Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?* Idem in X. *Tanton' me crimine dignum?* Haec eadem invenitur et pro confirmativa, ut Horatius in II. Sermonum: *Clarus erit, fortis, justus, sapiens, ne etiam et rex.* Idem in I. *O seri studiorum, qui ne putatis difficile et murum, Rhodio quod Pitholeonti contigit.* Terentius in Andria: *Nunc ne demum istud verbum in te incidit.* Hic enim ne conjunctio nec interrogativa, nec dubitativa, sed confirmativa est. Virgilius in X. *Tanta-*

---

§. 12. *Virgilius in X.* vs. 471. *Virg. in III. Aen.* vs. 39. *Idem in I. Aen.* vs. 329. *Idem in XI.* vs. 126. Plures Codd. *justitia* pro *justitiae*.

Virg. in III. Aen. vs. 319. *Idem in X.* vs. 668. *Horatius in II. Serm.* 3. 97. *Idem in I.* 10, 22. Hoc etiam loco plurimi Codd. *Phytoleonti*.

Terentius in Andria. V, 3. 14. *Virg. in X.* vs. 846. *dextra* pro vulgato *dextrae* secundum Codd. Luth. Heidelb. Dresd. Lips. 1. Erl. 1. 2. edidi. Mox post *est enim* Codicum auctoritate omisi *ne*.

ne me tenuit vivendi nate voluptas, ut pro me hostili paterer succumbere dextra? Est enim pro etiam. Sola haec apostrophum accipit apud Latinos. Necne quoque pro an non accipitur, ut: sit sensus in morte necne, prodest
13 recte vivere. Completivae sunt, vero, autem, quidem, equidem, quoque, enim, nam, namque, et fere quaecunque conjunctiones ornatus causa vel metri, nulla significationis necessitate ponuntur, hoc nomine nuncupantur. Omnes tamen hae inter alias species inveniuntur, ut si dicam: Aeneas vero et pius et fortis fuit. Completiva est, quia et si tollatur vero, significatio integra manet. Sin autem dicam, Aeneas quidem pius fuit, Ulixes vero astutus, hic pro copulativa accipitur, quia utriusque rei simul sententiam significat cum substantia. Potest tamen et distributiva dici, quia distribuit diversas res diversis personis. Completivam autem esse, etiam Salustius ostendit in Catilinario: *Verum enimvero is demum mihi vivere et frui anima videtur.* Hic enim ornatus causa vero adjuncta est, quamvis possit etiam approbativa esse. Similiter Virgilius in XII. *Equidem merui nec deprecor, inquit.* Poterat sensus stare etiam sine equidem, si dixisset, ego merui nec deprecor. Sed sive metri causa, sive ornatus addidit equidem. Unde nec intulit autem vel vero subjunctivas ejus, vel tamen, quae ipsa quoque saepissime completiva invenitur, ut Statius in XI. *Me miseram, vinces prius*
14 *haec tamen arma necesse est, experiare domi.* Sciendum tamen, quod quidam equidem conjunctionem compositam esse existimant ab ego et quidem. Sed errant; simplex enim est. Et hoc maxime ex ipsa quoque constructione orationis possumus intelligere. Nam equidem facio, equidem facis, equidem facit, dicimus. Et potest equidem et ad primam, et ad secundam, et ad tertiam transferri personam, quod minime fieret, si esset compositum ex ego et quidem. Nemo enim dicit ego quidem facis, ego quidem facit, sed ego quidem facio

---

§. 13. *rei simul sententiam.* Vulgo, *essentiam.* Nos Codicum Luth. Heidelb. Zwicc. 1. 2. Lips. 1. 2. 3. Dresd. Erl. 1. 2. lectionem recepimus.

Salustius in Cat. Cap. 2. §. 9. *Virg. in XII.* vs. 931. *Statius in XI.* 338.

§. 14. *Salustius in Catil.* Cap. 51. *Virg. in VII.* vs. 1.

tantummodo ad primam personam. Et hoc usus etiam auctorum approbat, qui, equidem praeposita, ego subjungunt, ut Salustius in Catilinario: *Equidem ego sic existimo, Patres Conscripti, omnes cruciatus.* Si esset enim composita equidem ab ego et quidem, minime ei ego subjungeretur. Quoque quando pro etiam vel et accipitur, copulativa est, ut Virgilius in VII. *Tu quoque litoribus nostris Aeneia nutrix.* Quando autem supervacua ponitur, completiva est, ut Virgilius in I. *Multa quoque et bello passus.* Non egeret ea sensus, si dixisset: Multa et bello passus. Nisi quod quidam existimant, ut pro adverbio similitudinis accipiatur, quomodo item. Enim quoque, cum sit causalis, τὸ γὰρ significat, ut: Cole 15
pudicitiam; haec enim fundamentum est omnium animi virtutum. Invenitur tamen etiam completiva, quando δὴ significat Graecam conjunctionem, ut: *Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci audierat*, Virgilius in I. Invenitur eadem etiam pro affirmativa, ut Terentius in Andria: *Enimvero, Dave, nihil loci est segnitiae, neque socordiae.* Et maxime praepositiva hanc habet significationem, ut idem in Adelphis: *Enim non sinam.* Similiter nam, quomodo enim, est quando γὰρ, est quando δὴ Graecam conjunctionem completivam vel affirmativam significat, ut Virgilius in IIII. Georgicon: *Nam quis te juvenum confidentissime nostras. Τίς δή*, hic repletivae vim habet. Idem in V. *Heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi.* Idem in I. Aeneidos: *Aeole, namque tibi Divûm pater atque hominum rex.* Hic causalis est conjunctio. Ordo accidere dicitur conjunctionibus, qui communis est paene omnibus dictionibus. Quaedam enim naturaliter praeponuntur, ut praepositiones casualibus, et adverbia pleraque verbis. Et interrogativis et infinitis relativa subjunguntur vel reddititiva nomina, vel adverbia. Et adjectiva nomina prae- 16
ponuntur appellativis, ut, sapiens homo et citus equus. Est tamen quando auctoritas praepostere his utitur. Si-

---

§. 15. *Cole pudicitiam.* Ita secundum Codd. Lips. 2. 3. Erl. 1. 2. edidi pro *prudentiam*, cui praestare receptam lectionem patet.

Virg. in I. vs. 19. *Terentius in Andria.* I, 5. *Virg. in IV. Georg.* vs. 445. *Idem in V.* vs. 13. *Idem in I. Aen.* vs. 65.

§. 16. *Et adjectiva.* Inserui e quatuor Codd. *et.*

militer igitur conjunctiones pleraeque tam praeponi quam supponi possunt. Sunt tamen quaedam, quae semper praeponuntur, ut at, ast, aut, ac, vel, nec, neque, si, quin, quatenus, sin, seu, sive, ni; aliae, quae semper supponuntur, ut que, ne, ve, (quae etiam encliticae sunt,) quidem, quoque, autem, quod tamen antiqui solebant etiam praeponere. Aliae paene omnes indifferenter et praeponi et supponi possunt, ut et, atque, quae poëtice postponuntur, aliter non, ut Virgilius in IX. *Suspiciens altam lunam et sic voce precatur.* Horatius in I. Sermonum: *Cum me hortaretur parce, frugaliter atque viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset.* Et equidem, saltem, tamen, quamquam, quando, quatenus, nam, enim, itaque, quoniam, quapropter, ergo, igitur, quia. Et sciendum, quod pleraeque conjunctiones, quomodo praepositiones, diversas habent in una eademque voce significationes, quod in multis jam ostendimus. Hoc quoque non est praetermittendum, quod conjunctiones sibi praepositae inveniuntur, tam ejusdem potestatis cum sint, quam alterius, ut Cicero in Prognosticis: *Ast autem tenui quae candent lumine Phatnae.* Virgilius in I. *Atque equidem Teucrum memini Sidona venire.* Idem in III. *Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus aethra siderea polus.*

Virg. in IX. vs. 403. *Horatius in I. Serm.* 4, 107. 108. *mi* pro vulgato *mihi* recepi e Codd. Lips. 1. 2.

Phatnae pro *Phathnae* edidi auctoritate Codd. Lips. 1. 2. Erl. 1. 2.

Virgilius in I. vs. 619. *Idem in III.* vs. 586. Codices mei fere omnes, quorum extremae paginae edax tempus pepercit, *aether* pro *aethra* et *sidere* vel etiam *sidera* pro *siderea* exhibent errore manifesto.

LIPSIAE

IMPRESSIT BENEDICTUS GOTTHILF TEUBNER.

Inv. 26/10/37

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED